
CU56677081
78.431 BE2
Acta sacrorum Academ



Columbia University
in the City of New York

LIBRARY



Karl Pauli




Topograph. Qrt. 427

Digitized by Google

Digitized by Google

# ACTA
# SACRORVM
# ACADEMIAE IENENSIS
# SECVLARIVM




DER
SECUNDOGENIT DES
K.H. HAUSES
SACHSEN.

IENAE
LITTERIS STRAVSSIANIS
CIↃIↃCCLX

29-41003

L378.431
BE2

May 7, 1929 Acc. — 11 " 65 P

SERENISSIMIS

EX ERNESTINA STIRPE

SAXONIAE

# DVCIBVS

PRINCIPIBVS PIIS FELICIBVS

CONSERVATORIBVS SVIS INDVLGENTISSIMIS

MVSAGETIS

DIVINITVS SIBI DATIS

DIVI STATORIS SVI

IOANNIS FRIDERICI

CONSTANTIS INVICTI

POSTERIS

TANTI HEROIS SANGVINE DIGNISSIMIS

QVORVM
GRATIA ET AVSPICIIS
PERANTIQVA HAEC VIRTVTIS ET SAPIENTIAE
OFFICINA
POST DVCENTORVM ANNORVM
DECVRSVM
IN HIS SVSPICIOSISSIMIS
ET VNIVERSAE PAENE GERMANIAE
CALAMITOSIS TEMPORIBVS
SALVA EST ATQVE INCOLVMIS
ACTA HAEC SECVLARIA
L. L. M. Q
SACRA ESSE IVBET
AETERNAE
TANTORVM PRINCIPVM
GLORIAE

DEVOTA
ACADEMIA IENENSIS

# SACRORVM
# ACADEMIAE IENENSIS
# SECVLARIVM
# HISTORIA

---

AVCTORE

IO. ERNESTO IMMAN. WALCHIO

ELOQVENT. ET POES. PROF. PVBL. ORD. SOCIETATIS
LATINAE IENENSIS DIRECTORE







ACRA ſecularia ſumma maiores noſtri religione confici caerimoniaque voluerunt, nec profecto mirum, ſi parem iis hodie tribui honorem: ſi et noſtra aetate omnium fere animos iſta attentos reddere et totius ſaepe prouinciae oculos ad ſe rapere, videamus. Praeterea enim, quod ſumtuoſus plerumque ac ſplendidus eſſe ſolet eorum adparatus; auget etiam dignitatem, quod, quum redeunt, poſt tot annorum decurſum ſic redeunt, vt hominis memoriam et aetatem quam longiſſime videantur ſuperare. In quibus omnibus etſi multa ſunt, auri-
bus

bus et oculis noſtris digniſſima; neſcio tamen, an vllum eorumdem genus praeferendum ſit academicis, quibus muſae officinarum ſuarum dies natales celebrare primaeque earum originis memoriam inuiolate pieque conſeruare ſtudent. Etenim, ſi ex ipſa rei, cuius cauſſa ſtatae ſollemnesque caerimoniae fiunt, dignitate ipſam ſacrorum dignitatem aeſtimare, fas eſt, nemini profecto mirum videbitur, ſi ſeculares academiarum feriae tanto habeantur religioſiores, tantoque plus inferant in animos ſpectantium reuerentiae, quanto firmius felicitatis publicae praeſidium ipſis his muſarum templis eorumque conſeruatione continetur. Tales feſtos et inſolito ſuo ſplendore memorabiles dies praeterito anno egiſſe ſe, gloriatur noſtrum muſarum domicilium, omnibus, qui litteras et puriorem de rebus diuinis doctrinam amant, iucundiſſimos aeque ac ſanctiſſimos *. Dies enim fuerunt academiae, cuius per duo ſecula in litteras merita tanta fuere, quanta ſumma et ampliſſima eſſe ſolent: academiae, quae fertiliſſimorum ingeniorum prouentu omni tempore floruit: quae a primis fere ſuis incunabulis vsque ad noſtram aetatem litteratiſſimorum ciuium colonias vniuerſae Germaniae dedit, cuius denique haec paene inuidenda laus eſt et gloria, quod inter lutheranas omnium prima et eo potiſſimum conſilio condita fuit, vt purioris doctrinae praeſidium noſtraeque ſanctiſſimae religionis propugnaculum eſſet firmiſſimum.

SACRA

* ſacrorum noſtrorum adcuratam deſcriptionem germanica lingua exaratam dedit collega noſter deſideratiſſimus, praematura nuper morte nobis ereptus, excell. BASILIVS BERN. CHRIST. WIEDEBVRGIVS in *der Nachricht von denen Feyerlichkeiten, mit welchen das Andenken der vor zweyhundert Iahren erfolgten Einweihung der ienaiſchen Akademie begangen worden*, Ienæ CIↃ IↃ CCLVIIII. 4.

SACRA haec fecularia peracta funt clementiffimorum academiae huius conferuatorum, fereniffimorum Saxoniae ex Erneftina ftirpe ducum, ANTONII VLRICI, FRANCISCI IOSIAE, FRIDERICI III et ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI, aufpiciis, rectore magnificentiffimo laudato fereniffimo principe ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO, duce Saxo-Vinarienfi, cuius virtutibus nihil vidit excellentius: morte, quam ipfo feculari anno fubiit, praematura nihil vnquam fenfit acerbius et academia et vniuerfa ciuitas. Ipfis follemnibus feriis dies fecundus menfis februarii in faftis noftris dicatus erat et praeftitutus. Sedulo igitur ante, ne quid vel ad ornatum; vel fplendorem horum facrorum deeffet, prouidendum ac de eo cogitandum fuit, vt, quidquid ad ea pie ac decore peragenda effet neceffarium, id omne tempeftiue et, quanto fieri poffet, ftudio adpararetur. Quam quidem curam etfi ipfa horum dierum fanctitas fuo quafi iure poftulabat; fufpiciofisfima tamen, in quae aetas noftra incidit et vniuerfae paene Germaniae calamitofa tempora fenatus academici ea de re confilia retardare modo, modo impedire, modo quaeuis infaufta portendere minusque fortunatum totius huius negotii exitum praefagire videbantur. Vicit tamen omnes has, quantumuis magnas, difficultates academia, fingularis et conftantis diuinae erga fe prouidentiae memor, fiquidem ipfa fatis experientia didicerat, quidquid pro academia fufciperetur, huius tanto laetiorem optatioremque effe euentum, quo periculofiores fcopuli ante fuperandi, quo maiora impedimenta, optimae causfae obiecta, remouenda effent. In his cogitationibus defixus et tot diuini numinis de hac academia curae per duo fecula fpeciminibus confirmatus fenatus, tantum abfuit, vt a coepto propo-

ſito dimoueri ſe pateretur, vt ad sereniſſimos Saxoniae duces, clementiſſimos huius muſarum officinae conſeruatores, litteras mitteret, quibus totum hoc ſacrorum peragendorum conſilium expoſitum et, vt ratum iſtud haberetur, ea, qua decet, reuerentia ac pietate rogatum fuit. Res ex voto animique ſententia adeo ceſſit, vt ſpem et exſpectationem omnium ſuperaret ſingularis principum erga hanc litterarum ſedem fauor et gratia. Non ſatis enim fuit muſagetis noſtris, adprobare patrum ſententiam et quidquid ea de re per ſenatusconſulta fuerat decretum; ſed acceſſit etiam mirifica et nunquam ſatis praedicanda cura ſubleuandorum ſumtuum, qui ad tantum opus, cum inchoandum; tum perficiendum, neceſſarii videbantur. Iam res abit a conſilio ad vires: litterae academiae publicae, * quae feſtos hos dies praenuntiarent, ad templi valuas adfiguntur: inuitantur ad haec ſacra ciues et exteri: inuitantur ad praeſtitutum diem academiae. ** Fas quippe fuit, vt quae litterarum ſtudia tam arcto et quaſi ſororio vinculo coniungerent, muſarum domicilia in gaudii huius ſocietatem nobiſcum venirent, et, tamquam in feriis olim latinis, communia quaſi vota pro huius litteratae reipublicae conſtanti ac perpetua ſalute fierent. ***

Proximi, qui ferias noſtras anteceſſere, dies in ingeniorum palaeſtra maximam partem conſumti ſunt. Ducti in eam

* vide *acta* haec *ſecularia academiae ienenſis* p. 1. ſq.

** litterae academiae, quibus exteri ad ſacra haec inuitati ſunt, ibidem p. 6. ſeq. eae vero, quibus ampliſſimus philoſophorum ordo ſummis, quos impertire ſolet, in candidatos conferendis honoribus praefatus eſt, p. 71. leguntur.

*** exterarum academiarum litteras et plauſus votiuos vide in *actis* his *academiae ſecul.* p. 107. ſq.

eam ad litterata certamina, cum antemeridiana; tum pomeridiana, candidati, qui comparatas ſibi eruditionis ac doctrinae vires publice oſtenderent, ſummisque academiarum honoribus, in ſacrorum horum memoriam adipiſcendis, dignos ſeſe monſtrarent. Surrexit quoque vir ſumme reuerendus IOAN. CHRISTOPH. KOECHERVS ſacramque orationem * in templo academico ad populum habuit inque iſta ſummae erga deum pietatis gratiſſimique animi officia ex fortunato ſacrorum horum reditu non ſine magno auſcultantium plauſu demonſtrauit. Dum haec fiunt ac geruntur, vndiquaque confluunt ad noſtram vrbem peregrini. Vt quisque dies feriis noſtris exſtitit proximus; ita maxima aduentantium multitudo viſa, qui inſolita haec ſacra ſpectatum huc venere. Summum vero iisdem conciliauit ſplendorem legatorum perilluſtrium atque excellentiſſimorum, ANDREAE SIMSONIS DE BIECHLING, et IO. FRID. DE HENDRICH ad noſtram vrbem aduentus, quorum ille a ſereniſſimo Meinungenſium duce, hic a reliquis academiae conſeruatoribus clementiſſimis ad ferias noſtras cum concelebrandas; tum ornandas fuerat miſſus. Neque vero non admodum honorificas ſibi muſae noſtrae duxere exterarum academiarum, ſacrorum horum cauſſa, ad ſe legationes, Erfordienſis nominatim, Helmſtadienſis et Erlangenſis, quarum haec PHILIPPVM LVDOVIC. STATIVM MVLLERVM, illa IO. ERNESTVM SCHVBERTVM, iſta RVD. CHRISTOPH. HENNIVM et SIGISMVNDVM HADELICHIVM delegauerat, viros cum ob egregia, quae quisque dudum ſibi comparauit, in litteras merita; tum quod publica auctoritate miſſi huc venerant, ſum-



* prodiit ea cum ſeparatim, inſcripta: *die erfüllte Hofnung einer iubilirenden hohen Schule bey kummervollen Zeiten*, tum in his *actis* p. 301.

ſumma dignitate conſpicuos, qui magno ſacris noſtris ornamento fuere.

POSTQVAM laetiſſimus ille ſacrorum ſecularium dies illuxerat, cum prima luce ex vrbani templi turri plateae et vici et aedes cantu vocum ac tibiarum tympanorumque aeneorum ſonitu percrepuere. Cantabatur carmen ſacrum et ad laudes dei celebrandas compoſitum, vt prima, quae audiretur, ſecularis vox numini eſſet dicata, cuius gratiae et prouidentiae vniuerſa huius academiae per tantum temporis ſpatium ſalus et incolumitas et ipſa tot votis expetita lux debebatur. Primus iſte, qui in ſacris his exortus fuerat, dies rebus diuinis faciundis fuit deſtinatus. * Itaque hora octaua conuenere in ſenatus academici curiam, quotquot ad ducendam pompam ſollemnem inuitati fuerant. Inde, quaſi ex Capitolio, itum in forum, ex foro in templum vrbanum. Qui choros praeirent, ex litteratae ciuitatis flore delecti, ſic fuerant diuiſi, vt ſingulis procedentium ordinibus, ſe inuicem ſubſequentibus, ſingulares ductores dati eſſent, modo plures: modo pauciores, pro ipſa ordinis, quem praeceſſere, dignitate. Quanta tum multitudo, quanta vis hominum fuerit, qui pompam hanc ſpectatum confluxerant, vix dici poteſt ac narrari. Tecta referta ac laborantia: oppletae vndique viae: forum, aduolantium turba obſeſſum quaſi ac paene ſuffuſum, imaginem ſecularium Romae veteris ſacro-

rum

* ſacrorum horum ratio, a ſupremo vinarienſi ſenatu ſacro iuſſu ſereniſſimi principis praeſcripta typisque mandata, recuſa legitur in his *actis ſecular. acad. ienenſ.* p. 299. Omnium vero ſecularium caerimoniarum per ſingulos feſtos dies ordinem ſenatus academicus definiuit ſingulari libello, inſcripto: *kurze Beſchreibung der Solennitaeten bey Feyrung des den zweyten Februar.* 1758. *ſeinen Anfang nehmenden zweyten Iubilaei academici der ienaiſchen Vniverſitaet.*

rum quodammodo referre videbatur. Sic totum ſplendidum agmen, inter tubarum tympanorumque e duabus turribus clangorem lente et grauiter procedens, ad ſacra facienda templi foribus adpropinquat.

Vix limen intrauerat ſenatus academicus, quum inter fidium tibiarumque praeclaros concentus tubae et aenea tympana, iucundiſſimo et ad reuerentiam animis incutiendam aptisſimo ſtrepitu, perſonarent. * Suum quisque locum occupat. Ipſa ſacra ad eum modum, quo iuſſu ſereniſſimi principis noſtri, rectoris academiae magnificentiſſimi, a ſupremo ſenatu ſacro imperata fuerant, rite peraguntur. A ſacrorum antiſtite, ſumme reuerendo viro, IOANN. GEORGIO ZEISSINGIO oratio ſacra, ** grauitatis pleniſſima, ad concionem habetur, eodemque verba praeeunte, ſollemnis precatio fit, vt numen ſupremum volens propitiumque ſacris his adeſſet eaque fauſte, proſpere ac feliciter academiae, ſenatui ac ciuibus euenire iuberet,

 coepta

* *carmina ſacra ſecularia,* quae in templis, et vrbano et academico, rebus diuinis faciundis ad fidium tibiarumque ſonum chorus muſicus praecinuit, prodierunt tam ſeparatim, inſcripta: *Cantaten, welche bey dem zweyhundertiæhrigen StiſtungsIubelfeſte der ienaiſchen Akademie* 1758. *am Sonntage Sexageſimæ, am Mariæ ReinigungsTage vnd am Sonntage Eſtomihi theils in der HauptKirche zu St. Michaelis; theils in der CollegenKirche von daſigem choro muſico vnter der Direction des Cantors* IO. ADOLPH. SCHLEGELS *aufgeführet worden, verfertigt von* IAC. FRID. SCHMIDT *reu. miniſt. candid.* quam in his *act. ſecul. acad. ienenſ.* p. 345.

** *die groſe Glückſeligkeit derer, die auf hohen Schulen als heiligen Stædten ſich befinden, an dem zweyten akademiſchen IubelFeſte aus dem* LXXXVIII *pſalm v.* 5-8. *in der Haupt- vnd StadtKirche zu Iena vorgeſtellet von* D. IO. GEORG. ZEISSINO. Sic inſcripta prodiit viri ſumme reuerendi oratio ſacra, translata deinde in haec *acta*, p. 312.

coepta adprobaret ac fortunatissimum daret seculum. Cantata quoque carmina sacra deo optimo maximo, praesidi ac custodi huius vrbis et academiae. Omnia pie, decore, religiose ac vniuersa multitudine linguis, vt aiunt, fauente sunt peracta, adeo, vt, si rerum principiis omina inesse solent, ex primis his auspicato susceptis votis aureum academiae seculum augurari quisque posset. Rebus diuinis rite perpetratis, senatum academicum, qui ante comitati fuerant, eumdem, in curiam reuertentem, sequuntur, reuersum faustis adclamationibus excipiunt. Sacrum pomeridianum iisdem caerimoniis ac ritibus initum ac procuratum est. Concione in templum vrbanum conuocata, verba ad populum fecit vir summe reuerendus EHRHARDVS EHRHARDT * votisque iam nuncupatis noua pro huius musarum templi firma ac perpetua incolumitate addidit ac simul, quanta academiarum sit dignitas: quot nobis de huius litterarum officinae constanti per duo secula flore laetandi data sint argumenta, quamue luculenter in eadem condenda supremum numen infinitam suam prouidentiam fecerit cognitam, grauiter demonstrauit.

RELIGIOSVM hunc diem insequutus est alter, quo vix splendidiorem vnquam vel nostra; vel maiorum aetate vrbs vidit, siue pompae secularis ornatum et magnificentiam; siue

* *Iesus als das Urbild, zu einer gottgefælligen akademischen IubelFeyer, wurde an dem zweyten IubelFeste der ienaischen hohen Schule in der StadtKirche des Nachmittags aus Luc. I, 21. 22. vorgestellet vnd auf Verlangen dem Drucke übergeben von* D. ERHARD ERHARDT, *hochfürstl. Sæchsisch. ConsistorialAssessor vnd Archidiacono.* Sub hoc titulo laudati summe reu. viri oratio sacra in lucem data, *actis* his accessit, inque istis legitur p. 324.

siue ipsorum huius diei sollemnium sumtuosum adparatum; siue conuiuii secularis amplitudinem; siue epularum copiam et opulentiam; siue reliqua conuiualium deliciarum genera, non sine magno impendio parata, cogitare velimus. Ducebatur agmen ab iisdem, qui praeterito die hoc officio functi fuerant, ex curia academiae in eiusdem vicinum, quod a diuo Paullo nomen habet, templum. Intrantibus per vestibulum et per portam maiorem ad altare se flectentibus solium sese offerebat principis, purpura et auro nitens et militum manu stipatum, ad quod per quatuor adscendebatur gradus. Supra sellam, solio impositam, imago cernebatur rectoris magnificentissimi, vt, sicut in animo; ita in oculis ferretur indulgentissimus et musarum nostrarum amantissimus princeps: vt, quasi praesenti, debitus ipsi honor haberetur, pietate, non adulatione, apud veteres olim haud infrequente, qua reges et principes absentes in imaginibus et statuis tamquam praesentia numina colere ac venerari solebant. Solio huic ex aduerso posita erat superior et oblonga cathedra, velis, ex holoserico conflatis, pulchre vestita. Hic fuit praeclarus templi nostri academici eo die adspectus, hic eius splendor, quum tota secularis pompa vna cum amplissimo comitatu inter tubarum et aeneorum tympanorum sonitum per incredibilem hominum multitudinem, velut per spissam aliquam nubem, in istud se ad horam decimam pomeridianam inferret. Vt primum suum quisque locum occupauerat, dulcissimus fidium tibiarumque sonus compleuit aures, tum ad eorumdem instrumentorum concentus veterum more carmen seculare * cantitatum, cuius festiuitati haud parum gratiae accessit ipso cantu, etsi latinum

* separatim istud prodiit itemque versio eius germanica. Latine exstat in his *actis secul.* p. 26. sq.

latinum id eſſet et generis alcaici; artis tamen, quas muſicae periti noſtra aetate praeſcribere ſolent, legibus ſcite adſtricto et genio noſtri ſeculi adprime adcommodato. Sequuta eſt oratio ſecularis, * a viro ſumme reuerendo CAROL. GOTTH. MVLLERO, tum eloquentiae et poeſeos profeſſore, habita, qua totius academiae nomine praeteritum ſeculum ſollemni ritu obſignatum, nouum debita erga ſupremum numen pietate fauſtis ominibus exceptum et, quanta noſtrae academiae, praeteritorum annorum ſpatio, in omnes diuinae pariter ac humanae ſapientiae diſciplinas merita fuerint, praeclare monſtratum fuit. Totius huius ſollemnis caerimoniae finem fecere ad neruorum tibiarumque concentus alteram carminis partem ſcite modulantium voces.

EST in vrbe palatium principis, haud ita diu nitide reparatum, in quo multa perampla eaque ornatiſſima ſunt conclauia; inprimis vero coenaculum ſpatioſiſſimum, opere tectorio affabre factum, et, calce coloribus et pigmentis tincta, egregie et pereleganter pictum. Quod quum ad conuiuium ſeculare tum ob amplitudinem; tum propter ornatum aptiſſimum eſſet viſum eiusque liberum vſum a clementiſſimo principe obtinuiſſet academia, poſt finitam orationem eo, velut ad aliquam publicae hilaritatis ac laetitiae aedem, eodem ordine, quo antea ad templum Paullinum, ſenatus academicus cum vniuerſo ſplendidiſſimo comitatu conceſſit. Itum eſt per collegii academici plateam ad forum, ex foro ad palatii veſtibulum, vbi milites, ſub ſuis ductoribus, ad munia militaria exſequenda debitumque honorem, ſereniſſimorum ducum legatis habendum

* vide eam in *actis ſecul.* p. 8. ſq.

dum, parati ſtetere, inde in palatium. Epulum, quod ibi ſenatus academicus dedit, ſi conuiuantium numerum ſpectes, ampliſſimum, ſi adparatum et modum, lautiſſimum et ſumtoſiſſimum fuit. Diſcumbentium ſupra ducentos et quinquaginta fuere. Menſae conquiſitiſſimis et rariſſimis cibis cum in coenaculo; tum aliis conclauibus erant inſtructae. Tanta profecto eſculentorum et poculentorum fuit varietas et multitudo, vt nullum, quod vel in cibis; vel in potu eſſe poteſt, deliciarum genus deſideraretur. Ne quid ad conuiuii ornatum deeſſet, adſciti ſereniſſimi principis indulgentia ex eius ſeruorum familia peritiſſimi coqui, piſtores, conuiuii conditores huiusque generis alii artifices, quorum cura et opera factum eſt, vt, quot ſaporum deliciae et voluptatis genera; tot quoque oculis oblectamenta parata eſſe, viderentur. Eſt praeterea hodie in aulis principum ſingulare conuiuii inſtructorum genus, quod ex diuerſi coloris ſaccharo eiusque in primis puluere et alia materia tabulas, picturas, ſigna, imagines et ſtatuas ſcite, neque ſine magna elegantia, conficit, quae, menſae impoſitae apteque coniunctae, vix dici poteſt, quam amoenum praebeant conuiuantium oculis ſpectaculum. Neque hoc voluptatis genus ſeculari noſtro conuiuio deeſſe voluit principis noſtri ſingularis erga hanc academiam gratia. Ipſae figurae, quae in conſpectum ſeſe dederunt, ita fuere comparatae, vt fata fortunaeque viciſſitudines, quas academia noſtra a primis ſuis incunabulis habuit, et florentiſſimum eius noſtra aetate ſtatum vno quaſi obtutu ex iisdem cognoſcere liceret. * Menſam praeterea



* ſumtuoſi huius ornatus conuiualis deſcriptio legitur in *der Beſchreibung vnd Erklærung des bey dem dritten Febr.* 1758. *angeſtellten Tractements in der academiſchen*

terea in coenaculo primam, ad quam serenissimorum ducum et academiarum legati, illustrissimi comites; et maxima patrum academiae conscriptorum pars accubuere, mirum in modum ornarunt vasa conuiualia principis nostri pretiosissima, aurum et argentum eiusdem potorium ac reliqua ad epularem accubationem necessaria supellex multorum nummorum. Ne conuiualia aurium oblectamenta inter epulandum desiderarentur, collegium, quod hic floret, musicum laudabiliter curauit. * Ita conuiuium hoc, tam sumtuose et opipare adparatum, inter dulcissimos neruorum tibiarumque cantus hilarem in modum et communi laetitia celebratum est. Omnia decore acta. Quisque deinde accubantium, conuiuio egressus, hausto in aliis palatii conclauibus, vt seculi nostri mos est, potu, ex tostis fabis arabicis parato, laetus domum suam tempore vespertino discessit. Nefas profecto foret, hoc loco singularem perillustris atque excellentissimi viri, CAROLI FRIDER. KALTSCHMIDII, humanitatem celare ac debitas ipsi in hoc sollemni sacro summas laudes reticere. Totius enim huius secularis diei adornandi omnisque in eo festiuitatis supremam curam, vt aliarum rerum, ad sacrorum horum splendorem spectantium, procurationem in se deuolui, pro suo erga academiam amore, vir celeberrimus comiter passus est.

SVNT

*schen Iubelfeyer zu Iena von dem Herrn HofConditor Oettelt, Herrn HofMahler, Klessen und Herrn Conditor bey Ihro hochgraeflichen Excellenz, dem Herrn Statthalter Grafen von* BVNAV, *Herrn Ienstahl verfertigten Desserts.* Eadem accessit *actis* his *secul.* p. 400.

* cantiunculae, a collegio musico scite tum decantatae, prodierunt, praefixo titulo: *Streit zwischen Phoebus und Pan, eine dramatische Cantate, wurde an dem ienaischen zweyten UniversitætsIubilæo auf dem fürstlichen Schlosse in einer Tafelmusik aufgeführet von dem collegio musico daselbst.*

Svnt in hac vrbe duae litteratae societates, fororio vinculo inter fe coniunctae, quae academiam hanc matris loco habent, inque eius finu fouentur ac crefcunt. Altera teutonica eft; latina altera: illa vernaculam, haec veteris Latii linguam colit. Illa teutonico, haec romano habitu elegantiores mufas pulchre veftire earumdemque fplendorem et elegantiam ab iniuria et contemtu grauiter vindicare ftudet. Nefas profecto fuiffet, fi in hoc communi gaudio, quo certatim quisque intenfisfimi gaudii figna proferebat: in hac publica omnium laetitia conticuiffent filiae; nec matri fuae, in cuius conftanti et perpetua falute firmiffimum fortunae et dignitatis habuere praefidium, follemnia fummae pietatis maximaeque laetitiae pignora dediffent. Neque vero non gratum acceptumque effe poterat ipfum hoc vtriusque focietatis confilium fenatui academico, qui, quantum adferant adiumenti eiusmodi fodalitates ad litterarum politiorum florem conferuandum: quot iisdem ad artium liberalium culturam admoueantur ftimuli quafi et igniculi animis ciuium, per quinque fere luftra ipfo harum focietatum exemplo fatis fuperque fuerat expertus. Itaque placuit patribus confcriptis, tertium in his feriis diem vtriusque fodalitii facris praeftituere iisque cum follemni comitatu adeffe ac monimenta fpectare, quibus fuae in academiam pietatis memoriam vtraque cum Latii; tum Germaniae mufarum cultui dicata cohors erat confecratura. Vt facra haec aufpicato fierent, focietas teutonica academiae, latina fuo nomine litteras publicas ad templi vrbani valuas, vt fieri apud nos folet, adfigendas curauerat, quibus totum hoc vtriusque confilium et, quae facrorum horum ratio, quae cauffa effet, expofitum et, vt facrum hoc ciuium omniumque bonorum

 frequen-

frequentia cohonestaretur, decenter rogatum fuit, addita sollemni precatione, vt, quod in animo haberet vtrumque collegium, fauste prospereque litteratae huic reipublicae eueniret. * Teutonicae societatis sacra horis antemeridianis in hunc fere modum peracta sunt. In aedibus viri summe reuerendi CAROL. GOTTH. MVLLERI, societatis huius senioris meritissimi, hora nona conuenere, qui pompae interesse eamdemque comitatu suo ornare debebant. Honorifice ibi inter tubarum tympanorumque sonum a sodalibus teutonicis excepti, in conclauia ducebantur, in quibus mensae erant, variis vini generibus instructae, adpositis simul bellariorum deliciis, quibus hilariter fruerentur, qui ad sollemnem coetum ornandum fuerant inuitati. Ad horam decimam ipsorum sacrorum initium fuit. Signum datum tubis tympanisque aeneis, quibus cum ex aedibus Mullerianis; tum ex curiae academicae turri suauiter sonantibus, sodales per forum in templum Paullinum comitatus est senatus academicus. Serenissimorum Saxoniae ducum et exterarum academiarum legati, eo iam curribus vecti, sacra haec spectatum concesserant. Ipsum agmen eiusque ordines praecedebant et sequebantur delecti ex litteratae nostrae ciuitatis flore tam genere; quam virtute praestantissimi iuuenes. Quum templo illatum procedentium agmen consedisset, peritissimi tibicines fidicinesque auditi sunt et voces sonorae, carmen, academiae laudibus dicatum, scite et apte modulantes. ** Tum surrexit, verba

* programma societatis teutonicae inscriptum est: *der teutschen Gesellschaft zu Iena feyerliche Begehung des zweyten Iubelfests der ienaischen hohen Schule kündigt in dieser EinladungsSchrift an, der ienaischen Academie Prorector,* D. IO. CHRIST. STOCK, *nebst dem academischen Senate.* Legitur in his *actis* p. 351.

** carmen hoc seculare, a viro amplis. BALTH. MVNTERO fusum, primum separatim

verba ad concionem facturus, illustrissimus FRIDERICVS VLRICVS, comes DE LYNAR, potentissimo Danorum regi ab interioribus cubilis, cuius in suum collegium cooptatione nihil honorificentius sibi contingere potuisse, dudum cognouit vtraque societas. Orationem non solus generis, vnde sanguinem excellentissimus orator duxit, quantumuis maximus, splendor, non sola illustrissimae eius familiae meritorum amplitudo et copia; sed natiua quoque et permagna elegantia, tum argumenti dignitas et exquisita pertractandi ratio mirum in modum commendarunt. Illustrissimus enim orator magna academiae nostrae in musas mansuetiores merita tanta festiuitate, quanta grauitate persequutus, praeclare demonstrauit, eam, vt reliquarum; ita maxime politiorum disciplinarum florentissimam officinam omni tempore fuisse: habuisse et habere adhuc apud nos litterarum, quae ab humanitate nomen ducant, studia fortunatissimas sedes; nec vnquam viros ipsi defuisse praestantissimos, quorum cura et opera illarum dignitas ac praestantia ab iniuria et contemtu grauiter aeque ac feliciter esset vindicata. * Finita oratione et, qui eam insequutus est, cantu, societati, ad Mullerianam domum reuertenti, senatus academicus comitem sese praebuit eamdemque non sine multis

 pro

paratim hoc praefixo titulo, prodiit: *Cantate, welche bey der von der teutschen Gesellschaft dem academisch. Iubelfeste gewidmeten Feyer nach der Composition des hochfürstl. Mecklenburgischen und Lubeckischen CapellMeisters, Herrn Kunzen, von dem Collegio Musico aufgeführet worden.* Translatum deinde fuit in *acta* haec *secular. acad. ienens.* p. 366.

* illustrissimi comitis oratio legitur in *der ienaischen teutschen Gesellschaft der schönen Künste und Wissenschaften Iubelschriften*, p. 32. et in his *actis* p. 359.

pro conſtanti eius ſalute votis laetisque rerum futurarum auguriis domum diſceſſurus reliquit.

Pomeridianvm huius diei tempus Latii muſis earumdemque ſacris, vt ſupra diximus, a ſenatu academico dicatum fuit.* Horum adparatus idem propemodum fuit, quem matutini ſacri fuiſſe, audiuimus. Eodem enim modo, quo ante meridiem; iam vero in aedibus parentis venerandi, io. georg. walchii, excepti ſunt patres academiae conſcripti et omnes, qui cum honoris, tum officii cauſſa pompae huic interfuere. Pari modo diuerſa poculentorum et eduliorum genera inuitatis praebita: idem comitatus ſplendor: eadem feſtiua inter tubarum tympanorumque aeneorum clangorem in forum, hinc in templum academicum procedendi ratio. Neque ibi defuere exquiſitiſſimae fidibus tibiisque inflatis aurium deliciae, quum carmen latinum, ſacrorum horum ſecularium memo-

* ſocietas latina ſingulari libello ſcripta, in ſacrorum horum academiae noſtrae ſecularium honorem et memoriam exarata, collegit eaque in lucem publicam emiſit, titulo praefixo: *tertium academiae ienenſis ſeculum a ſocietate latina piis votis fauſtisque adclamationibus exceptum,* Ienae, CIↃ IↃCC LVIII. 8. In hoc libello continentur: I. *programma ſocietatis,* antea ſeparatim editum, poſtea etiam in *acta* haec p. 73. translatum: II. *oratio ſecularis,* a me, ſocietatis directore, habita, *actis* iisdem p. 79. poſtea addita: III. *carmen ſeculare,* auctore adolph. christ. ernest. ab vefel, equite Miſnico, quod etiam in laudatis his *actis ſecular. acad. ienenſ.* p. 97. legitur: IIII. *oda ſecularis, ſcripta* a ivstino schneegass, *Goldbaco-Gothano, et ad fidium tibiarumque concentus a collegio muſico decantata,* in *actis,* p. 102. V. *plauſus votiui ſodalium aliquot exterorum.* VI. *carmen ſeculare ſuo pluriumque ſodalium exterorum nomine ſocietati latinae dicatum a* io. frid. schoepperlino: VII. *pro pace votum feriis Chriſto recens nato ſacris nuncupatum et ad ſocietatem latinam, ſacra academiae Ienenſis ſecularia breui celebraturam, transmiſſum a ſocietatis ſodali honorario.*

memoriae consecratum, scite et suauiter cantaretur. Personam oratoris ipsemet ego induere, a societate iussus, summam academiae ienensis ex tristioribus eius fatis gloriam ita sum persequutus, vt, quot calamitatibus exposita haec musarum sedes cum maiorum; tum nostra aetate fuerit; tot eamdem prouidentiae et singularis curae diuinae documentis nobilitatam fuisse prouidumque numen secundioris fortunae semina omni fere tempore specie et simulacris iniquioris fortunae apud nos voluisse occultare, pro virium modo ostenderem. Quum dicendi finem fecissem, vir illustris ac generosissimus, ADOLPHVS CHRISTIANVS ERNESTVS AB VFFEL, societatis collega et insigne huius ordinis ornamentum, suggestum conscendit; neque sine magno auditorum plausu egregium et omni fere numero perelegans carmen seculare memoriter recitauit. Vltimam disertissimi poetae vocem excepit grauissimus acutissimusque tympanorum tubarumque sonus, admistis per vices tibiarum modulate canentium, et fidicularum numerose sonantium, alternis vocibus. His apte concinentibus latine quoque cantatum suauiter fuit. Omnia prospere, feliciter, neque sine bonis ominibus adclamationibusque faustissimis peracta sunt. Ne quid ad sacrorum horum splendorem deesset et, vt ad ipsam eorumdem, quantumuis gratissimam, memoriam nouum dignitatis genus societati accederet, adsciti in hoc collegium sunt septem noui sodales, * cum generis dignitate; tum insignium in

*) nimirum perillustres atque excellent. serenissimorum ducum legati: ANDREAS SAMSON A BIECHLING, sereniss. ducis Meiningens. a consiliis intimis et FRIDERICVS AB HENDRICH, sereniss. Saxo-Vinar. ducis sacri senatus superioris praeses vicarius, et a consiliis regiminis intimis; praeter hos vero viri

in litteras meritorum copia et amplitudine excellentiſſimi viri, in quorum patrocinio ac beneuolentia tanto firmius futurae ſalutis atque incolumitatis praeſidium ſitum ſibi fore, auguratur; quo illuſtriora exſtant eorum ſingularis in Latii veteris muſas amoris ac fauoris documenta. Societas deinde eo, vnde exierat, vna cum ſenatu et comitatu reliquo reuertitur, eoque inter mutua effuſiſſimae fauſtaque multa praeſagientis laetitiae ſigna dimiſſo, popularium munerum, ſequenti die edendorum, adparationem meditatur.

Finitis vtriusque ſocietatis ſacris, nondum finita erat huius diei celebritas. Fuit olim in more apud romanos poſitum, vt congiarium populo daretur; ſiue largitio ciuibus, quae omnibus aliquid impertiret hilaritatis cunctosque in communis laetitiae adduceret ſocietatem. Tale congiarium litteratis noſtris ciuibus praebere inque eos omnes gaudii publici partem deriuare, quum aequum viſum eſſet patribus conſcriptis, vniuerſa multitudo in curiam academicam veſperi conuocatur. Aduolant vndiquaque muſarum alumni ſeque in ſpatioſiſſimas curiae exedras cateruatim inferunt. Accenduntur lumina et exedra maior lucernis plurimis vitreis, oleo coloribus tincto, egregie illuſtratur. Adferuntur placentae, fruges idque genus alia multa gulae irritamenta, multae abdominis voluptates. Admouentur vaſa vinaria et ex plenis oenophoris large effuſeque omnibus ac ſingulis vinum rhenanum porrigitur. Per-

viri perilluſtres atque excellentiſſimi GOTTFR. NONNIVS, iuris vtriusque doctor, ſereniſſ. Saxo-Vinarienſis ducis a conſiliis intimis: IO. POPPO GREINERVS ſereniſſ. Saxo-Vinar. ducis conſiliis intimis adſiſtens, et CAR. FRID. KALTSCHMIDIVS phil. ac medicinae doctor, ſereniſſ. ducis Saxo-Vinarienſ. ab

Permagna ſimul eiusdem vini copia ponitur in medio, vt, quantum quisque potare vellet, haurire liberum eſſet. Lepida fuit comisſatio et rarum, hercle, atque inſolitum in Mineruae delubro Cereris et Liberi patris ſacrificium. Iniuriam profecto noſtris litteratae reipublicae ciuibus faceret vterque, tam qui circa vini dolia et lagenas ſegnes eosdem ac elingues; quam qui, ſui ſuaeque laudis adeo immemores fuiſſe, diceret, vt omnem inter pocula modeſtiam eieraſſe, eſſent viſi. Baccho aliquantulum litatum fuit; ſic tamen, vt noſtra muſarum cohors in hilaritatis, non in laſciuiae et effrenatae libidinis aede ſe verſari, recte exiſtimaret.

OMNIA haec tertio feriarum die, qui ſaturni fuit, geſta ac peracta ſunt. Quem quum religioſus cultuique diuino conſecratus inſequeretur; hunc ſine ſupremi numinis propter tanta beneficia laudibus tranſigere; neque res diuinas ad ſacrorum ſecularium tempus adcommodare, nefas propemodum viſum eſt ſenatui academico. Itaque in templo academico horis antemeridianis ſacrum ſollemne procurari placuit. Conuocata ad praeſtitutam horam concione, hymni a populo et inter concentus muſicos carmina ab artis peritis ad neruorum tibiarumque ſonum cantabantur. Oratoris ſacri munus in ſe deuolui pasſus venerandus parens meus, ſingularem dei optimi maximi in academia noſtra, tam condita; quam ad noſtram



ab intimis camerae conſiliis, ſereniſſ. marchionis Brandenb. Culmbacenſis et ſereniſſ. Landgr. Haſſo-Darmſtadienſis a conſiliis aulae, eorumdemque medicus, anatomiae, chirurgiae et botanices profeſſor publicus ordinarius et medicorum ordinis ſenior; vir porro ſumme reuerendus SIGISM. BASCHIVS, theol. doctor et ſacrorum in aula, vrbe et ducatu Vinarienſi antiſtes: vir denique cel. ANG. MARIA BANDINIVS, bibliothecarius Florentinus.

aetatem conferuata praefentiam demonftrauit, infinitamque numinis vim, inprimis eius gratiam, prouidentiam ac potentiam in tanto hoc opere cum inchoando; tum perficiendo mirum in modum confpicuam fuiffe, fatis fuperque comprobauit. *

Eodem hoc die focietas latina fodalibus fuis omnibus ac fingulis, tam iis, quos in finu fuo hic fouet; quam qui ab eadem inuitati facra eius concelebratum huc venerant, conuiuium in aedibus meis dedit. Etfi enim in ipfis his fecularibus otiis cum academiae noftrae per tot annorum decurfum et in tanta fatorum varietate floris conftantia; tum ipfa fecundioris fortunae, qua Latii mufae adhuc vfae fuerant, recordatio largiffimam fodalibus praebere poterat laetandi materiam, adeo, vt gaudii fat multa fe habere inuitamenta; neque in poculis quaerenda fibi noua effe, recte exiftimaret focietas; noluit tamen committere, vt vel ipfa, quae aeui noftri confuetudo requirere videatur, laetitiae publicae figna his eius facris ac follemni caerimoniae deeffent. Itaque hoc die non folum opipare et hilariter epulata eft tota focietas genioque feculi indulfit; fed etiam in academiae honorem ad primam noctem popularium munerum genus inftituit. Poftquam enim ipfum conuiuium laetos inter fermones ad vefperam vsque tractum fuerat, poft folis occafum aedes meae, luminibus et picturis illuftratae, periucundum in his feriis fpectaculum praebuere, maxima hominum, vndique confluentium, frequentia ad mediam fere noctem celebratum. Oculos mirum in modum pafcebat picturarum

* venerandi patris oratio facra infcripta: *die Herrlichkeit des Herrn auf der Vniverfitat Iena,* primum feparatim in lucem publicam emiffa, deinde in *acta* haec *fecularia* translata eft, p. 335.

rarum, luminibus illuſtratarum, varietas et pulchritudo, * cui voluptatis generi ne aurium oblectamentum deeſſet, peritos tibicines fidicinesque in ſuperiore aedium parte collocauerat ſocietas, inſtitueratque, vt alternis vicibus modo aures dulciſſimo neruorum et tibiarum cantu permulcerentur; modo tota vicinitas acutiſſimo tubarum tympanorumque ſtrepitu perſonaret. Ipſi ſodales, vt hos, quos inſtituerant, ignes ludicros propius commodiusue ſpectarent, finito prandio in conducta aedium, illuminatis oppoſitarum, conclauia conceſſerant. Hauſto ibi potu, ex indicis fabis cocto, factaque poſtea coena frugali, feria et iocos inter pocula ad mediam fere noctem ſic celebrarunt, vt, quantam publica laetitia in animis eorum habuerit vim, quamue ipſis cara eſſet huius academiae ſalus et incolumitas, quilibet haud obſcure poſſet intelligere.

VETVS eſt haec conſuetudo, vt in ſacris academiarum ſecularibus honores diſtribuantur ſummaque eruditionis et virtutis praemia, quibus ipſa totius religioſae caerimoniae memoria tamquam ampliſſimis monimentis ſolet conſecrari. Cuius inſtituti vt in his quoque feſtis diebus ratio haberetur, cum recepta maiorum aetate conſuetudo; tum ipſa horum dierum ſollemnitas iure quodam ſuo poſtulare videbantur. Captis igitur iam ante primum feriarum diem per litterata, vti mos eſt, cer-



* imaginum harum et totius huius feſtiuitatis adcuratam deſcriptionem dedit vir ampliſſimus IO. CHRIST. CRAMERVS praefatione, quam *tertio academiae ienenſis ſeculo, a ſocietate latina piis votis fauſtisque adclamationibus excepto* iuſſu iſtius praemiſit. Prodiit quoque ignis huius ludicri germanica deſcriptio, cui titulus: *kurze Nachricht von den Bemühungen der lateiniſchen Geſellſchaft zu Iena, zur Verſchönerung der zwoten akademiſchen IubelFeyer, insbeſondere die von ihr angeſtellte Illumination betreffend.* Videantur *acta* haec *ſecularia* p. 403.

tamina in curiae academicae palaeſtra auſpiciis, id actum eſt, vt viris, et munerum, quibus funguntur, dignitate; et meritorum in litteras ſibique comparatae eruditionis laude ornatiſſimis ſupremi academiarum honores ſollemni ritu tribuerentur. Decretum ſimul ab academiae patribus fuerat, vt quinto feriarum ſecularium die theologorum * et iurisconſultorum: alio, qui commodus videretur, medicorum et philoſophorum ordo, candidatos ſuos in publicum ſollemni pompa produceret, inque eos ſumma eruditionis ac virtutis praemia in templo academico, loco caerimoniis his deſtinato, more inſtitutoque maiorum conferret. Id quod quum ratum haberetur, dicto illo die ad horam matutinam nonam in aedibus venerandi parentis conuenere omnes, qui ad pompam hanc ornandam ab vtroque theologorum et iurisconſultorum collegio vocati fuerant. Intrantibus per veſtibulum tubis occinebatur, intonante ſimul aeneorum tympanorum voce. Neque hic defuere matutina bellariorum; varii generis oblectamenta, quibus hoſpites et quicunque aderant, quantum cuiuis liberet, vterentur. Praeeuntibus more conſueto tubicinibus octoque profeſſorum liberis pulchre veſtitis, quibus tot pictae ac coronatae ardentes faces praeferebantur, totius huius ſollemnis pompae itus et ambitus ex platea ioannea in forum, ex foro in templum academicum fuit

* theologorum ordinis nomine ad haec ſollemnia ſpectanda inuitauit vir ſumme reuerendus IO. CHRIST. KOECHERVS ſingulari programmate, cuius eſt inſcriptio: *Paullum apoſtolum potiori iure; quam diuum Petrum vniuerſalis eccleſiae doctorem adpellandum exiſtimandumque eſſe demonſtrat atque ad actum publicum, quo inter ſollemnia ſecularia ſecunda academiae ienenſis viri octo ſumme et maxime reuerendi d.* VI. *febr. doctorum theologiae titulo ornabuntur, humaniſſime inuitat* D. IO. CHRISTOPH. KOECHERVS.

fuit. Splendidum erat procedentium agmen, magna exterorum et ciuium, vndique conuolantium, turba ſtipatum. Quum ventum eſſet ad fores templi, omnia perſonuere tubarum tympanorumque clangore, fidicinum tibicinumque choro non ſine magno auſcultantium plauſu apte ſciteque concinente. Finito cantu, ſurrexit pater meus, ordinis ſui brabeuta, habitaque oratione de diuinae erga ienenſium theologorum ordinem prouidentiae documentis, * octo candidatos ſacrarum litterarum doctores ſollemni ritu renunciauit. Supremos deinde in iurisprudentia honores eodem die eodemque modo duo praeſtantiſſimi doctrinaeque laude inſignes viri ſunt conſequuti, perilluſtri atque excellentiſſimo IO. CASP. HEIMBVRGIO, brabeutae prouinciam adminiſtrante. ** Sollemnibus omnibus rite peractis, ſereniſſimorum ducum et exterarum academiarum legatis, patribus conſcriptis, eorum vxoribus multisque aliis ſpectatiſſimis ciuitatis noſtrae viris lautiſſimum epulum in principis palatio ab vtroque ordine datum fuit. Conuiuium ad veſperam vsque tractum eſt. Sequuta ſollemnis et magnifica ſaltatio, cum diluculo demum, vt ſolet, finita.

EADEM propemodum dicenda forent, ſi, quod aliquo tempore poſt in ſacrorum noſtrorum memoriam medicorum et philoſophorum collegium iunctim inſtituit, ſollemne ſacrum fuſe hoc loco deſcribere vellem. Quum vtriusque ordinis candidatis eadem virtutis et doctrinae laus merito deberetur, quam ſibi ſummorum in theologia et iurisprudentia honorum candidati comparauerant, neceſſe profecto viſum, vt laurea ipſis in templo academico iisdem quoque caerimoniis ſolito more tribueretur. Brabeutae munere in medicorum ordine vir perilluſtris ac celeberrimus CAROLVS FRIDERICVS KALTSCHMIDIVS: apud philoſophos excellentiſſimus atque amplisſimus



* legitur ea in *actis his ſecul. acad. ienenſ.* p. 33.

** viri per illuſtris eo tempore habita oratio exſtat *ibidem*, p. 41.

fimus IO. GOTTFR. TYMPIVS functus eſt. * Pompa ſollemnis eo die ex laudati perilluſtris KALTSCHMIDII aedibus, ad forum ſitis, in templum academicum ducta eſt. Si ab ipſis academiae ordinibus, quorum auſpiciis pompa haec inſtituta eſt, diſceſſeris, nihil profecto fuit, quod eamdem a priore, quam ſupra deſcripſimus, diſtingueret, par vtriusque amplitudo et dignitas, par comitatus ſplendor, par ſollemnium ipſorum adparatus, ſiue matutina in aedibus Kaltſchmidianis, antequam ipſe coetus in publicum procederet, inuitatis praebita eſculentorum et poculentorum oblectamenta; ſiue ſacrorum rituumque procurationem; ſiue ipſam, quum pompa duceretur, itus, ambitus et reditus magnificentiam cogitare velis. Finitis ſacris, lectiſternii inſtar, in Kaltſchmidianis aedibus conuiuium ab vtroque ordine datum fuit, lautiſſimum certe et ſumtuoſiſſimum. Cui vt nihil defuit vel ad cultum vel ad elegantiam; tum hoc quoque ſingulare eidem acceſſit decus, quod, praeter tres illuſtriſſimos comites, qui litterarum cauſſa apud nos commorantur, celſiſſimos comites ROCHVM FRIDERICVM DE LYNAR, potentiſſimo Danorum regi in publicis rebus a conſiliis intimis ducatuumque Oldenburgi et Delmenhorſti ſummum praeſidem, ac HENRICVM XXIII. iunioris lineae Ruthenum comitem, in conuiuis ſuis videre, vtrique ordini datum fuit.

EA eſt magnorum ſollemnium ratio, vt, quum finiantur, ipſe finis celebritatem habeat, isque non ſine laetis futurarum rerum auguriis conſtituatur. Cuius rei perficiendae cauſſa ſocietas teutonica, vt nouum ſuae erga academiam pietatis ederet ſpecimen, conuentum publicum in iurisconſultorum palaeſtra indixit, quo ſeculares academiae noſtrae feriae memorabili

* binas orationes, quarum altera perilluſtris KALTSCHMIDIVS, artis medicae: altera excellentiſſimus TYMPIVS philoſophiae candidatis ſummos in his litterarum diſciplinis honores impertiuit, vide in his *actis ſecularibus*, illam p. 47. hanc p. 58.

bili exitu boni ominis cauſſa concluderentur. Surrexit in eo vir illuſtris atque excellentiſſimus, IOACH. GEORG. DARIESIVS, SCHMAVSIIque noua, quibus is naturae leges inniti voluit, principia adcurate excuſſit ac diiudicauit. Poſtquam vir illuſtris dicendi finem fecerat, quaeſtionem: vtrum ope tubulorum vitreorum, quibus aëris grauitas explorari ſolet, locorum quoque altitudo definiri eorumque ſitus ratio rite illis expediri queat, in medium propoſuit nuper praematura morte exſtinctus vir excellentiſſimus atque ampliſſimus, BASILIVS CHRIST. BERNHARD. WIEDEBVRGIVS. Quod quidem argumentum WIEDEBVRGIVS noſter ſic perſequutus eſt, vt ex ipſa aëris natura atque indole, id ipſum, quod in hac cauſſa permulti voluerunt, ad τῶν ἀδυνάτων claſſem referendum eſſe, erudite demonſtraret. Finita oratione, ſplendidiſſima eorum ſodalium nomina, quos in ſacrorum horum ſecularium memoriam ſocietas honoris cauſſa ſibi adiunxerat, * in eodem conuentu a laudato beato WIEDEBVRGIO, dum viueret, eidem ab epiſtolis, publice recitata ſunt.

HIC finis, hic exitus ſacrorum noſtrorum ſecularium fuit. Magnificam et ſumtuoſam et tanta luce digniſſimam omnem eorum procurationem fuiſſe, quiuis facile perſpiciet. Nos vero deum optimum maximum, litteratae huius reipublicae cuſtodem et conſeruatorem, precamur, vt tot praeclaris academiae huius in omne litterarum genus meritis famae et gloriae conſtan-

* ſunt vero: ſereniſſimus princeps ac dominus, FRIDERICVS GEORGIVS dux Brunſuico-Beueranus: illuſtriſſimi imperii comites ac domini, CHRISTIANVS ERNESTVS, comes imperans Stollberga-Wernigerodanus, aquilae nigrae eques: HENRICVS ERNESTVS, comes Stollberga-Wernigerodanus, eques Danebrogicus et Halberſtadienſis ſcholaſticus: HENRICVS VI. comes Ruthenus, ſupremus totius comitatus Sonderburgenſis praefectus, eques Danebrogicus, et potentiſſimi Danorum regis a conſiliis intimis: ROCHVS FRIDERICVS, comes de LYNAR, potentiſſimi Danorum regis in publicis rebus a conſiliis intimis, comitatuum Oldenburgenſis et Delmenhorſtii ſummus praefectus, et eques Danebrogicus.


ſtantiam: eius venerandae ſenectuti vigoris et viriditatis perpetuitatem: omnium bonorum pro eius ſempiterna ſalute in hoc ſollemni ſacro votis euentum laetiſſimum et binis his praeterlapſis academiae ſeculis tertium florentiſſimum et vere aureum addat. Tantae huius, quam pro academia oramus, et paene inuidendae felicitatis certiſſimum pignus in ſereniſſimis illius conſeruatoribus: in diuinitus nobis data ſereniſſima ANNA AMALIA noſtra, ducum Brunſuicenſium et Saxonicarum omnis memoriae ſummo et immortali decore: in terrarum noſtrarum palladio, in hereditario, inquam, principe noſtro ſereniſſimo, CAROLO AVGVSTO eiusque celſiſſimo fratre FRIDERICO FERDINANDO CONSTANTINO conceſſum nobis eſſe, iure meritoque laetamur. Has noſtras delicias, tantam hanc tantae ſpei principum genitricem deus nobis conſeruet numineque ſuo, cuius praeſentiam a primis ſuis incunabulis academia haec mirifice experta eſt, efficiat, vt in hoc ſanctiſſimo muſarum templo litterarum ac honeſtiſſimarum artium ſtudia omni tempore floreant, vigeant, et in dies maiora dignitatis ſuae incrementa nanciſcantur. Sit academia noſtra perpetuum idque firmiſſimum religionis purioris propugnaculum: florentiſſima ingenuarum et liberalium diſciplinarum officina: tutiſſima omnis diuinae pariter ac humanae ſapientiae ſedes. Id ſi dederit nobis benigniſſimus deus, poſteri, ſi quando tot fauſtas in his feriis adclamationes legerint, auſpicatiſſimum nobis ſacrorum ſecularium tempus contigiſſe, vt manibus noſtris bene ſit, precaturi fatebuntur. Ienae d. III ſept.

CIϽ IϽ CC LVIIII.



SCRIPTA

# SCRIPTA
# LATINA




# SCRIPTA ACADEMIAE IENENSIS NOMINE EXARATA.

## I.

## PROGRAMMA ACADEMIAE SACRA SECVLARIA INDICENTIS

### PRORECTOR ET SENATVS ACADEMIAE IENENSIS



INTER ludos, quos ſuperba celebrauit olim Roma, omnibus rerum romanarum peritis longe multumque memorabiles viſi fuerunt ſaeculares, vtpote qui et ſplendidiſſimo caerimoniarum apparatu, et inuſitata ſacrificiorum multitudine, et inſigni ſumtuoſorum ſpectaculorum pompa, omnibus reliquis antecelluerunt. Lege idcirco, quod poſtulauit omnino ludorum horum celebritas, ab ipſis romanis cautum erat, vt imminente illorum tempore, per totam

Italiam mitterentur praecones, conuocaturi omnes ad ludos, quos spectasset adhuc nemo, nec vmquam spectaturus esset. Non est profecto, quod miremur, si sacra academiarum saecularia, cum ob dignitatem suam, tum ob sollemnitatem, et quod rarissima ea sunt, ab eruditis, aequis harum rerum aestimatoribus, cum ludis hisce comparata fuisse legamus. Varia autem, qui de ludis romanorum commentati sunt, commemorant ludorum genera: quos partim ad publicos, deorum in honorem, siue etiam ob templorum dedicationem, institutos, partim ad priuatos, in magistratuum honorem editos, referunt. His, vna cum pluribus aliis, triumphales ludos, post insignes victorias celebratos, siue etiam in victoriarum, iam olim ab hostibus reportatarum, memoriam instauratos, iure omnino accensendos esse, eo minus dubitamus, quo certius est, non diis, sed victoribus, eos faciundos fuisse, et quo maiorem fidem rei huic faciunt Antoniani, Traianiani et Augustales ludi triumphales, quos certo anni tempore editos fuisse, inter omnes constat. Cur autem, quamuis triumphos in gloria ponerent longe maxima, illos saeculares simul esse minime voluerint romani: tum ludorum, quibus adnumerabantur, priuatorum, tum victoriarum, maximarum licet, sanguine tamen hominum, regionumque vastatione, partarum, ratio, sine dubio, caussa fuit. Non ergo spectauit vmquam Latium triumphales ludos saeculares, quos academia nostra, altero aetatis suae saeculo varia fortuna exacto, tertium salua atque florens, vt sacrorum saecularium augeat sollemnitatem, quod felix faustumque sit, instaurare potest. Vt diuina ipsius, inde a prima eius origine, auspicia prolixe repetamus, eo minus opus esse arbitramur, quo grauioris est momenti, in ipsa religionis historia, eiusdem dedicatio. IOANNEM FRIDERICVM, electorem Saxoniae, cui dudum virtutis gloria inter ipsos mortales immortalitatem conciliauit, strenuum veritatis caelestis propugnatorem atque confessorem inflammauerat pietas, instruxerat sapientia. Inter ipsas, quae magni constantisque animi Principem premebant, aduersas res, exemplo sane commemorabili, de condendo purioris doctrinae et bonarum artium gymnasio academico pie religioseque cogitauit heros incomparabilis, atque Serenissimos filios, IOAN-

NEM

NEM FRIDERICVM, et IOANNEM GVILIELMVM, ad conducendos pios doctiſſimosque viros paterne excitauit, templique, pietati et bonis litteris conſecrandi, fundamenta poſuit, quod doctrinae et virtutis perpetuum eſſet domicilium, bellicis victoriis et triumphis perennius. Et noſtris quoque, admodum perturbatis licet, temporibus fructus conſtantiae huius victricis dulciſſimos noſtra praeſertim colligit academia laeta atque ſecura. Fugata enim non reditum tentat barbaries; litteris debitus tribuitur honor; ſtat inconcuſſa religio, eiusque cultus viget intemeratus; floruit per ſaecula, et adhuc floret haec artium liberalium palaeſtra. Quis ergo eſt, cui modo veritatis atque ſapientiae amor bene formauit pectus, qui ludis ſaecularibus, die feſto academiae noſtrae ſaeculari altero inſtituendis, triumphalium ludorum gloriam forte ſit denegaturus? quis, quaeſo, nobis vitio vertet, vbi ſaecularem triumphalium ludorum ſollemnitatem nuncupauerimus eam, quam ſub auſpiciis tertii, quod ingreditur litterata haec ciuitas, ſaeculi, adornari decreuit. Neque profecto deerit aliquid, quo ludorum horum augeri poſſit celebritas; vtpote quam SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM, ERNESTINAE STIRPIS, indulgentiſſimorum academiae noſtrae conſeruatorum, adiuuabit munificentia. Deo ſcilicet optimo maximo, omnis felicitatis noſtrae auctori, amplificatori, ſtatori vnico, exquiſita, quibus modo pietas gratam mentem teſtari poteſt, ante omnia ferentur ſacrificia; ita quidem, vt ſimul pro perenni academiae ſalute, nec non MVNIFICENTISSIMORVM eius NVTRITORVM incolumitate, vota rite conceptisque verbis nuncupentur. Diuinae vero aeque, ac humanae ſapientiae triumphos adumbrabunt ludi noſtri triumphales ſpectaculis, quae maieſtatem et decus vtriusque digne omnino repraeſentant. Etenim liberalium artium ac diſciplinarum ſtrenuis cultoribus virtutis ac diligentiae praemia diſtribuentur, ſupremique academiarum honores et, quae cum his coniuncta ſunt, iura ac priuilegia iis, qui ornamentis his dignos ſe praebuerunt, ſollemni ritu conferentur. Quumque praeter ea omne id, quod in feſtis academiae ſaecularibus agi conueniens et neceſſe eſt, agemus: nihil deeſſe amplius noſtris ſollemnitatibus intelligimus, niſi vt frequentiſſima ciuium ac hoſpitum

litteratorum multitudo, digniſſima ſpectatorum exoptatiſſimorum concio, ludos noſtros ſaeculares reddat illuſtriores. Quam ob rem omnes, cuiuscumque ordinis ſint ac dignitatis, litterarum Maecenates, fautores et cultores, exteros et indigenas, vt ad deſignatum II Februarii diem anni futuri, conueniant, publici gaudii nobiscum participes, ſuaque cum noſtris coniungentes vota, ſaecularem academiae noſtrae natalem auſpicatiſſimum faciant, ea, qua par eſt, obſeruantia inuitamus. P. P. in academia Ienenſi ſub ſig. acad. die XXIIII. Nouembris. A. S. R. CIↃIↃCCLVII.

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

# II

## LITTERAE ACADEMIAE EXTEROS AD SECVLARIA SACRA INVITANTIS

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR,

VIRI SVMME REVERENDI, IVRIS CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI,

FAVTORES ATQVE AMICI AESTVMATISSIMI.

ARCTISSIMVM, quod ſapientiae et virtutis cultus iunxit, idque indiſſolubile, amoris inter academias earumque doctores vinculum, mutui quoque gaudii de ſtatu rerum ſuarum fortunato, in cuius dulciſſimam vt veniant ſollemnitatem, foedus pepigit. Non ergo moris tantum eſt atque conſuetudinis, vt de ſingulari felicitatis ſuae atque floris diuturni incremento tum certiores ſe reddant, tum ad congratulantium augendos plauſus humaniſſime ſe inuitent; ſed officii etiam, quo ſibi inuicem obſtrictas ſe intelligunt academiae, rationem id exigere, recte omni-

omnino ſtatuunt. Atque noſtrum Athenaeum, quod certe officii huius legem hucusque ſanctiſſime coluit, eam nunc quoque ſeruat inuiolabilem, quum ſacra ſua ſaecularia, menſe februario proxime futuri anni, quae inuidenda eius eſt felicitas, ſollemniter iterum celebranda, Veſtrae academiae vt veniant in notitiam, litteris hisce amicis ſignificat. Ludos ſcilicet, ad horum ſaecularium ſacrorum celebritatem digniſſime amplificandam, ſaeculares inſtituet, eosque, quos nec Roma vmquam vidit, triumphales. Quorum inſignis, quae ſapientiae propria eſt triumphis, maieſtas, vt omnium, qui bonas litteras amant quique diuinam colunt religionem, oculos mentesque in ſe conuertat, additis litteris publicis, tantae ſollemnitatis nuntiis, in maius ſapientiae atque religionis decus, vberius exponere, vtriusque poſtulauit gloria, iuſſit pietas. Quarum copiam Vobis nunc quidem facimus, ſpe freti certiſſima, fore, vt loco publico conſueto illas adfigere haud dedignemini; Veſtrum in nos noſtramque ciuitatem litterariam fauorem vel hoc modo teſtaturi. Eiusdem vero documentum nobis exſtabit vix certius, quin immo luculentiſſimum, vbi ſaecularibus academiae noſtrae ludis, iisque triumphalibus, vel vnum ex illuſtri Veſtro ſenatu, eorum vt in maius euehatur ſplendor, praeſentem intereſſe, benigne iuſſeritis. Quam prolixam in nos voluntatem, quauis data occaſione Vobis aeque ac Veſtrae litteratae reipublicae honorifica, laeta mente compenſaturi, academiae Veſtrae incolumitatem ac florem perpetuum, ad plura ſaecula prouehendum, Veſtrumque omnium, de re litteraria optime merentium, ſalutem inconcuſſam, precibus ardentiſſimis Deo propitio commendamus. Ienae, die XXX. Nouembr. CIↃIↃCCLVII.

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

CVLTORES STVDIOSISSIMI

PRORECTOR ET SENATVS

ACADEMIAE IENENSIS.

III

# ORATIO SECVLARIS

D. III. FEBR.

HABITA

A

CAROL. GOTTHELF. MVLLERO

ELOQV. ET POES. P. P. O.

Si vmqvam oratione comprehendenda fuerunt, quae sagacissimo nec ingenio, nec exquisitissimorum verborum adfluentia et ornatu, vel maxime copioso, licet adsequi: ea mihi quidem nunc dicenda sunt oratori, ardua omnino, summa, diuina. Litterarum aeternum decus; summum cultioris scientiae incrementum; perfectissima sapientiae gloria; virtutis honor exsplendescens; augusti religionis triumphi; miranda dei omnipotentis opera, quae, quorsum circumspicio, oculis obuersantur, inusitatae laetitiae sensu animum adficiunt, admiratione implent, ac sancto stupore quasi aliquo percellunt. Haeret certe mens attonita, atque tam venustis et innumeris plane admirabilium rerum imaginibus distracta, nescit fere, quo se expedire demum possit. Tanta est, quibus latissime effulges, decorum tuorum multitudo; tam inexhaustae sunt caelestium donorum diuitiae, quibus exsurgis, alma studiorum mater, ditissima, dulcissimaque, quae Ienam nobilitas, Musarum sedes!

Sed, quid est, quod haec in memoriam nunc quidem reuocat; quodque iucundissimis tantarum rerum simulacris sensus demulcet? Fallor? an vnicus ille dies, quem celebrare iam pietas iubet, ea, quae neque animo, neque oratione complecti quis potest, omnia, immensa autem sunt, meis obiicit oculis? Ita vero est, avditores! Ea enim diei huius, qui reditu suo exoptatissimo laetissimoque nos exhilarat, est celebritas, qua omnes quotquot saeculo fuere absoluti, longe antecellit; tanta est gloria, vt centum annorum, memorabilibus maxime diebus cla-

clarorum, gloriam non adaequet ſolum, ſed maxime etiam longiſſimeque ſuperet; tanta lux, vt lucidiſſimorum, quibus ſaeculum fulſit, dierum omnem ſimul lucem ſplendoremque referat. Certe quidem innumerabiles plauſus, voces, gratulationesque publicae, communis omnium laetitia, ſatis nobis teſtimonio ſunt, cuilibet Veſtrum abunde conſtare inſignem diei huius ſollemnitatem. Tuus vtique hic feſtus dies eſt, FLORENTISSIMA SALANA! tuae ſunt noua haec ſalutis auſpicia! Reducit hic fauſtam illam lucem et auſpicatiſſimam, quae ante ducentos hos annos propitio fato academiae ſplendore te induit; quaeque nunc ad ſaecularium ſacrorum cultum denuo adornandum nos inuitat.

SALVE itaque, fauſtiſſime tu, exſpectatiſſimeque dies! tuque ipſa diei natalis lux auſpicatiſſima, venerabilis, glorioſa, ſalue! Non ſolis tantum, qui dierum ordinat curſum, ortumque eorum et finem deſignat, pulcherrimis fulges radiis: ſed ſplendidiori luce, ea quidem, qua ſapientia virtusque incedunt, lumen tuum augetur; caeleſti ſuo nitore implet omnia religio; deus in lumine tuo, lux ipſa, adparet. O raram inſolentium prorſus, qui pectus nunc exagitant, motuum viciſſitudinem! Sacri quaſi ſtuporis comes, trepidatio, fiducia, terror, gaudium, metus, exſultatio alternis imperant vicibus. Deus adeſt, AVDITORES! ſed propitius; non fulgura emittit, tremendae praeſentiae ſuae indicia! Deus loquitur; non tonitru aures pertundit, ſed, vt auſpicato hic dies redeat, blande clementerque iubet. Deus adeſt, laetitiae noſtrae auctor! Laetemini, AVDITORES!

COGITATIONE memoriam eorum repetere nunc iuuabit, quae proximis diebus litteratae quoque ciuitati noſtrae imminuere fata, acerba admodum, Muſisque, tranquilla amantibus otia, omnino aduerſa; vtpote quibus infauſtam fere fugae imponere neceſſitatem videbantur. Inique admodum lateque per noſtros agros belli vagabatur tumultus; ingrate perſonabant IENAM, dulcibus Muſarum cantibus adſuetam, barbari militum et inconditi ſtrepitus; triſtis omnino rerum futurarum, deſperatarum fere, imago luctuoſiſſimum deſignabat Salanae ſtatum; difficillima ingruebant tempora, ſacrorum ſaecularium, quae academia noſtra meditabatur, laetitiam interceptura. Spe

adeo horum celebrandi sollemnitatem, fere omni defraudatos nosmet dolebamus; atque de temporum, in quae deus nos reseruauerit, inuicem conquerebamur infelicitate. At enim cogitatione citius dira belli facies euanuit; pacatus rerum nostrarum refulsit status; rediit pergrata Musis quies; vnicus dies, vnica fere hora annorum finiit calamitates, luctum fugauit nostrum, grauibusque dissipatis curis, nostro, quo nunc efferimur, gaudio viam muniit. Quis est Vestrum, AVDITORES, qui dei hoc fuisse opus non agnoscat? quis est, qui deo omnipotenti minus acceptam referat, quae hanc litterarum sedem nunc beat, tranquillitatem. Ita scilicet cum mortalibus agit numen sapientissimum, vt, si quid magnum, quodque gloria ipsius vrget, perficiendum est, euentus rerum ipse adornet, dirigat, adiuuet, progressumque fortunet. Neque hodie diffitemur, quantum deo, cuius, in academiae huius initiis, auspicia non obscuris significationibus perspecta habuimus, illius caussa nunc quoque debeamus, adeo vt contra fortunam, contra bellorum sortem, spe nostra fruamur, atque in communi fere academiarum Germaniae luctu, non laetari modo, sed gaudiis quoque saecularibus vacare, nobis omnino liceat. Diuinitus certe adlata haec fortuna est, quae deum haec nostra voluisse sacra, illisque et nunc eumdem interesse, longe certissime testatum facit. Quid autem, haec vt rite peragantur sacra, suscipiendum nobis esse iudicatis, AVDITORES! quid, quaeso, sancti huius officii exigit a nobis ratio? Qui cultui suo artium hoc domicilium aeternum consecrauit, religionisque perpetuum esse voluit sacrarium, hanc academiam; qui priori saeculo ipsius inuigilauit saluti, eiusque tuitus est honorem; qui gloriam ipsius, priori partam, altero quoque saeculo ad inuidiam vsque auxit: diem hunc, maiestatis diuinae adeo plenum, laudibus suis clarum atque illustrem vnice fecit deus. Maiestas igitur diuina hodie nobis adoranda est; dei clementia exquisitissimis extollenda laudibus. Praeibo Vobis, quorum animos deus nunc implet, AVDITORES! inexhaustae eius benignitatis exempla Vobis ob oculos ponam, quae academiae Ienensis gloria, altero saeculo longe auctior, et obtenta diuinitus exhibet; sed delibanda potius oratione, quam exhaurienda erunt, quae, vt prorsus amplissima, nec tempus

pus

pus oratori conceſſum, nec, prolixiſſima licet, oratio capere poterat.

Pulcherrimis ſapientiae, quibus Athenae olim inclaruere, monimentis Graecia exſultet; abundet Latium ſuperbis gloriae ſuae, litterarum cultu adquiſitae, imaginibus: in noſtros illas minime conuertemus vſus; peculiaribus plane, ſuisque academia noſtra ſplendet decoribus, iisque longe excellentioribus. Illis, quae ad elegantiam ingenii oſtentandam faciunt, ſermonis ornamentis, pompaeque inani magis, quam veritati fauent, careat prorſus oratio. Profana, quibus adumbrari poſſet eius felicitas, luxurioſae antiquitatis procul ſunto ſimulacra; grauiora nobis dicenda erunt; nec, vt oratoris acuatur ingenium, ea in auxilium vocanda ſunt, quae adſenſionem Veſtram inſidioſe quaſi aucupentur. Quod enim debitus ſapientiae virtutique cultus; quod illuſtrior Salanae noſtrae gloria, aemulaque quauis ſuperior; quod ſaeculare ipſius gaudium; quod venerabunda in deum, academiae noſtrae praeſidium vnicum, pietas, ſacrum conciliare poſſunt oratori ſilentium: illud neque mihi, confido, haec omnia digne celebraturo, denegabitis, quum de illo bene mereri vnice nunc quidem cupiam.

Non vnum profecto, Avditores! eſt gloriae nomen, quo academia inclareſcit: ſed plures illius exſtare cauſſas adparebit, ſi tum originem illius inquirendi, tum, quidquid temporis progreſſu, ad ipſius amplificationem facit, indagandi ſollicitius, conſilium ineatur. Et quidem litterata ciuitas ex illuſtri eorum, qui ſceptra illius gerunt, dignitate inſignem mutuatur ſplendorem: prorſus vt prouinciarum lux praecipua, ex copioſo vaſtoque principum, quorum ſub tutela eae vigent, virtutum lumine deriuatur. Exquiſitus isque diligentiſſimus litterarum cultus, commerciorum inſtar, quibus regiones diteſcunt, diuitias pariter ac famam academiae auget, ipſamque ad celeberrimi emporii euehit dignitatem, quod opum tantarum cupidi, ab exteris quoque oris aduolantes auide frequentant ſapientiae ſtudioſi. Numeroſa ciuium doctorum cohors, quos ſancta, nullisque mendis conſpurcata ſcientiae, in dies pulchrius nitentis, facies adlicit; ciuium cum gentis nobilitate, tum virtutum decoribus maxime conſpicuorum inſignis confluxus; eruditae

ciuitatis nomen inter celebratiſſimas extollit vrbes, immo principem inter illas locum ipſi adſignat. Tacemus plura, eaque haud minoris pretii ornamenta, quibus, ſi academia iis adfluit, litteratorum ciuium nimium quantum amplificantur commoda; doctorum illuſtrior efficitur ſocietas; nouis artes ſummisque acceſſionibus exſurgunt; vbique regnat Muſis amica tranquillitas rerumque abundantia; vt, quo doctae ciuitatis ad maius euehatur faſtigium, nihil prorſus deſideretur. Tot tantaque gloriae ſunt argumenta, AVDITORES! quibus, quidquid fortunatam reddere Muſarum ſedem ſplendidamque poteſt, facile continetur; tot tantaeque floris ipſius eminentioris exiſtunt cauſſae.

INSIGNI perfuſus voluptate, inſolitoque laetitiae impetu adactus, in tui admirationem, in tuas laudes nunc abripior, feliciſſima ſtudiorum mater, florentiſſima Salana! Rerum tuarum viuidiſſima omnium facies; immenſa decorum, quibus excellis, copia; patentiſſimus meritorum, quae te extollunt, campus; celſiſſima nutritorum indulgentiſſimorum nomina; immortalis doctorum, qui cathedras tuas exornauere, memoria; rarum litterarum cultiſſimarum ſtudium; ſapientiae tum diuinae tum humanae, quam tradis, doctrina, eademque peruerſis haud adſperſa opinionibus; ſplendida adeo ciuium tuorum corona; inſignes, quibus opus habent litterae in altius euehendae, ſubſidiorum adparatus: omnia haec et ſimilia, admodum inuidendam gloriae tuae magnitudinem teſtantur, declarant, confirmant. Tamen prioris, quo floruiſti, ſaeculi ea iam fuit felicitas: ſed alterum, quod laetis nunc emenſa es ominibus, ſaeculum auctioris longe teſtis eſt gloriae.

QVODSI a ſupremo numine petenda ſunt fauſta rerum auſpicia, vt felix earum ſucceſſus, fortunatusque euentuum exitus iuſtis ſuis perſpiciatur rationibus: quid impedit, AVDITORES! quo minus a ſupremis rei publicae moderatoribus, qui dei, principum domini, imaginem his in terris exſcribunt, illius, qua fruitur, felicitas, velut ex fonte aliquo, deriuetur. Ad SERENISSIMOS SAXONIAE, ERNESTINAE PROSAPIAE, DVCES, munificentiſſimos academiae huius nutritores, iure meritoque noſtra

ſtatim

ſtatim ſe conuertit oratio, gloriam SALANAE, altero ipſius ſaeculo mirifice amplificatam, declaratura. Quibus vero nominibus vos compellet pietas; quo cultu, GLORIOSISSIMI PRINCIPES! gratus vos veneretur animus, nec ingeniorum viuaciſſimo inuenire, nec linguae, vt vt diſertiſſimae, pronunciare licet. Valeant illa Auguſtorum, Traianorumque et Antoninorum nomina, quibus in laudandis Principibus prodiga adeo fuit maiorum, cum noſtra, aetas; inferiora ea videntur meritis VESTRIS, in academiam iuſte praedicandis. IOANNIS FRIDERICI, quem glorioſum MAGNANIMI nomen inter optimos principes optimum oſtentat, conditoris SALANAE noſtrae primi, adeoque omnis felicitatis noſtrae auctoris, per omnia imaginem, auguſti Principes filii, IOANNES FRIDERICVS SECVNDVS, et IOANNES GVILIELMVS, excelſo PARENTIS animo eminentes, academiae noſtrae ſtatores primique nutricii retulerunt. Eamdem AVGVSTAE EIVS PROSAPIAE DVCES, ad noſtra vsque tempora, ad viuum expreſſere, atque benefica velut academiae ſidera, exſtantiſſimae liberalitatis ſuae non modo illuſtrauere radiis, ſed fulgentiorem quoque fertilioremque eam reddiderunt. Quid enim aliud a conſeruatoribus ipſius, diuinis maioribus ſuis per omnia ſimillimis, quid, quaeſo, ab horum cura et prouidentia vigilantiſſima exſpectetur, niſi perpetua academiae integritas, et cumulatiſſima ornamenti cuiuscumque acceſſio. Ita Salomo, regum ille fere ſapientiſſimus, patris, deo acceptiſſimi, ſancta ſtrenue legens veſtigia, non tuitus modo eſt regni Iſraelitici gloriam, ſed adeo quoque auxit, vt ad ſummum maieſtatis culmen eiusdem ope illud pertenderet.

SICVTI vero incomparabili tantorum Principum munificentiae, ſapientiſſimisque conſiliis floris ſui perpetuitatem non minus ac laetiſſimum academia noſtra incrementum debet: ita maiori eoque maxime auguſto effulgentem lumine ea ſe ſe obtulit, ex quo, quae ſingularis plane Principum horum fuit indulgentia, Rectoris magnificentiſſimi dignitate indui ſe ſe, non dedignati fuere, ex ipſo celſiſſimo NVTRICIORVM SERENISSIMORVM ordine, Principes. Quid enim iuuat Principum ſuperba, qua incedunt, pompa; quid auri argentique ſplendor ciuibus prodeſt ille, quo aulas vrbesque ſua praeſentia implent?

 niſi

nisi cura subiectorum ditioni suae opes augendi simul exinde patescat. Fulgeant caelo innumerae primae magnitudinis stellae; micantes emittant flammeosque radios, atque in admirationem rapiant spectatores: praestat tamen hisce sideribus, luminis sui maiestate, sol vnus, qui, dum luce sua implet omnia, eadem simul recreat, fouet et fecundat. Prima academiae huius sacra saecularia quum celebrarentur, sceptra illius, publica, illaque in his sacris, facile maxima sollemnitate, tradi sibi denuo patiebatur BERNHARDVS, DVX SAXONIAE, solis instar, cum splendidiorem, tum fortunatiorem redditurus academiam. Eadem dein dignitate fulserunt IOANNES GVILIELMVS, GVILIELMVS HENRICVS, DVCES ISENACENSES, quorum ocellus fuit vrbis, cui imperabant, amica hospes, academia. Successit ERNESTVS AVGVSTVS, cui magni atque regii cognomen vindicat magnus regiusque, quem vbique prae se tulit, animus. Atque gloriae tam eximiae, SERENISSIMORVM ACADEMIAE NOSTRAE RECTORVM gloria partae, strenuus adhuc est vindex ERNESTVS AVGVSTVS CONSTANTINVS, spes nostra, AVDITORES, vnica, nostrum desiderium, nostra felicitas. Solium hoc, fulgentissima principalis gloriae sedes, te, SPLENDIDISSIMA ACADEMIA! maiestatis tuae reddit certiorem, quae a tam Augusto Rectore, templa tua, artibus virtutique sacra, illustrante, in te quoque dimanat. At enim non sola maiestas, quae, ipsi propria, nostra omnia splendidiora reddit, digniora omnia et maiora efficit. Intueamini, AVDITORES, venustam vultus, quam diuini florentissimi principis imago spirat, miramque suauitatem, et caeleste frontis decus venerabundi adspicite; quae, quaeso, ori dignitas grauitasque, comitatis tamen temperata insignibus, inhabitat! En ipsae vultui ipsius insident gratiae! Sed longe maior ipsius est clementia atque in academiam nostram amor, cuius modo speculum quasi quoddam suauissima benignissimi Principis facies obiecit; Vos ipsi, CIVES, indulgentissimi patris patriae laudes enarrate, quas nulla complectitur oratio. Sacrum est silentium, quod, ne tanti Principis obscuretur gloria, dicendi ipsa imbecillitas oratori videtur imperare.

LAVDATISSIMIS his principibus, qui excelso loco, quasi in caelo constituti, solem imitantur, caelestis luminis munera aca-

demiae

demiae noſtrae impertientibus: quanta erit litterarum vbertas? quantum artium, quas iuuant, incrementum? quae ſapientiae vita, quam benigniſſime conſeruant et tuentur? Quodſi cum horto amoeniſſimo eodemque fecundiſſimo, omnibusque ſenſuum adfluente illecebris, comparare licet academiam: pulcherrimam illius imaginem referet profecto Salana noſtra. Areolas plures, mira inter ſe diſtinctas arte, hortus ſicuti ornatior exhibet, in quibus florum exquiſitiſſimorum, coloribus nitidiſſimis tinctorum, copia oculis ſeſe offert: ita inſignis artium elegantiſſimarum, laetiſſime efflorefcentium varietas academiam extollit, quae odores ſpargunt dulciſſimos, quibus et alliciuntur et delectantur ſapientiae amatores. Quo certius autem eſt, nulla re horti decus atque celebritatem magis imminui, quam vbi lolia floribus fruticibusque, raritate ſimul et pretio eminentibus, intermixta creſcunt: eo clarius adparet, academiae honori atque famae inimicum nihil magis poſſe cogitari, quam ſi errorum opinionumque commenta, doctrinarum, quae ventilantur, lumen obſcurant; ſi veritati ſtruuntur inſidiae, artiumque dignitas fictionibus imminuitur, et inſanientium ſomniis ſcientia deprauatur. Singularis ea prorſus academiae Ienenſis eſt gloria, ne vnum quidem doctrinae genus, qua iuuenum ſciendi cupidorum animi imbuuntur, corruptelis, altero, quo viguit, ſaeculo fuiſſe obnoxium; vt nouum ea potius idque pulchrius viderit omnino incrementum. Diuina ſanctiorum litterarum integritas nullo vmquam apud nos violata fuit errore; nec peruerſe ſentientium impetus ex eadem experta, multo minus caſtitatis ſuae iacturam aliquam paſſa eſt, reducta in priſtinum locum Lutheri ope, religio. Iam dudum exploſa ſunt figmenta, quibus theologorum Ienenſium, altero academiae ſaeculo celebratiſſimorum, puram in adſtruendis veritatibus caeleſtibus fidem ſuſpectam reddere adlaborarunt maleuoli. *Conſcientiariorum*, quos vocarunt, ſectae, quae numquam fuit, inania ante euanuere phasmata, quam adparuere; ſyncretismi, peſtilentiſſimae ſententiae, religionisque ſanctitati periculoſiſſimae monſtrum, caput ſuum neque extulit vmquam, neque extollere potuit; quod exterorum quorumdam theologorum, ſiue inuidia, ſiue imprudens forte in religione tuenda feruor

ex-

excitauit. Pietismi denique fraus illa impia, vix ac ne vix quidem detecta, inter prima statim suffocata fuit molimina. Silentio iam inuoluimus theologorum nostratium in augenda sanctiorum disciplinarum claritate, soliditate, atque in amplificandis, quae serium rebus diuinis adsensum pariunt, subsidiis studium, quo multis palmam eos praeripuisse, inter omnes constat. Tacemus doctorum incomparabilium nomina, qui in vtriusque antiqui tum, tum noui instrumenti historia; in mysteriorum, cum veritatibus e ratione cognitis, felicissima coniunctione; in scientia sacras discutiendi controuersias, sobrie philosophantes, excelluere, atque nouum veritati caelesti, idque maius, accenderunt lumen.

NEQVE iuris prudentiae alterum academiae nostrae saeculum ferale, aut prorsus inimicum fuit. Non insana, aut vage sentientium, aut inique interpretantium libido, leges mutilauit; nimium audax in adplicandis legibus auctoritas non sententias tulit; neque adfectata in rebus, ab arbitrio mere pendentibus, soliditas iuris disciplinam magis forte corrupit, quam emendauit. Quis est Vestrum, AVDITORES, cui ignota prorsus sint immortalia Iurisconsultorum nomina, quos Iena in doctorum suorum, qui altero ipsius saeculo inclaruerunt, gremio fouit, quorum scripta a celeberrimis, adeo nostri quoque aeui, Iureconsultis, oraculorum quasi loco, habentur.

ET quid de arte salutari dicam, cuius celebratissima fere et opportunissima sedes nostra fuit et adhuc est Salana? Ad solidissimae scientiae dignitatem solerti atque profunda medicorum, quos sibi educauit, perspicacia, euectae sunt artis medicae disciplinae; quae sani pariter atque aegroti corporis notitiam obscuram satis, immo falsis subinde et fictitiis rationibus munitam olim, tradiderunt. In mentem Vobis reuocare modo liceat, AVDITORES! scientiam, quam physiologiam vocant: ecquantum illa consequuta est doctrinae solidioris augmentum! Nostis, quem Iena, quem fama celebrat istius statorem, atque immortalis nominis emendatorem! Nihil dicam de chimia et praxi medica, quot celeberrimos nactae sint doctores, viros in nostra academia de vtraque meritissimos. Neque fuse commemorabo chirurgiae atque anatomiae mirum quantos progressus.

Quem

Quem fugiunt merita viri famigeratiſſimi et in vtraque arte facile principis: o vtinam diutiſſime nobis ille adhuc interſit!

TAM inſignibus aeque ac non interruptis artium incrementis facem ſine dubio praetulit philoſophia, qua ſi rite formatur animus, recte omnino diſcit ſapere. Iam ſatis datum erat ſcholaſticorum, quos vocant, ſapientiae, ſpuriae quippe, atque tenebris mentes diſcentium miſere inuoluenti. Vix tamen vltra alterius ſaeculi dimidium, quod academiae noſtrae aetatem definit, iuuenum magiſtrorumque faſcinare quaſi animos potuit. Silent nunc, vtinam aeternum ſileant! Seraphici atque Angelici doctores. Genuino atque natiuo ſuo iam fulget lumine ſapientia, atque vtiliorem ſublimioribus doctrinis lucem ſubminiſtrat. In vniuerſum, qua late patet, philoſophiae campum exſpatiari deberet oratio, ſi cuncta teſtimoniis illuſtranda cenſerentur. Recolite mecum, AVDITORES, eorum, quos philoſophiae caſtioris praeſidia, Ienenſium philoſophos, noſtra aetas veneratur, memoriam; quos in arte cogitandi, in elementis omnis doctrinae ſolidioris, in mathematicis diſciplinis anteſignanos praedicat; quem in ſcientia naturali doctorem Philoſophum aeternitati commendauit; qui in linguis ſacris, et reliqua orientis ſapientia, totius fere litterati orbis magiſtri longe peritiſſimi atque incomparabiles Ienam altero hoc illuſtrauere ſaeculo. At enim dies vix ſufficeret, vel nominibus virorum in arte ſua excellentium recenſendis, ne dicam meritis, quibus adhuc celebrantur, iuſte declarandis. Laetare, academia, de tot tamque praeclaris gloriae tuae, opera doctorum tuorum laudatiſſima, altero quidem ſaeculo inſigniter adeo auctae, argumentis! Sed nouae ſuppetunt gaudii cauſſae, quod de inſigniori optimarum artium flore licet tibi concipere. Quae per longum tempus, ſingulari prorſus, communi tamen, fato in Germaniae academiis quaſi latuere, ſiue potius incultae iacuerunt artes elegantiores, tuam quoque illuſtriorem mox reddiderunt gloriam; vt, nulli academiarum ſecunda, verae eloquentiae atque poeſeos, quibus olim excelluerunt Graecia et Latium, cultum inſtauratum, atque oratorum et poetarum, quos inter ciues tuos oſtentas, confirmatum exemplis cernere queas. Saluete, SOCIETATES, quas humanitatis litteris aemulum dicauit

cauit artes sublimiores ornandi studium; saluete, quas excitauit academiae nostrae gloria, coniunxit artium elegantiorum amor; certissima Salanae ornamenta!

EA est fontium, e quibus largae profluunt aquae, benigna indoles, vt, irrigatis, in quos manant, campis, vicinos quoque, quos praeterfluunt, agros fecundent; siue etiam, si inexhausta, quas edunt, aquarum copia abundant, vt in confines regiones deriuari sese generose patiantur. Veterum poetarum ingenium, quod Pindum, musarum sedem fictione, constituit, fonte simul illum instruxit limpidissimo, cuius aquae potus caelesti musas impleret impetu, deique sensum excitaret. Neque aliena prorsus ab ipsius sapientiae natura, illius cum fonte purissimo, eodemque perenni, videtur comparatio, si vel maxime a fictitio musarum fonte discesseris. Cum naturae benignitas, tum artium et sapientiae abundans gloria, Salanam nostram, almam fontium quasi matrem constituit; non secus acsi natura, largis fontibus illam vbique circumdans, pulcherrimum fontis ditissimi, qui sapientiae est simulacrum, quod academiam repraesentaret, suppeditare voluisset. Atque certe fontium illorum instar, qui riuos hinc inde gignunt, mox in fluuios celeriori et ampliori cursu abeunt, vicinis quoque agris salutarem aduehentes aquam, academia nostra fontem sapientiae, quo instructa est, non sibi modo, suisque ciuibus hauriendum aperuit, sed aliis quoque, immo remotissimis regionibus rara liberalitate vsum eius concedit adeo prolixum, vt oriundis inde nouis fontibus sufficientes largiatur aquas. Academiarum complurium blanda atque fecundissima mater facta hoc modo est academia Ienensis; vtpote quibus partim celeberrimos concessit doctores, primos litterarum in ipsis conditores, florisque earumdem auctores felicissimos; partim normam, quam in exstruendo musarum domicilio sequerentur, amice dedit. Cuius quidem amoris numquam profecto immemores erunt, Fridericiana Halensis, Georgia Augusta Goettingensis, Fridericiana Erlangensis academiae celeberrimae, in quarum gloria, Salanae nostrae gloria, ecquanto fulgore, exsplendescit! Tam felicem, tam gloriosam, tantaque prole fecundam alterum saeculum

culum matrem te extollit, Iena, Saxoniae, Germaniae, quid? quod totius orbis eruditi deſiderium!

NON vnam eamdemque cauſſam ſubeſſe intelligimus, quae arduum ſane academias condendi propoſitum ſummis inſpirauit Principibus. Rarus litterarum amor; nominis aeternitatem conſequendi ſtudium, quod et Maecenates et Auguſtos ſaepisſime excitauit; interdum quoque aemulatio; nec non vrbis, ſiue etiam regionis alicuius, florem, aeque ac diuitias accelerandi et augendi ſpes, templum muſarum exſtruendi conſilium poſſunt ſuggerere, vrgere, perficere. Quae ortus illius fuit cauſſa, ea coeptorum etiam progreſſus dirigere atque ſecundare ſolet; vnde adminiculorum, quae, vt florentior euadat, adhibentur, intelligi atque diiudicari poſſunt rationes. Summa haec profecto, immo propria fere, academiae Ienenſis eſt gloria, quod religionis vere diuinae amori, eiusque caſtitatem atque cum oraculis diuinis conſenſum tuendi pariter ac contra obtrectatores protegendi, ſanctiſſimo ſtudio ſuam vnice debeat originem. Ipſo igitur adnuente deo, vere diuinis condita auſpiciis academia, floris ſui amplificatorem vnice venerata eſt deum; cuius benignitati atque prouidae curae ſe ſuumque florem commiſit; nec ſpes deo confiſa illam vmquam confudit. Ienam enim, eruditiſſimis non ſolum inſtructam viris, qui iuuentutem ſapienter inſtituerent, ſcholam eſſe iuſſit; ſed doctorum ſimul ſeminarium, ex quo viri, et de illa ipſa, et de aliis academiis optime merentes prodirent. Et quid adeo mirum, vbi, creſcente licet academiarum numero, hoc Athenaeum, prae compluribus aliis, de copioſo ciuium doctorum confluxu, omni tempore, ſibi gratulari potuit? Quot enim millia horum, ſaeculo praeterlapſo, numerare ipſi licuit, tum gentis nobilitate, tum animi decoribus inſignium, tum e remotiſſimis Europae prouinciis qui confluxerunt iuuenum. Silentio prorſus inuoluere nequimus academiae noſtrae felicitatem, quamuis ſatis praedicare illam neſciat oratio, qua praeterito ſuperbiit ſaeculo, quum SERENISSIMVM ERNESTVM AVGVSTVM, nunc inter diuos receptum, ſuis adſcriptum ciuibus, ſuſpicere atque de tam excelſo Principe, commilitones inter

 emi-

eminente, gloriari omnino potuit; quem postea nutritorem munificentissimum, indulgentissimum patriae patrem, nec non Rectorem magnificentissimum impense venerata est. Neque hoc altero saeculo, desperatis quasi adminiculis ciuium augendi frequentiam, opus fuit academiae; quibus, cum religionis etiam noxa, labescenti academiae flori subuenire haud aegre ferunt multi, vt plurium nempe religionum in iisdem administrentur sacra, quorum publicus cultus prolixiori ciuium multitudini faueat. Hac ipsa, quae omnibus fere Germaniae academiis tristis fuit, tempestate, iuuenum, litteris operantium, numero illas omnes longissime superat; quibus nunc stipata, eo sollemnius sacra sua saecularia celebrat.

QVODSI studium sapientiae cum virtutum cultu, indissolubili quodam vinculo coniunctum sit oportet, adeo, vt bonarum litterarum studiosi humanitatis laudem sectari, optimisque ornati moribus, sapientiae honorem tueri debeant: non tam ciuium eruditorum multitudine, quam bona potius atque erecta indole, veram contineri academiae gloriam, nemo vmquam ibit infitias. Qui ad res academiae nostrae florentissimas inuidis respexere oculis, non autem defuerunt iniqui obtrectatores, morum elegantiam e finibus nostris prorsus eliminatam esse, nostrosque ciues incondito viuendi genere se turpes dare, consuetudinibus indulgere honestati omni aduersis, effrenatae licentiae et feritatis morum edere specimina, immo barbarorum imitari ferociam, misere plane omnes alucinati sunt. Verum enim vero illa etiam nunc prorsus deest criminandi materia, quam inuidiosorum male dicendi, nimium quantum, exaggerauit lasciuia. Quae scilicet moribus elegantioribus non admodum fauebant, tempora, feliciter transacta sunt; exstirpatis tandem academicae, quam vociferabantur disciplinae impatientes, libertatis abusibus. VOS, O NOSTRI! vos virtutum decoribus ornatissimi, vos quoque, Salanae nostrae gloriam eleganter amplificastis, vt vestrarum virtutum imaginibus praeterlapsum niteat saeculum, spectatissimisque iuuenum litteratissimorum, aeque ac pulchris moribus eminentium, exemplis abundet.

OB-

OBRVOR fere dicendorum, quae restant, multitudine, AVDITORES! Tot ac tanti laudum supersunt cumuli, quibus alterius saeculi, quod celebrat academia Ienensis, gloria in longe vberiori luce poni omnino queat. Neque nouis ornamentorum caruit prorsus accessionibus, quae externum academiae splendorem ad maius solent prouehere. Hoc ipsum templum, et sanctiori Numinis cultui, et sollemnibus, qui diuinae et humanae sapientiae praemia bene merentibus conferunt, actibus nunc quidem dicatum, religiosis his saeculo hoc consecratum vsibus illisque omnibus condecoratum fuit ornamentis, quae, tum sanctitas loci, tum destinationis dignitas postulauit. Quot et quam praeclara nactus est incrementa librorum, ad bibliothecam academicam pertinentium, thesaurus, Bosiana, Sagittariana, Danziana, Birkneriana bibliothecis splendidissime auctus? Taceo protractos horti medici fines; nec de astronomica specula, aut anatomico theatro, aeterno illo excelsi conditoris sui monimento, plura proferam; quibus quippe omnibus, quae saeculi alterius fuit felicitas, Salanae ampliata fuit gloria.

TANTVM ergo abest, vt ab ista, quam a primo natali suo habuit, fortuna excidere adhuc potuerit academia nostra, vt tantis potius exaltata fuerit successibus, qui sine exemplo esse illius felicitatem, euincant. Primas modo, easque tenues satis, gloriae duximus lineas, quam alterum Salanae nostrae conciliauit saeculum: quum neque temporis angustia, neque cuiuscumque facundia oratoris quouis illam sermone complecti possit. Illustrissima iam iam, immo summa fuere, quae gloriae huius indicauimus, exempla; quae certe propitiis modo fatis atque caelo bene fauente, cumulatiorem fore Salanae prosperitatem, comprobant. Oculos omnium mentesque in se conuertit SERENISSIMORVM NVTRITORVM ineffabilis munificentia, in qua maxime posita est salus academiae. Splendida RECTORVM MAGNIFICENTISSIMORVM dignitas, cum INDVLGENTISSIMORVM NVTRITORVM maiestate vnita, laetum, idque certum, maioris felicitatis ipsius fuit augurium; sanctiorum litterarum nec non reliquarum artium, per saeculum integrum conseruata, castitas atque pulchritudo, earumque in altius elata fastigium perfectio.

fectio insigni nos perfudit voluptate; alma plurium academiarum mater, Salana nostra, pulcherrimum fontis sapientiae inexhausti simulacrum nobis exhibuit; ciuium mira tum frequentia, tum laudes, vitae elegantia distinctae, in illustri loco positum illius, quod amant atque colunt, decus testantur; et quid deesse adhuc putas gloriae tuae, illustrissima academia, tot tantisque nouis argumentis, externum tuum splendorem augentibus, insignita?

TRIVMPHARE ergo tibi licuit, ACADEMIA, de omnibus, quae musarum sedem infestare vllo modo potuerunt, aduersitatibus! Non obtrectatorum inuidia; non maleuolorum consilia, perpetuitati tuae florique inimica; non errorum monstra, aut opinionum corruptelae; non hostium ausus, famae tuae insidiantium, tuam obscurare gloriam valuerunt. Stas immota adhuc, atque inconcussa fulges; secura et in tuto collocata est salus tua, nec antiqua illa dignitas tua imminuta: Laetare, exsulta, SALANA! omnes tibi adplaudunt boni; vt vt inuidentium maleque tibi precantium turba crepet. Et nobis maxime, AVDITORES, celebrare conuenit Salanae triumphos, quos in sacris ipsius saecularibus extollere fas iustumque est. Sunt enim veritatis, sapientiae, virtutis, honoris, quid? quod religionis ipsius triumphi: adeo splendidi, adeo memorabiles fuere, quos praeterlapso etiam egit saeculo, quosque hodie, gratae vt posteritati commendentur, nostra renouat academia. Audet illa omnino ludos nunc instituere saeculares, eosque triumphales; audet inter belli, cuius terror Germaniam peruasit, strepitus; audet, quae omnino propria eius est felicitas, tempore, quo fere omnes Germaniae lugent academiae; audet deo adiuuante; quin immo illos celebrat, ipso iubente deo. Non meritis igitur nostris, non hominum potentiae, non exquisitis prudentiae consiliis tribuendus est adeo felix rerum omnium exitus; tantarum victoriarum soli deo debetur gloria. Est omnino dei beneficium, quod alterum quoque saeculum tam insignibus clarum fuerit triumphis. Deus serenissimis academiae nutritoribus sanctissimae religionis amorem, curamque salutis ipsius inspirauit; adstitit deus eorum, qui felici-

licitati illius inuigilant, consiliis; doctorum adiuuit coepta; veritatis studio ipsos inflammauit; ciuium frequentia, litterarum flore, aliisque academiae ornamentis adeo auxit Salanae nostrae famam, vt omnes fere reliquas Germaniae academias floris dignitate formaeque praestantia longissime superet. Peragendum illud nunc est, AVDITORES, ad quod iam in limine orationis nos obstrinxit pietas: Deus sacris nostris interest: adorate, AVDITORES! Quidquid sumus, quidquid habemus, tuum est, benignissimum Numen! O vtinam diuinitus mihi nasceretur eloquentia, ad gratias omnium conceptissimas dicendas. Sed non tam eloquentia, quam ipsa pietatis vis, ipse grati animi ardor meas, dicentis, vices impleat. Non sacra rumpam silentia, quae animus, diuinis occupatus, colit, quaeque in hac deo sacrata aede nunc seruantur, religiosum stuporem digne declarantia; quibus omnium mentes, tantis attonitae dei operibus, reuerenter indulgent. Quotquot confluxere hospites, quotquot adsunt ciues, tuae sunt testes beneficentiae, gratissimique animi sentiunt impetus; suspiria edunt amoris, adquiescentiae, fiduciae, reuerentiae signa; atque noua pro academiae perenni salute vota pie nuncupant. Propitio ad nos respice vultu, clementissime deus! nostroque faue cultui, quem tacita tibi mente offerimus; aduerte aures precibus, quas non verbis, sed corde concipimus, nec deuotas, quas tibi persoluimus, gratias contemne.


NEQVE VOBIS, SERENISSIMI SAXONIAE ERNESTINAE PROSAPIAE DVCES, ACADEMIAE NVTRITORES MVNIFICENTISSIMI, et VESTRAE quid muneris rependat gratiae prorsus ineffabili, inuenire potest academia. Quum enim ducentesimum a natali suo annum ea finit, saeculumque tertium, inter publica gaudia, exorditur: innumera partim clementiae VESTRAE incomparabilis, rarissimique in litteras amoris documenta, quae praeteritum saeculum in memoriam reuocat; partim noua munificentiae argumenta, quae his ipsis sacris saecularibus maiestatem conciliant, omnium oculis mentibusque obuersantur. Non suppetunt verba, quibus nos, qui fide, obsequio, et cultu VOBIS obstricti sumus, VOBIS, AVGVSTI ACADEMIAE NOSTRAE

STRAE

STRAE STATORES, gratias agamus; verba deficiunt, quibus vota, pro VESTRA incolumitate animo concepta, rite pleniusque nuncupemus. Simplex, et quod cuncta complectitur, vnicum omnium votum est: SALVS TANTORVM PRINCIPVM. In hanc preces nostrae tendunt; hac diuinitus impetrata, omnia nobis videmur consequuti. Deus igitur, efflagitamus, seruet VOS PRINCIPES INDVLGENTISSIMOS; Deus vos seruet MVSARVM PATRES MVNIFICENTISSIMOS; seruet VESTRAM AVGVSTAM DOMVM, eiusque felicitatem stabiliat. TVA praesertim, CELSISSIME PRINCEPS, ERNESTE AVGVSTE CONSTANTINE, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIME, TVA, inquam, in academiam nostram tanta est liberalitas, vt maxima fere felicitatis nostrae pars TIBI debeatur, et miris auctibus floris sui incrementum ex TE capiat. Deus te amat, PATER PATRIAE INDVLGENTISSIME! Deus TECVM est, TIBIQVE TVA in patriam, in academiam, ipse remuneratur merita. ANNA AMALIA, SERENISSIMA CONIVX, dulcissima vitae TVAE comes atque vnica voluptas; CAROLVS AVGVSTVS, viuidissima PARENTVM imago, TVARVM haeres virtutum, caelestia sunt munera, quibus iam primo regiminis TVI faustissimi anno TE exhilarauit deus; vtinam adiiciat his tantisque beneficiis perpetuitatem! vtinam addat indies plura, maiora, splendidiora!

ADNVE his votis, benignissimum Numen! adnue vero etiam precibus, quibus academiae incolumitatem pietate ardentissima TIBI commendamus; vt laetissima certissimaque noui, illiusque omni ex parte fortunati, saeculi nobis adfulgeant auspicia. Non opus est, auditores, futurae felicitatis fictis vt nos delectemus imaginibus. Praesentissimus nobis est deus, ac nouos clarioresque, immo aeternos, Salana, tibi triumphos spondet religio. Exigit ipsius gloria, vt gloriam tuam conseruet, augeat, constantemque reddat. En! diuina futurae prosperitatis auspicia, quae exoptatus rerum tuarum, quo hactenus frui tibi licuit, status tibi exhibet. Eumdem, quem adhuc tenuere, seruabunt cursum fata, tibi admodum propitia; eumdem immutabilis supremi Numinis sapientia sequetur in gubernando ordinem, quo abundantissima benignitatis suae tibi impertiit dona.

dona. Serenissimorum nutritorum gratia te et in posterum fouebit, recreabit, exhilarabit, vt tutelari eorum sub vmbra secure delitescas, atque dulcissimo fruaris otio; veritas, sapientia, religio, doctrinae, quam colis, cuiusque decus amplificandum curas, praestantiam atque honorem tuebuntur, potentissima castarum litterarum praesidia, illustres gloriae earumdem vindices; doctorum tuorum animos, litterarum pulchriorem reddendi florem idem implebit ardor, quo adhuc eminuerunt eruditionis fama celebratissimi; doctissimorum, diligentia aeque ac virtute excellentium, cinget te ciuium corona splendidissima, florentissima; ornamentorum omnis generis, quibus lux tua vmquam effulget, insigne augmentum, futurum tibi pollicetur saeculum. Tuos sic repetes triumphos, victoriis innumeris illustrissima Salana! repetes autem, nouis semper, iisque exstantioribus gloriae accessionibus facta illustrior. Quis erit tandem triumphorum tuorum vltimus? quis superest hostium, de quo tibi adhuc triumphandum sit? Temporis iam iam vicisti, nec times amplius inconstantiam. Superior quoque de crudeli ipsius fato, quo rerum edax, monimenta, pulcherrima etiam, destruere, quid? quod heroum facta obliuionis immergere solet tenebris, decedes. Cui quo minus fieri queant obnoxiae virtus, sapientia, religio: harum inuicta armis, tempus quoque, caducis modo rebus parans interitum, eo certius triumpho duces. O quam praeclarum felicitatis tuae, aeternum duraturae, idque minime fallax, augurium! Tuos coronatura est triumphos ipsa aeternitas!



IIII

# ODAE SECVLARES

## ODE

ANTE

ORATIONEM SECVLAREM

PAX. Martis furori iam ſatis eſt datum!
Murmur nec illaetabile compleat
Campos, SALANAE; militumque
Horriſoni ſileant tumultus!

Turbata dulci ſede reuertere,
Felix quies! Nunc candida tempora
Muſis eant! Secura poſcunt
Otia, ſacra Deo ferenda.

SALANA. Pax regnat? an me ludit amabilis
Spes, ac imago, gaudia ſaeculi
Pandens noui? Tranquilla rerum
En! facies recreat pauentem!

Salue,

Salue, dies, natalia lumine
Fausto reducens! Splendidior tibi
Sol lucet, vrgentesque curas,
Te redeunte, leuat, fugatque.

Quid? solis ipsius radiis polo
Flammantior lux imperat, et iubar
Dium meos late per agros,
Relligio, Ioue nata, spargit.

Descende caelis, o genitrix dea!
Vitae meae fons! Auspiciis tuis
Efflorui per saecla: flagrans
Dic, age, quid pietas rependat?

RELIGIO Victrix reuertor, nescia vel dolo
Vel Marte vinci, pacis amabilis
Aeterna vindex; laeta castis
Caelitus adfero dona Musis.

Dulces in amplexus ruo nunc tuos,
Dilecta caelo nata, meum decus!
Fecunda prole me colentum,
Oscula figo tibi, tuisque.



Non

Non longa partos diminuit dies
Priſcos honores: iam duo ſaecula
Videre, quos egi, triumphos,
Atque nouis noua ſaecla fulgent.

His iam triumphis clara perennibus,
Deuincta lauro tempora, quae fui
Ingreſſa primum, cultuique
Templa dicata meo reuiſam.

Mortalium lux, o ſapientia!
Virtusque, mentis tu decus vnicum!
O blanda mater praemiorum,
Gloria! conſociate plauſus!

Dignae ſorores, deliciae meae!
Queis cura ſacrorum tradita eſt, mihi
Sollemnium; dulces triumphi,
Quem renouo, comites adeſte!

SAPIENTIA
Caeleſte, quo ſplendes, meditans decus,
Inſigne dicam, quod modo ſaecula
Norunt, ſenum ſpem quod recludit,
Gaudia quod repetit iuuentae.

VIRTVS Intaminatis ſemper honoribus
Quae tuta fulſi praeſidio tuo,
Victorias nunc, poſterisque,
Te duce, commemorabo, partas.

GLORIA Per ſaecla virtus et ſapientia
Orbi viros dedere quot inclutos:
Adfixa templis, tot tropaea
IENA tuis ſtatuet triumphis.

SAPIENT. Arae, coronis, quas tibi nectimus,
VIRTVS Florentibus cinctae, glomerant ſacras
GLORIA Nubes; tibi laudes, Deoque
Thura, ferunt iuuenes ſenesque.

# ODE

## POST
## ORATIONEM SECVLAREM

TEMPVS Sit plauſibus feſtis modus! Anxie
Pallete Muſae! Non noua prouehet
Sol ſaecla, queis mentes reſultant,
Gaudia nec remeent beata.

Labuntur anni; qui fugiunt, dies,
Decliuis inſtar fluminis, vrgeo;
Aetas, meo ſubiecta ſceptro,
Vortice cuncta ſuo reſorbet.

Iactent Athenas Pierides! Fuit
Haec artium ſedes! ſupereſt nihil
Splendoris! Hanc ſortem, SALANA,
Barbaries tibi comminatur!

Eſt ordo fatorum, quibus impero.
Mergentur artes mox tenebris nouis;
Triſtem feret virtus repulſam;
Famaque nominis heu! peribit.

RELIGIO Deuicta nondum, quid metuam tuas
Tempus, minas? Praeceps agat omnia,
Non horreo, fatum: ſed aeuis,
Diua ſuperſtes ero caducis.

Victoriarum teſtis, et hoſtium,
Quos iam ſubegi fortiter, horridam
Cladem refers; aetas tacebit
Inuida nulla meos triumphos.

Ponas

Ponas furorem! temporis arbiter
Summus iubet! Caelum mihi militat;
Vt caeteros hoſtes, triumpho
Te quoque, tempus, inerme ducam.

Laetentur artes! Fons ſapientiae
Manet perennis! Nil minuat decus
Virtutis! aeternaque lauro
Gloria condecoret merentes!

Gaude ſecundis, quae tibi, quae tuis
Iam nunc recurrent, rebus, et adſpice,
Nutu meo fulgent futura
Saecula, candidiora primis.

Quid, IENA, votis deerit? o mea,
O numinis conſtans amor! Aureo
Aeuo renideſces, dicata
Ingeniis ſtudiisque ſedes.


PROVID. Aduerto vultus omnipotens Deus,
Qui flecto caelum; terraque cui tremit;
Te, quis reſiſtet? vi potente,
Gens inimica ſtrepat, tuebor.

Immo-

Immota ſtet virtutis et artium
Aedes, honoris perpetuum mei
Templum; die quod nube lucis,
Noctеque, flammifera replebo.

SALANA O me beatam! cantica plauſibus
Miſcete, Muſae! Iam ſacra culmina
Reddant pias voces ſonoris
Vallibus; hae referant olympo!

MVSAE Oblata voti iam noua publici,
Numen benignum, ſuſcipe munera.
Doctrina, virtus, mentis ardor,
Relligio! tibi ſint ſacrata!



ORA-



# ORATIONES
## HABITAE, QVVM IN SACRORVM SECVLARIVM MEMORIAM SVPREMI ACADEMIARVM HONORES CANDIDATIS CONFERRENTVR

I

# ORATIO
## THEOLOGORVM ORDINIS NOMINE
D. VI. FEBR. RECITATA

A

## IO. GEORG. WALCHIO D.

In tot hominum laetitia de ſingulari academiae noſtrae felicitate: in tot eorum piis ſtudiis, deum laudibus efferendi ac quibus officinae huius muſarum ſplendorem incolumem reddidit, beneficia admirandi praedicandique: in tot eorumdem communi precatione, qua ſummo numini futuram iſtius proſperitatem commendant: immo in ſecularibus ſacris, quae in


domi-

domicilio nostro sapientiae iterum celebrantur, ordinem theologorum tacere posse, quis putet: quis sibi persuadeat? Absit tantum, vt is officii sui obliuiscatur; vt recordetur merito diligenterque caelestis benignitatis, per quam ab origine sua vsque ad hoc tempus constanter floruit: veneretur illam pia mente atque ex pectoris recessu laetitiae proferat sensum. Ac quis de iusta caussa dubitet, cur ille in communionem gaudii ac pietatis veniat? Ingentia sane atque illustria sunt munera, quae immortalis deus in ordinem hunc contulit, istaque quum a nobis omnino gratum animum postulant illumque testandi, sollemnia, ad summos diuinioris doctrinae honores, candidatis tribuendos, instituta aptissimam occasionem praebent, interpretis officio fungar atque eximiam dei prouidentiam in ordinem theologorum Ienensium breuiter; pie tamen laudabo.

Si quod est litterarum domicilium, quod praeclara curae diuinae documenta prae se habet, ac singularem dignitatem, ex istis adquisitam, optimo iure tuetur, id certe nostram esse academiam, nemo, rei satis gnarus ac veri iustique studiosus, diffitebitur. Deus scholam hanc condidit. Reuocetis, quaeso, in memoriam, quo tempore: quo administro atque instrumento: qua intentione illa fuerit instituta, videbitis vere, ortum eius non ad hominum; sed diuini numinis consilia ac decreta esse referendum. Enata est schola nostra ea aetate, qua tristissima rerum in Germania erat facies: qua purior euangelii doctrina, quum vix e tenebris ad lucem esset euocata, in summo interitus periculo versabatur ac pessimus genius iam de victoria gloriari videbatur. Ad magnum opus hoc efficiendum adhibuit deus principem, in quo insigne sapientiae, potentiae, benignitatis diuinae exemplum conspiciendum se praebet, IO. FRIDERICVM, electorem Saxoniae, solidae sanctimoniae cultorem: verae religionis constantem confessorem: fortem strenuumque defensorem, per sua eaque summa in litteras resque christianas merita perpetuae consecratum memoriae. Principem nomino; immo maximum principem, cuius status tam calamitosus erat, vt nemo cogitaret inter mortales, eum et velle et posse in vrbe

hac

hac musis sedem domiciliumque collocare, quum esset ille in imperatoris, victoris sui, potestate ac captiuus adhuc teneretur; per hanc autem miseriam rebus, vti adpellantur, protestantium letale vulnus illatum esse videretur. At vero quod homines in mentis suae imbecillitate haud fieri posse, putabant, deus praeter omnem opinionem ac spem monstrauit, se id curare idque agere, vt doctrina, ad salutem sempiternam consequendam diuinitus patefacta: ab ipso seruatore optimo eiusque legatis tradita, sarta esset ac tecta ac vim suam longe lateque diffunderet. Eam in rem principem nostrum, IO. FRIDERICVM, ad id incitauit, vt anno millesimo quingentesimo quadragesimo octauo academiae huius fundamenta poneret, ac quum mortalitatem finiret, antequam coeptum opus perfecisset, serenissimi filii, IO. FRIDERICVS II. IO. GVILIELMVS ac IO. FRIDERICVS III. ad id absoluendum manus admouerunt ac curarunt, vt post decem annorum spatium ipsius academiae fieret consecratio. Non sibi: non famae suae ac laudi: non splendori ac diuitiis; sed soli diuinae gloriae: aeternae hominum felicitati: verae doctrinae conseruationi voluit consulere IO. FRIDERICVS, elector magni animi, haecque vnica caussa fuit, cur tam pium: tam laudabile consilium caperet de academia nostra condenda, vt illa esset officina purioris doctrinae huicque praesidium praeberet ac solatium. Habebat princeps hic in pectore suo singulare atque incredibile studium veritatis euangelicae: profitebatur istam tanto ardore tantaque constantia, vt neque minae; neque promissiones, quae proponebantur, ad mentem eius mutandam quidquam valerent.

Quemadmodum schola nostra deum, benignissimum auctorem suum, veneratur; ita et merito mirabilem eius prouidentiam, qua vsque ad tempus hoc conseruata est, laudat, praedicat deque eadem laetatur. Ita pietatem erga caeleste numen monstrandi, tota academia: quisque illius ordo, praecipue ille, ad quem theologi pertinent, iustissimam habet caussam. Sane sapienter ac benigne deus academiae nostrae prospexit, quum nutu eius prouincia, sacras litteras tradendi, iis commissa est, qui non mediocrem eruditionis ac meritorum celebri-

tatem consequuti sunt ac quorum fama multos ad id adduxit, vt studiorum diuiniorum caussa huc venirent. Quis nomina ignoret: IO. WIGANDI, NICOLAI SELNECCERI, GEORGII MYLII, IO. HIMMELII, GODOFREDI CVNDISII, IO. GERHARDI, IO. MVSAEI, FRIDEMANNI BECHMANNI, IO. GVILIELMI BAIERI, MICHAEL. FOERTSCHII, IO. FRANCISCI BVDDEI atque aliorum, ac quid impediat, quo minus ad eos MATTHIAM FLACIVM adiungam? Quamuis enim ille in certamine cum VICTORINO STRIGELIO de labe naturali inconsiderate a veritate deflecteret atque in praua sententia sua defendenda pertinacem se praeberet, in peruersam inductus persuasionem, minus sibi esse honorificum, si errasse se, confiteretur; is tamen inter ciuitatis nostrae christianae doctores principem locum iure tuetur, vbi theologos ex eruditione aestimare velimus. Ingenii monimenta, quae ad posteros transmisit, abunde testantur, fuisse in eo incredibilem industriam, cuius pauci capaces sunt, summamque earum rerum scientiam, quae in antiquitate sunt reconditae: quae in republica sanctiore euenerunt: quae ad sacrum codicem rite intelligendum praeclara adferunt adiumenta.

Veneranda est dei prouidentia erga ordinem nostrum, per quam in illum adscripti sunt theologi non solum eruditi ac celebres; verum etiam puriori doctrinae addicti; siue vt graece loquar, orthodoxi, ita, vt istam semper sint professi: in custodienda ea haud quidquam neglexerint ac quando pro illa contra aduersarios erat propugnandum, sua tulerint arma. Suppetunt rei huius locupletes testes, quibus omnis fides habenda est, scripta eorum puto, in quibus nunc singula fidei nostrae dogmata recte explanarunt: nunc operam ad libros ecclesiae nostrae symbolicos illustrandos vindicandosque contulerunt: nunc romanae curiae subiectos, Caluini adsectatores, Socinianorum impiam cohortem atque alios veritatis hostes profligarunt. Nec obiiciendum esse, existimo, fuisse, qui theologos Ienenses in suspicionem falsae doctrinae coniicere, adniterentur. Satis enim constat, quam grauiter isti aduersariis suis restiterint: quam aperte monstrauerint, se esse innocen-

centes: quam feliciter bellum, illis indictum, gesserint. Propulsarunt maleuolorum obtrectationes: in pugna exstiterunt superiores; nec existimatio eorum imminuta; sed aucta fuit atque illustrata.

Celebrati ita atque orthodoxi: immo, quod itidem insigne dei munus est, moderati theologi ordinem nostrum ornarunt, ii doctores, qui per praeclara sua exempla monstrarunt, ea ratione errores profligandos ac dogmata sacra defendenda esse, vt neque per nimium; neque per parum peccetur; sed iusta adhibeatur medriocritas. Reliquerunt documenta, quae id abunde satisque comprobant. Quum ortae essent contentiones Calixtinae atque in tempus quadraginta fere annorum productae; nostrates autem perspicerent, nimis acriter ab vtraque parte disputari ac concertationes fieri non de rebus; sed de vocibus, per suam moderationem turbas, quae in nostro sanctiori coetu factae fuerant, noluerunt alere atque augere. Aegre id quidem ferebant Vitembergenses, aduersarii Helmstadiensium, atque consilia ac studia ad id adhibebant, vt theologos Ienenses, inprimis principem eorum, IOANNEM MVSAEVM, in syncretismi ac multorum errorum suspicionem coniicerent; sed fortiter restitit hostibus suis MVSAEVS: suam ac collegarum suorum innocentiam aperte ostendit ac gloriosam consequutus est victoriam. Testem aduoco illius *vberiorem theologorum Ienensium declarationem*, germanico sermone scriptam, opus illud, quod auctoris egregiam iudicii vim: solidam eruditionem ac summam moderationem commendat: quod a quouis, rerum perito atque a partium studiis alieno, omni ornatur laude.

Deus ordinem nostrum reddidit illustrem, quum quando a theologis illius praemia eruditionis ac virtutis decernenda fuerint, istos sapientia instruxit atque animos eorum ad id adduxit, vt candidatos summis diuinioris doctrinae honoribus ac priuilegiis ornarent, qui se istis omnino dignos esse, satis probauerant. Dederunt exempla, quae nunc merito sequimur, vtque et nos ad secularia sacra celebranda quid confera-

feramus, nobis propositum est, in splendida concione hac viris summe et maxime reuerendis principes theologiae honores, veluti testes de istorum praeclara litterarum scientia, quam sibi compararunt, tribuere. Id quod vt rite fiat, compello te, vir summe reuerende, IO. CHRISTOPHORE KOECHERE, theologiae doctor ac professor publice ordinarie, collega maxime colende, ac, quia nunc procancellarii auctoritate praeditus es, a te peto, velis candidatos nostros, absentes ac quos ante oculos habes, praesentes licentiatos creare mihique facultatem concedere, in illos iura ac priuilegia doctorum theologiae conferendi.

*** *** ***

Accepta potestate, ad rem ipsam adgredior; antequam autem candidatos nostros in ordinem doctorum theologiae adscribam, merito ab iis postulo, vt iureiurando adstringant se ad ea praestanda, quae huiusmodi theologiae candidatis praescripta nuncque a nobilissimo FRANCKIO, qui ab epistolis academicis est, ex libro statutorum ordinis nostri praelegenda sunt.

Quod igitur felix faustumque sit: quod ciuitati christianae salutare: academiae huic, per duo secula mirabiliter a deo conseruatae, honorificum eueniat, auctoritate, qua nunc polleo, inuictissimi imperatoris romani ac germanici FRANCISCI I semper augusti: auspiciis serenissimorum Saxoniae ducum, huius musarum ac sapientiae officinae conseruatorum, ego

IO. GEORGIVS WALCHIVS

theologiae doctor legitime promotus eiusdemque professor, ad hunc actum brabeuta rite constitutus,

Te SIGISMVNDVM BASCHIVM, serenissimi principis Saxo-Vinariensis atque Isenacensis a concionibus aulicis, confessionibus et consiliis ecclesiasticis et supremi senatus sacri: superintendentem generalem principatus Vinariensis: in aede, Paullo et Petro consecrata, pastorem primarium atque ephorum illustris gymnasii Wilhelmo-Ernestini, absentem, tamquam praesentem:

Te

Te IO. GEORGIVM ZEISINGIVM, sereniſſimi ducis Saxo-Vinarienſis et Iſenacenſis a conſiliis conſiſtorii, ſacrorum noſtrorum antiſtitem et paſtorem primarium, praeſentem:

Te ERHARDVM ERHARDT, conſiſtorii Ienenſis adſeſſorem et archidiaconum, praeſentem:

Te IACOBVM GVILIELMVM BLAVFVSIVM, philoſophiae profeſſorem publicum extraordinarium, ſocietatis teutonicae Ienenſis et regiae Gryphiswaldenſis collegam, praeſentem:

Te FRIDERICVM SAMVELEM ZICKLERVM, philoſophiae profeſſorem publicum extraordinarium, praeſentem:

Te IO. FRIDERICVM HIRT, philoſophiae profeſſorem publicum extraordinarium, Moguntinae electoralis academiae ſcientiarum membrum ordinarium, praeſentem:

Te EHREGOTT NICOLAVM BAGGE, philoſophiae magiſtrum, conſiſtorii Ienenſis adſeſſorem, ordinis philoſophorum adiunctum, miniſtrum verbi diuini, ſocietatum, quae apud nos florent, teutonicae ordinarium; latinae honorarium ſodalem, praeſentem:

Te IOANNEM ACHATIVM FELICEM BIELCKIVM, philoſophiae magiſtrum, illuſtris collegii Groeningiani, quod Stargardiae floret, rectorem ac profeſſorem, abſentem, tamquam praeſentem:

vos, inquam, theologiae doctores, caeſarea auctoritate munitus, creo: creatos renuntio: renuntiatos proclamo et vt quisque vos habeat doctores theologiae, volo, iubeo idque facio in nomine ſanctiſſimae trinitatis, dei patris, dei filii et dei ſpiritus ſancti, vobisque omnia iura tribuo, quae doctoribus theologiae ab imperatoribus, regibus ſummisque principibus ſunt conceſſa.

Vt tamen actus hic fiat ſplendidior, ritus, quos ab antiquioribus accepimus, merito adiungo, tamquam ſigna, quae vos officii veſtri admoneant. Primum igitur vos in altiorem locum; in hanc *ſuperiorem cathedram* euoco, colloco, vt intelligatis,

gatis, facultatem vobis datam esse, docendi sanctiores litteras disputandique, eo modo, quem leges et statuta academiae atque ordinis nostri praescribunt.

Exhibeo vobis *libros* eosdemque aperio, vt cogitetis, pergendum esse a vobis in illis, praesertim diuinis, legendis atque in eo elaborandum, vt constantes sitis in diligentia atque ingenii opes, quas collegistis, augeatis. Attamen et libros hos claudo hocque ritu significo, non solam monimentorum lectionem sufficere ad solidam adcuratioremque eruditionem; sed coniungendam quoque cum ista esse piam meditationem eamque ingenii exercitationem, qua cognitionem nostram reddimus ampliorem pariter ac firmiorem.

Impono vobis *pileos*, qui vti apud veteres libertatis indicia fuerunt; ita exhibeant isti vobis imaginem eius libertatis, quam iesus christus nobis reparauit: in qua, vbi in illam vindicati sumus, perseuerare debemus.

Admoueo quoque *annulos* aureos digitis vestris, tamquam signa non solum dignitatis, quam consequuti estis; sed etiam foederis, inter vos ac purioris doctrinae disciplinas ita initi, vt nunquam ab ea discedatis; nec quam dedistis, fidem violetis.

Denique vos, in ordinem doctorum theologorum adscriptos, *osculo* excipio ac per id studium concordiae ac pacis vobis commendo tradoque amicitiae pignus ac societatis.

Vos praeterea, viri summe reuerendi, primus compello doctores theologiae: primus vos laeta mente gratulatione prosequor primusque pro vobis vota facio, velit benignissimum numen dignitatem vestram ecclesiae atque academiae salutarem reddere atque efficere, vt ex ista laeti et vberiores fructus capiantur: fructus, qui virtutem suam ad regnum iesu christi amplificandum prodant.

Vnicus restat ritus. Edendum est eruditionis theologicae documentum. Responde igitur vir summe reuerende, D. ZEISINGI, ad id, quod ex te venerandi collegae nostri filius natu minor, optimae indolis ac spei, exquiret. Accede ornatissime HERMANNE FRIDERICE KOECHERE et breuiorem propone quaestionem.

ORA-

II

# ORATIO
## IVRISCONSVLTORVM ORDINIS NOMINE
D. VI. FEBR. HABITA

A

## IO. CASPAR. HEIMBVRGIO D.

Quod in tanta laetitia publica, quae mirae et incredibili supremi numinis prouidentiae vnice debetur, quaeque omnium erigit animos, verba publice faciendi mihi contingat occasio, res profecto est mihi omnium gratissima, de qua quidem valde mihi gratulor. Et quo vtilior est actus, quem iuris consultorum ordinis auctoritate festiuo hoc die suscipio, quum virtutis praemia conferre, iisque tot praeclara, quibus academia nostra splendet, ingenia generosissimorum et nobilissimorum commilitorum ad virtutis aemulationem et academiae et litterato orbi salutarem, excitare, mei iam muneris ratio postulet, eo sane certior sum de splendidissimi auditorii patientia, qua quidem quo minus abutar, si alias taceo rationes, grati animi leges prohibent. Pauca itaque de *iurisconsulto pseudo legislatore*, siue de iurisconsulto, qui legum ferendarum potestatem sibi adrogat, praefari, in animo mihi est.

Quamquam a iurisconsultorum officio nihil magis alienum est, quam legislatio, quum iura interpretandi et adplicandi modo habeant potestatem; accidit tamen saepenumero, vt vtroque in negotio, cum in interpretatione, tum in adplicatione, ex campo ipsis aperto digrediantur: limites ipsis praescriptos transmigrent ac simul id sibi sumant, quod imperantis in republica saltem sit proprium. Quod si primum intueamur iurisconsultos leges interpretaturos, verum earum sensum eruunt easque explicare student aut ex legum verbis; aut ex ratione, quae legislatorem eas ad promulgandas impulit; seu, quod idem est, sensum legis vel grammatice; vel logice explorant. Si grammatica occupati sumus legis interpretatione, nobis praescripta norma omnibus data et a quocunque sanctissime seruanda, haecque nos non, nisi verba, quibus legislator est vsus, explicare hisque verbis non, nisi eam notionem subiicere iubet, in qua ista verba adhibuit legisla-

gislator; sed quot quaeso, inter iurisconsultos locum sibi vindicant et ab dicta nimis recedunt norma? Nonnulli artem criticam penitus negligunt; nec vnquam ante legis explicationem in eius veram ac genuinam inquirunt lectionem. Alii eidem arti nimium fauent studioque, leges emendandi, adeo flagrant, vt loca, sana ipsorumque medicina haud indigentia, deprauent. Alii linguae, in qua lex est scripta, plane sunt ignari; vel vocabulis significatus tribuunt, quos ipsi legislatores haud tribuerunt et, vt exemplo rem illustrem, particulis disiunctiuis copulandi vim potestatemque concedunt. Nonne vero omnes hi violant legem, ipsis, vt supra memoraui, datam, hacque ratione terminos praescriptos transgrediuntur? Neque vero aliud dicendum est de multis eorum, qui legis sensum ex eius ratione eruere student. Si eiusmodi viri declaratiue semper legem exponerent, eamque ea ratione interpretarentur, vt interpretatio conueniret cum legis verbis, rite fungerentur partibus suis; verum enimuero tum legem mox restrictiue; mox extensiue explanare student. Adfingunt deinde aliquando legislatori rationem, quae ipsi in mentemnon venit: alibi rationem quidem habent vnius circumstantiae, sub qua lex est condita; minime vero reliquarum: alibi sciunt quidem rationem, ob quam sanctio data; sed falsum sequuntur concludendi modum.

Si iurisconsulti legem tam peruerse interpretantur, siue id fiat grammatice; siue logice: ipsorum interpretatio a lege explicata ita differt, vt lex posterior, quae priorem mutat, ei derogat, subrogat, obrogat; id vero facili negotio efficere potest, vt vbi ad eiusmodi falsam interpretationem auctoritas fori accedit haecque interpretationem istam, adhuc doctrinalem conuertit in vsualem, istius auctores, iurisconsulti, potestatem sibi adrogent, legislatorum propriam. Quum apud Romanos iuris peritorum auctoritas vsque eo processerit, vt ante imperatores leges duodecim tabularum fere ex arbitrio ipsorum explicarent: eorum responsa, sine rationibus data, sub caesarum imperio, iudices sine discrimine obligaret iique multa iurisciuilis capita, querelam scilicet inofficiosi, substitutionem pupillarem, adquisitionem per adrogationem, aliaque, teste POMPONIO *a*) introducerent: factum est, vt iis tribueretur νομοθεσια πολιτικη *b*) ipsique splendidum nomen

*a*) L. 2. §. 5. D. *de O. I.*

*b*) THEOPHILVS, *paraphr. instit. libr.* III. *tit.* 10.

nomen iuris auctorum ac conditorum acciperent. SCAEVOLA, SEXTVS AELIVS, DOMITIVS VLPIANVS speciatim ita adpellantur; neque vero nobis desunt documenta, iuris consultos generatim ita dictos esse. Si mediam in aetatem pergamus, in qua glossatores floruerunt: isti homines in iuris prudentia, licet eam quotidie tractarent, ita ignari fuerunt; vt saepissime peruerse explicarent leges. Nihilominus tanta fuit eorum auctoritas, vt quod non agnosceret glossa, id nec curia agnosceret, communisque obtineret opinio, glossam non posse errare. Facili itaque negotio introducebant glossatores cumulationem iudicii possessorii et petitorii, probationem in perpetuam memoriam, iudicis ordinarii recusationem, transactionem iudicialem inuitam, aliaque iuris dogmata. Eadem vero ratione recentior aetas exempla praebere potest eorum iuris doctorum, qui interpretando quasi legislatores sunt facti. Tam Romanorum; quam patriae leges ipsis eo inseruierunt, vt introducerent in forum praecepta legibus contraria, vel in iis haud fundata. Locum principem inter eos occupat BENEDICTVS CARPZOVIVS, quem non sine iure AVG. LEYSERVS *c*) in Accursii, leges ipsas olim effatis suis vincentis, locum suffectum putat. Eumdem in censum scribi possunt HEIGIVS, BERLICHIVS, GAILIVS, COLERVS, immo integra iuris consultorum collegia, quae obseruantias seruant iisque sententias suas tamquam legibus muniunt. Satis abunde, praestantissimi auditores, ex his patet, quemadmodum iurisconsultus, legem interpretaturus, pseudolegislator fiat; sed restat, vt adhuc videamus, qua ratione legislatoris potestatem ille sibi adroget, si legem adplicet. Quum ordinarie leges certas prae se habere debeat, ad quas facti fiat adplicatio, a recta hac via multos, proh dolor! videmus deflectere. Fit id duplici modo, quum speciem obuenientem vel ad nullam; vel eam ad legem, ad quam non est adplicanda, adplicant. Qui in adplicando nullam respiciunt legem, id partim ex nimio legum studio atque opinione, leges esse iniquas; partim ex ignorantia iurium faciunt; in eo tamen semper conueniunt, quod, aequitatem scriptis omnino legibus palmam praeripere, tradant et sub istius praetextu pro arbitrio sententiam ferant. Nihil eos impedit; quominus sen-

 tentia

*c*) *Spec.* 536. *med.* 16.

tentia legum certa ac manifesta supersedere haud dubitent; vel minimum verbis legum, obtenta aequitate, sensum adscribant, a mente legislatoris plane alienum. Consentiunt isti iuris periti eo cum integro legum doctorum collegio, quod sceleratum quemdam hominem, qui furti qualificati conuictus erat ac confessus, a capitis poena absoluisse ac ad operas publicas, per sex annos tantum, ea ex ratione condemnasse recordor, quod capitis poena ad delinquentium emendationem haud faciat, id autem poenae genus quo facinorosi operis admouerentur publicis, aequitatis regulis innitatur ideoque merito sit praeferendum. Verum enim vero superius istius regionis iudicium sententiam memoratam haud probabat aliamque a nostro ordine petere decernebat. Sententiae itaque tali modo prolatae ex ordine impugnantur ac reiiciuntur; earum tamen auctores pari ratione legislatores in rectam, vti opinantur, viam ducere hisque se aequiparare audent. Verum tamen cum his ii iuris consulti, qui officium suum omni tempore ante oculos positum habent, plane non conspirant; sed legem ipsiusque verba pariter ac rationem semper, siue in interpretatione iurium; siue eorum in adplicatione versentur, respicere solent. Accidit quidem ipsis, leges interpretantibus, vt earum rationem ponderantes, illas nonnunquam ad casus non expressos extendant et contra casus ab iis excludant, qui in lege contineri videantur; accidit quoque iuris consultis adplicantibus, vt in casibus, a principe ipsorum arbitrio relictis, illud sequantur atque ex aequo et bono iudicent; tantum tamen abest, vt legis latoribus adrogantia quadam sese adnumerent; vt illius potius semper memores sint, quod rite ac eleganter IVSTINIANVS *d)* pronuntiauit: ideo id ipsis competere, quod id ab imperante ipsis sit permissum et eius sub nomine id faciant.

Sed iam id mihi agendum est adhuc, cuius gratia hunc locum teneo. Nimirum promotoris munus ab inclyto iurisconsultorum ordine mihi est demandatum. Quod quidem vt rite fiat, ad te, magnifice et illustris ad hunc actum legitime constitute procancellarie, IOANNES AVGVSTE HELLFELD, serenissimi ducis Gothani consiliarie aulice spectatissime, pandectarum professor publice ordinarie celeberrime, curiae prouincialis Saxonicae adsessor, facultatis iuridicae decane spectabilis, scabinorumque collegii senior grauissime,

*d) L. 12. C. de legibus*

me, patrone et collega maximopere colende, me iam conuerto tibique praesentem hunc dignissimum supremorum in iure honorum candidatum, CHRIST. LVD. WIEDEBVRGIVM, sisto. Quem quidem vti praeclara legum scientia et insignis virtus commendant; ita ea, qua par est, obseruantia rogo, velis pro ea, qua gaudes, procancellarii auctoritate, ipsi benigne tribuere licentiam, vt vocant, summos, in vtroque iure honores petendi; mihi autem largiri facultatem eumdem et simul cum eo GABRIELEM CONRAD. FRIDER. SCHRAMMIVM qui amplissimae et liberae ciuitatis wezlariensis est a consiliis eiusdemque syndicus primarius, creandi et proclamandi iuris vtriusque doctores. Pro qua quidem beneuolentia me tibi ad quaeuis officiorum genera habebis paratissimum.

❀ ❀ ❀

Iam a te, consultissime licentiate, ad priuilegiorum, statutorumque normam, doctorale praestandum est iusiurandum, cuius quidem formulam praestantissimus TOLLIE, qui ordini nostro ab actis et epistolis est, tibi praeleget.

Postquam consultissimus licentiatus nostrae facultati doctorali se obligauit iureiurando: ad actum progredior, quo supremis in iure honoribus eos, qui virtute et eruditione multum super alios eminent, ornare inclyto iurisconsultorum ordini ius fasque est. Quod igitur felix faustumque supremum numen esse iubeat, ex auctoritate, qua nunc polleo, inuictissimi imperatoris Romano-Germanici FRANCISCI I. semper Augusti, auspiciis serenissimorum Saxoniae Ernestinae lineae ducum, nutritorum huius academiae benignissimorum, dominorum nostrorum clementissimorum, ego

IO. CASPAR. HEIMBVRG

iuris vtriusque doctor rite promotus, serenissimi ducis Gothani a consiliis aulicis, iuris canonici professor, curiae prouincialis adsessor, facultatis iuridicae et scabinorum collegii ordinarius, et ad hunc actum ab inclyta facultate iuridica legitime constitutus promotor

Te CHRISTOPHORVM LVDOVICVM WIEDEBVRGIVM, ienensem, iuris licentiatum iam rite constitutum, nec non

Te GABRIELEM CONRADVM FRIDERICVM SCHRAMMIVM, amplissimi magistratus et liberae ciuitatis wezlariensis a consiliis, ac syndicum primarium, licentiati dignitate iam condecoratum,

vtriusque iuris doctores creo, creatos renuntio, renuntiatosque proclamo, et vt quisque vestrum ab omnibus pro doctore in vtroque iure caesareo et pontificio habeatur, volo, iubeo, idque in nomine sacro sanctae trinitatis, dei patris, dei filii et dei spiritus sancti. Et quidem vobis omnia iura et priuilegia, quae iuris doctoribus ab imperatoribus, summisque principibus benignissime data sunt et concessa, impertior.

Sed ne quid de caerimoniis, quae quidem prudenti antiquitas inuenit et excogitauit consilio, quarumque singularis erat apud veteres religio, decedat: ad ea nunc progredior, quae huncactum reddunt splendidiorem quibusque iura tibi, consultissime doctor, iam adquisita exercendi, eorumque possessionem adprehendendi datur copia: quae simul dignitatem tuam indicant, quidque tibi ad eamdem tuendam, inposterum agendum sit, ante oculos ponunt.

Quamobrem tibi primum, consultissime doctor, vt relicta inferiori cathedra, in superiorem hanc cathedram adscendas, locumque in ea occupes, iure meritoque permitto. Et quemadmodum mirifice aucta est tuae libertatis conditio, quum varia tibi tradita sint praerogatiua iura; ita doctoralem hanc tiaram capiti tuo impono, tamquam priuilegiorum in te collatorum insigne, quod quidem nonnullae gentes regum et sacerdotum singulare ornamentum habuerunt. Fruaris igitur insigni, quae tibi per doctiuram iuris data est, libertate, sed ita fruaris, vt tibi nihil sit antiquius, quam iustitiae inseruire, eiusdemque limites religiose semper custodire.

Libros quoque tibi trado apertos primum, vt memineris, iurisprudentiam in numero earum esse disciplinarum, quae quidem, nisi diligens accedat librorum lectio, omnino nunquam rite pernoscuntur. Non solum enim theoria iuris infinitis fere implicata est difficultatibus, ad quas superandas aliorum cogitata multum adferunt adiumenti; sed etiam legum ad facta adplicandarum promtitudinem non aliter consequimur, ac si iurisconsultorum, qui diu in foro versati sunt, scripta attente leguntur.

Sed et libros clausos tibi exhibeo, vt solam scriptorum lectionem minime sufficere; sed iurisconsultum aliorum cogitata animo voluere, simulque, vt in vsum conuertantur, summis viribus contendere debere, memineris.

Praeterea annulo digitum tuum exorno, vt te sponsum memineris iustitiae, virginis castae et quae castam quoque mentem postulat, quaeque prauis nunquam consiliis est contaminanda.

Postremo te in nobilissimum prudentum iuris ordinem rite et sollemniter receptum osculo, quod quidem pacis et concordiae est argumentum, excipio, simulque, vt pacis et concordiae studium tibi semper curae cordique sit, maiorem in modum adhortor.

Caete-

Caeterum primus tibi hos honores gratulor, precorque, vt haec nouae dignitatis auspicia bene et feliciter tibi eueniant. Largiatur tibi supremum numen res semper prosperas et ad nutum fluentes. Inprimis autem tuos conatus faustos fortunatosque esse iubeat, quo in huius academiae totiusque reipublicae litterariae cedant vtilitatem, tibique summum adferant oblectamentum.

Tandem, ne de ritu, a maioribus tradito, quidquam mutetur, primum idque, pro temporis angustia, tuae in respondendo de iure peritiae a te, consultissime doctor, breue sibi expetet specimen illustris collegae optimae spei filius, strenuus laudum auitarum aemulus. Accede ergo ornatissime ERNESTE AVGVSTE HELLFELDI et quaestionem consultissimo doctori in hoc splendidissimo auditorio propone. Quam quidem soluere, reliquaque, quae sollemnis huius actus dignitas postulat, peragere tuarum consultissime doctor, partium erit.

III.

# ORATIO

## MEDICORVM ORDINIS NOMINE

D. III. AVGVST. HABITA

A

## CAROLO FRID. KALTSCHMIED D.

FESTA denuo illuxit dies, qua gaudiis actibusque sollemnibus, natales academiae celebrare, iubilaeumque academicum ornare, summi numinis ac serenissimorum academiae nutritorum gratia permittit, nostrumque obsequium, temporis ratio et ipsa pietas postulat. At fluctuat animus meus, lingua tremit, pectus anxietate premitur, spiritus languet, vbi vos, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PATRESQVE ACADEMIAE VENERANDI, veste luctum, facie moerorem, gestibus similem meo commonstratis angorem. Fata vtique rectoris nostri magnificentissimi, ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI, ducis Saxo Vinariensis atque Isenacensis, quem dominum venerati sumus clementissimum, indulgentissimum, fata optimi principis suprema, nobis funesta, tristia, vno quasi sentimus pectore, omnesque vna quasi tristi deploramus facie, vbi florentissima indulgentissimus patriae pater nobis in aetate ereptus est, quem omnes vno voto, vti fama, ita etiam vita optassemus immortalem. Neque vero vltima etiam optimi principis vota a nostris abhorrent sollemnibus. Immo ex ipsius iussu festum adhuc celebramus annum, qui tot nobis nominibus iubilaeum academicum celebraturis se commendauit, academiaeque splendorem auxit. Veneramini gra-

gratiam SERENISSIMORVM ACADEMIAE NVTRITORVM, recordamini fauoris ac beneuolentiae remotarum etiam a nobis academiarum, partim deputatorum ac follemnitatum fplendore, partim votorum finceritate actus noftros feculares concelebrantium: in mentem reuocate exterorum fplendidiffimorumque hofpitum adplaufum! Laudate, ornate mecum lectiffimorum coronam ftudioforum. Non fine deliciis atque animi voluptate infigni ante oculos adhuc verfatur tot elegantiffimorum cohors iuuenum, morum elegantia, vitae compofitae conftantia omnium exterorum oculos animosque in fe conuertentium, admirationem excitantium, fpem ac fidem fuperantium, nobisque iucundiffimum exhibentium fpectaculum. Illuftria certe diuinae prouidentiae documenta, quibus iubilaeum academicum fulget eiusque pofteritati fancta conferuatur memoria! Quumque et mihi hodie copia fit facta, actibus iubilaei follemnibus accedere, miro perfundor gaudio, quod ampliffimo philofophorum ordini placuerit, idem et hodie perfequi inftitutum actuique noftro follemni addere fplendorem, eoque magis veneror veftrae, collegae honoratiffimi, facultatis decretum, quo magis certus fum, elegantiffimum pariter atque vtiliffimum rebus medicis ac philofophicis effe connubium, nec medicum in addifcenda et facienda medicina felicem attingere poffe finem, nifi philofophicis difciplinis probe fit inftructus. Quumque inftituti ratio poftulet, actui promotionis follemni quaedam praemittere, dignius vix argumentum inuenire potui, quam vt difciplinarum philofophicarum in re medica neceffitatem pauciffimis demonftrem. Date mihi hanc veniam, vt, qui aliis exercitationibus adfuetus, orationis flumine minus polleo, veritatem potius argumenti mei, quam elegantiam verborum fecter et profequar, et fi auribus veftris minus digna propofuero, eo maior veftrae beneuolentiae atque indulgentiae erit dignitas, fi per breue temporis fpatium mihi aurium patientiam non denegaueritis.

Haud equidem diffiteor, artes atque difciplinas, quae ad veram fpectant eruditionem, commune quoddam inter fe habere vinculum et quafi cognatione quadam inter fe contineri, quum nec rei facrae, nec publicae cancelli ab adytis fuis philofophos arceant, et antiquiffimorum iam temporum experientia confirmatum fit, orbem optime per philofophos gubernari.

At

At quinam, sacri cuiuslibet coetus doctor vmquam exstitit, doctrinae sinceritate spectatissimus, quin nominis celebritatem ex philosophiae gloria simul auxerit? quis antistitum iuris celeberrimorum vmquam fuit, qui animum philosophicis prius disciplinis haud excoluerit? Verum condecorati hi potius ornatique sunt philosophiae beneficio; quodsi vero amplissimum spectaueris medicinae campum, praeter ornamenta ac decora ex philosophia in eam redundantia, adeo clara ac perspicua ipsius in re medica est necessitas, vt omnis scientia medica manca sine ea sit atque mutila, vtque philosophicis disciplinis instructum inter et medicum philosophiae expertem tantum intercedat discrimen, quantum inter virum doctum et eruditum recte statuitur. Ante omnia satis constat inter eos, qui eruditionis limites paullo latius, ac solet vulgus, proferunt, illud philosophicarum disciplinarum munus atque beneficium esse, vt hominum mores ad ciuilem quamdam vitam, moderationem ac modestiam eae componant; et hinc omnis, qui olim ad medicinam adiecturus est animum, eo felicius praescriptam attinget metam, si ad philosophorum castra accesserit, quam primum eos superauit annos, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, vt vires animi se manifestantes veritatibus imbibendis atque enucleandis decenti methodo adsuefiant. Ille vero, qui sanitatem hominum vel conseruare, vel amissam restituere olim voluerit, duplici oneri humeros submittere debet, arti scilicet medicae addiscendae debitam vt nauet operam et decenti adplicationi ad humani salutem generis pro virili sese consecret. Corpus humanum, ingens illud excellentissimumque diuinae gloriae inter res creatas documentum, machina, artificem vnice omnipotentem agnoscens conditorem, domicilium illud animae immortalis splendidissimum conseruandum, nobilissimum medici studium deposcit. Exquisitam igitur eiusdem, quousque mens humana penetrare potest, vt adquirat cognitionem, ipsa sana ratio dictitat, ardui dignitas muneris postulat. Solidas itaque et fluidas corporis partes enumerat, separat, discernit, earum naturam contemplatur, in structuram inquirit, vnionem et compositionem intuetur, grauitatem, quantitatem et qualitatem ponderat, cohaesionem perscrutatur, mo-

tum ac separationem considerat, quomodo moles ipsius augeatur, vel imminuatur, perspicit, varias diuersae mixturae mutationes rimatur, verbo: in omnia ea inquirit, quae ex varia compositione solidarum fluidarumque corporis partium oriri possunt phaenomena, eorumque diuersitatem et mutationem secundum naturae leges metitur ac perscrutatur, vbique decentem intuens proportionem. At elegantissima ac splendidissima haec machina, quam multiplici ratione possit corrumpi, qua ratione eadem in quantitate et qualitate, motu variaque compositione, excessu atque defectu variarum partium in statum redigi tristem, irregularem, quaque tandem ratione internecioni dari possit, ex natura partium et experientia medicus legit. Verbo, statum corporis nostri, qui vel ad naturae leges partium constituentium accedit, vel iisdem aduersatur, inquirit, hinc vero sanitatis aeque ac morborum caussas ac naturam discernit. Consilia meditatur ad prioris conseruationem directa, remedia quaerit, quae morbos fugent. Hinc caussas perscrutatur naeuorum, et secundum earum diuersitatem diuersis remediis vtitur. Tria igitur, quae dicunt, natura regna percurrit, thesauros sanitatis et morborum medelas exinde curiose ac studiose repetit, quae motum humorum salutarem conseruare, vel emendare possint praeparat, omnibusque viribus adnititur, ne salutaris hic machinae motus vel corrumpatur, vel sistatur, vel destruatur. Aut igitur remediis mitioribus corruptas partes sanat, aut ferro et igne corruptas absumit atque remouet, ne tota pereat machina. Quaerit ergo et suas et aliorum perfectiones. Neminem ex odio vel inuidia artis legibus violat. Iuuat magnates, pauperibus seruitia praestat. Et vbi vel temeritate, vel simplicitate plebeia, vel peruersa rationis ductum sequentium audacia imminens corpori perspicit damnum, prudenti vitam consilio monet. Herculeum itaque medicus verus adgreditur laborem in addiscenda tam difficili tantisque difficultatibus plena arte, in ediscendis ac dignoscendis tot naeuorum cateruis, in disquirendis et applicandis tot tamque diuersis remediis, in tuendo et obseruando officio boni ciuis, boni viri, boni medici. Quis autem mortalium tam excellenti, tam diuino pollet ingenio, vt tot veritates eruere

re ac ſtabilire, tot artium diſciplinarumque receſſus penitus noſcere, abſconditarum tot rerum naturam indagare, tot diuerſiſſimorum corporum indolem, phaenomena, vires, mutationes adcurata animi lance ponderare poſſit, niſi diſciplinis philoſophicis inſtructus oculo quaſi animoque armato ac roborato immenſum laborum ac difficultatum curriculum feliciſſimo demum emetiri poſſit euentu. Quo ordine, qua perſpicacia, qua tutiſſima, qua breuiſſima incedendum ſit via in inueniendis ac ſtabiliendis veritatibus, quo conſilio, quo niſu, quo candore, quibus mediis eadem a falſis ac peruerſis doctrinis diſcerni animusque ad imbibenda ſana ac genuina principia praeparari poterit, niſi ea fuerit inructus arte, quae ſenſus, imaginationem, memoriam, facultatem attendendi, conſiderandi, abſtrahendi, comparandi edocet, decentibus ingenium ac rationem regulis inſtruit, quibus innumerarum et ad rem medicam facientium veritarum ſibi adquirere poſſit theſaurum. Vita certe breuis, ars longa eſt, hincque remedia, quibus breui multa complecti tempore adducimur, vtique maximi ſunt momenti. Tantam ſibi ſola in addiſcenda et facienda medicina praeſtantiam vindicat ars logica. Adeo iuuat, praeparat, inſtruit ingenium ac rationem noui medici, vt ipſi addiſcendae eiusdem neceſſitatem iniungat. Quomodo enim diſtinctos rerum conceptus ad omnem cognitionem neceſſarios ſibi formare eosque illuſtrare, quomodo mundi illiusque adfectionum diſtinctam adſequi cognitionem, quomodo nobiliſſimae hominis partis, animae, notitiam, ac primum ſummi machinae artificis conceptum adquirere ſibi poterit, niſi metaphyſicis inſtructus fuerit principiis? Quomodo officium boni viri, boni ciuis, quae ſummo numini, quae ſibi, quae aliis praeſtare debeat, reſcire atque explere poterit, niſi practicae philoſophiae inſtructus diſciplinis? En ſcientiam eorum, quae in mundo a corporibus tum fiunt, tum poſſunt fieri atque debent, en phaenomena eorum, tam propria experientia quam aliorum confirmata. En phaenomenorum cauſſas, ex natura corporum ſagaci diſquiſitione deducendas, ad partium corpus noſtrum conſtituentium naturam adplicandas, earumdemque ad mutationem non minus dirigendas, quam ad emendationem deducendas. En indubiam rerum phyſicarum cognitionis ne-

cessitatem. En ab ipsa ratione commendatam corporum quae ad medicamentorum spectant thesaurum, cognitionem et adplicationis primum principium, vt merito ibi incipiat medicus, vbi desinit physicus. Quantum in re medica quantitatis scientia vsum praestet, quanta ipsius sit necessitas, neminem fugit, praecipue si perspexerit, omnem fluidorum motum, sine quo vita consistere nequit, in canalibus fieri, immo totum adeo corpus ex canalibus consistere. Quem latet, omnem, etiam solidarum, partium modum ad principia mechanica esse compositum? Elegantissimam vtique disserendi materiam ambitus philosophiae nobis suppeditaret, nisi necessitas eiusdem iam satis superque esset adstructa. Ac licita nos iam traheret voluptas, in latissimum digrediendi campum, vbi rei medicae ac philosophicae delicias, vberrimam rerum nobilissimarum segetem, maximi pretii thesaurum, non eminus contemplari, sed adcuratius perspicere et consortium adfinitatemque mutuam explanare iucunda nobis oblatura sese foret occasio. Neque tamen a partibus eorum stare iuuat, qui omne fere in addiscendis disciplinis philosophicis consumunt tempus, quod stadio academico percurrendo est destinatum. Omne in disciplinis philosophicis operis medici exstruendi latet fundamentum. Reliquum, opus ornant atque elegantiam splendoremque haud vulgarem eidem addunt. Sed quum amplissimus sit rei medicae campus, ad peragrandum illum temporis spatium requiritur haud exiguum, hincque facile patet, maximum quidem in philosophia res medicas addiscendi positum esse praesidium, medici tamen nomen ac locum tueri eum haud posse, qui omne tempus addiscendae rei medicae sola philosophorum placita imbibendo praeripuerit. Illud tamen audacter adseuerauerim, felicius in facienda medicina eum progredi, qui quoddam temporis spatium rei medicae subtractum philosophicis rebus impenderit, quam qui disciplinas philosophicas plane neglexit. In plurimis quidem rei medicae partibus vel is quoque amplissimam sibi comparare potest notitiam, qui a rebus philosophicis plane abhorret. Totum corpus humanum cultello anatomico subiicere, partes dissecare, viscera perquirere, solidarum ac fluidarum partium nexum indagare, statum corporis sanum ac morbosum experientia perscrutari, quae prosint, quae noceant, historice

scire,

ſcire, herbas, flores ac radices legere, metalla eruere, ex aliis animantibus aliena experientia inſtructum remedia in corpus humanum reducere, morborum nomina ediſcere, ſigna eorum non adeo abſcondita recenſere, medicamenta praeparare, corpori in re minus dubia adplicare, immo ampliſſimam eum ſibi comparare doctrinam poſſe, non infitias eo. At quum finis rei medicae ſit ſanitas, in hac vel conſeruanda vel reſtituenda, ſi amiſſa fuerit, officium medici praecipue verſari, neminem fugit. Quum igitur plures humani corporis morbi in intimis latitent viſceribus, atque aliorum morborum mentiantur ſigna, vix rectum in morbis dubiis fugandis ingredietur viam. Quumque fluida noſtra ex diuerſae naturae conſtent partibus, hae vero ratione quantitatis et qualitatis et motus examinandae veniant, atque in earum proportione decenti magnum ſanitatis poſitum ſit momentum: quomodo morboſas et corruptas ſanguinis partes et exinde deducta phaenomena eruere, eadem eliminare aut corrigere quis poterit, niſi partium ipſarum cognita ipſi atque perſpecta ſit natura? Quomodo proportionem maſſa ſanguineae debitam reſtituet, niſi ex qualitate partium maſſam ſanguineam conſtituentium colligere ipſi ſit integrum, quaenam quantitas ſingularum ex hoc vel illo genere particularum requiratur, ſi maſſa conſtitui debeat ſanitati conſentanea? Quomodo laeſae proportioni miſcelae maſſae humorum addere poterit quae deficiunt, aut ſubtrahere, ſuperflua, niſi natura corporum medicinalium ac remediorum intime ipſi ſit perſpecta? Addet ignem igni, ſalibus ſalia, ſulphuri ſulphur, terram terrae, aquae aquam, incendium iuuabit, vires imminuet, morbum augebit, fluctuante, quamuis multa doctrina inſtructo, animo corpus ſeruandum corrumpet atque infirmabit, tantumque per neglectum laborem, philoſophicis diſciplinis debitum, ſero nimis deplorabit flagitium; et qui vitae conſeruandae cauſſa vocatus erat, eamdem docta ignorantia ac peruerſa remediorum adplicatione deſtruet. At ne tantorum philoſophiae in rem medicam beneficiorum immemor videar, ſi tempus ſollemni actui ſplendidiſſimi philoſophorum ordinis diutius praeripiam atque limites actui noſtro ſollemni praeſcriptos transcendam, veſtrarum quoque AVDITORES OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI au-

rium patientia abutar, ad ea me accingo, quae instituti ratio postulat.

Adest nempe vir praestantissimus, summorum in arte medica honorum candidatus, decus artis, virtute, doctrina et experientia excellens

IOANNES CHRISTIANVS FRIDERICVS STOCK, Ienensis,

quem tibi, vir illustris, excellentissime, experientissime, IOANNES CHRISTIANE STOCK, philosophiae ac medicinae doctor, chimiae et praxeos professor publice ordinarie celeberrime, serenissimae domus Saxo Vinariensis et Isenacensis consiliarie aulice meritissime, academiae imperialis naturae curiosorum collega spectatissime, procancellarie ad hunc actum constitute magnifice, patrone maximopere colende, de meliori commendo, atque simul etiam atque etiam te rogito, velis, vir magnifice ac illustris, candidato huic licentiam summos in arte medica honores adquirendi, gratiose impertiri, mihique potestatem concedere, summum illi in medicina honoris gradum, qui doctoratus dicitur, vna cum priuilegiis et insignibus doctoralibus conferendi, quod summum beneficium ipse mecum gratissimo animo aeternum agnoscet.

*** *** ***

Prius autem, quam ex concessa a magnifico procancellario potestate doctoris gradum et insignia obtineas, Licentiate nobilissime, iusiurandum consuetum vt praestes, necesse est, digitis sceptro admotis. Age igitur secretarie academiae amplissime, et sollemnem iurisiurandi formulam clara voce praelege.

*** *** ***

Quod itaque deus ter optimus terque maximus felix faustumque esse iubeat, auctoritate inuictissimi imperatoris, FRANCISCI I. auspiciis serenissimorum academiae nutritorum, dominorum meorum clementissimorum, ego

CARO-

CAROLVS FRIDERICVS KALTSCHMIED, philoſophiae ac medicinae doctor, sereniſſimae domus Saxo Vinarienſis et Iſenacenſis conſiliarius cameralis intimus, sereniſſimi Marchionis Brandenburgico Culmbacenſis et sereniſſimi Landgrauii HaſſoDarmſtadienſis conſiliarius aulicus et medicus, anatomiae, chirurgiae et botanices profeſſor publicus ordinarius, comes palatinus caeſareus, academiae imperialis naturae curioſorum collega, academiae ſcient. vtilium electoralis moguntinae adſeſſor, phyſicus prouincialis Ienenſis, facultatis medicae ſenior, brabeuta adhunc actum ſollemnem pleniſſime conſtitutus, ea qua iam polleo, imperatoria poteſtate

Te MATTHIAM CHRISTIANVM KNVTZEN, Tundera Holſatum abſentem tamquam praeſentem:
Te PAVLLVM LAVRENTIVM ELSNERVM, Fridericoſtadio Holſatum a. t. p.
Te CHRISTIANVM GOTTFRIDVM LANGIVM, Budiſſa Luſatum a. t. p.
Te IOANNEM DANIELEM CHRISTOPHORVM BVRCKHAVERVM, Rotenburgo Francum a. t. p.
Te IOANNEM DAVIDEM MAIR, Auguſtanum a. t. p.
Te IOANNEM HENRICVM IAENISCH, Wiburgo Finnum a. t. p.
Te SIMONEM HENRICVM ERNESTVM WISTINGHAVSEN, Detmolſtadienſem. a. t. p.
Te CAROLVM MARTINVM WEBERVM, Vinarienſem a. t. p.
Te CHRISTIANVM CHERNELL, Epperieſſino Hungarum a. t. p.
Te GIDEONEM ROHDE, Bremenſem a. t. p.
Te IO. DAVIDEM GRAV, Volkſtadienſem a. t. p.
Te CHRISTOPHORVM FRIDERICVM GERDING, Harburgo Lunaeburgenſem a. t. p.
Te CAROLVM FRIDERICVM REHFELD, Sunda Pomeranum a. t. p.
Te MELCHIOREM IOAN. A DREILING, Riga Liuonum a. t. p.
Te IO. GOTTFRIDVM BARENDT, Gedanenſem a. t. p.
Te GEORGIVM CHRISTIANVM HERRMANN, Ploena Holſatum a. t. p.
Te FRIDERICVM DETLEV BAAD, Bauſca Curonum a. t. p.
Te IEREMIAM DANIELEM BREBITZ, Rotenburgo Francum a. t. p.

Te

Te FRANCISCVM GOTTFRIDVM FISCHERVM, Caefareo forenf. Hungarum.
Te IOANNEM GRAMMANNVM, Moenofrancofurtenfem a. t. p.
Te HENRICVM LANDIS, Turico Heluetum a. t. p.
Te CHRISTLIEB LEBRECHT ALBERTI, Schlaiza Varifcum a. t. p.
Te ANTONIVM TRVHART, Gedanenfem a. t. p.
Te IO. GOTTFRIDVM BEVMELBVRG, Gothanum a. t. p.
Te WILHELMVM PHILIPPVM SARNIGHAVSEN, Lunaeburgenfem a. t. p.
Te MARTINVM STEHELIN, Riga Liuonum a. t. p.

vos, inquam, omnes atque fingulos antea iam creatos, doctores, nequid mori veterum decedat, abfentes tamquam praefentes, publice iam follemniterque proclamo.

Te vero IOANNEM CHRISTIANVM FRIDERICVM STOCK, Ienenfem, medicinae Licentiatum praefentem,
medicinae doctorem creo, creatum renuncio, renunciatum proclamo, eoque ipfo tibi omnia iura, priuilegia, omnes honores atque immunitates, quibus in aliis S. R. I. academiis legitime promoti doctores gaudent, abunde tribuo atque largior, in nomine facrofanctae trinitatis, dei patris, dei filii et dei fpiritus fancti.

Vt vero dignitatis huius teftimonia quaedam et figna proftent, ea adhuc obferuanda reftant, quae more maiorum recepta funt.

Primum itaque in hanc *cathedram fuperiorem* adfcende. Monet haec eleuatio, tibi, tamquam homini, vti oculis, fic iudicio aliorum hominum expofito, talem vitam femper effe agendam, quae honori tuo conuenerit, praetereaque docendi, difputandi et confultandi poteftatem Tibi effe conceffam.

Porro *libros* oblatos aperio. Reperiuntnr enim in hifce diuitiae ab aliis magno labore collectae, quas negligere nefas foret. Oculi enim plus vident, quam oculus. Nec putare debes, te iam doctorem creatum omnia fcire, quae ad medicinam pertinent, id tantum iam obtinuifti, vt fine viuo praeceptore difcere poffis. Praeceptores perpetui funt libri, quos quousque viuis, confulere debes. Sed eosdem libros antea apertos rurfus nunc claudo. Turpe enim eft medico, ex praeceptore femper, vel

vel libris, quid agendum ſit, quaerere, ipſe ſaepe ſine mora actiones inſtituendas iudicando eruere debes. Interim non exercenda tantum, ſed augenda pro viribus eſt ars, id quod attendendo, iudicando et experimenta propria addendo, non vero librorum lectione, obtinetur.

*Pileum* rubicundum holoſericum capiti tuo impono. Libertatis, dignitatis et eminentiae hoc ſignum eſt, quas omni ſtudio ſeruare debes, nec vmquam committere, quo macula dignitati inuratur.

*Annulum* aureum quoque digito ingero. Nobilitatis enim, perfectionis, integritatis et conſtantiae hoc ſignum eſt. Quae virtutes medico quum maxime ſint neceſſariae, his annuli te vinculo indiſſolubili quaſi deſponſare volui.

Tandem et *amplexu atque oſculo* te excipio. Hoc vero indicat concordiam tibi maxime eſſe fouendam, omnesque homines amore et beneuolentia eſſe proſequendos. Gratioſus enim debet eſſe medicus, nemini moleſtus.

Caeterum nobiliſſime et experientiſſime domine Doctor, primus ego tibi hos honores publice gratulor. Deus optimus maximus ex alto tibi benedicat, ſuaque ſemper adſit gratia, vt donum ſanandi abunde habeas, vt vbique ſapienter et prudenter agas et omnia cedant in diuini ſui nominis gloriam, aegrotorumque ſalutem. Supereſt tandem, nobiliſſime et experientiſſime domine Doctor, vt ipſe ſpecimen eruditionis adquiſitae edas, quod praeſtitum erit, ſi quaeſtionem iam proponendam reſolueris et gratiarum actione decentiſſima finem huic actui impoſueris. Accede igitur, ornatiſſime iuuenis, GEORGI FRIDERICE ECKHARDE, meritiſſimi olim de academia noſtra parentis optimae ſpei fili, et doctori nobiliſſimo atque experientiſſimo problema quoddam reſoluendum propone.

H ORA-

IIII

# ORATIO

## PHILOSOPHORVM ORDINIS NOMINE

D. III. AVGVST. RECITATA

A

## IO. GOTTFR. TYMPIO

LINGV. ORIENTAL. PROF. PVBL. ORD.

FESTVM celebramus annum academiae noſtrae iubilaeum, conditae eius laeteque florentis tertium ſeculum, quae inſignis erga nos et infinita optimi numinis eſt gratia, feliciter ingreſſi, huiusque ſemeſtre poſterius hodierno die feſto ſollemni ritu dedicamus, hoc tempore frugibus foeto prouentum labiorum noſtrorum deo offerentes, poſtquam primum ſemeſtre eiusdem initiauimus piis iuſtisque caerimoniis, reſoluti in gaudia, dum inerti frigore cuncta torpebant conſtricta.

Quam ſecularem feriationem feſtiuam academiae aliae aliquot diebus circumſcribunt, vt ſcientiarum artiumque liberalium auctori et conſeruatori deo gratias agant, eiusque prouidae curae rem ſuam vlterius commendent, illud feſtiuum gaudium nos per annum integrum agitamus, eo quod iubilaeum annum, eumdemque, quod ad rationem feriationis cauſſamque ſpectat, primae eius origini plane conformem, deo conſecrare nobis proprio quodam et priuo iure competere videtur.

Nemo enim eſt antiquarum rerum notitia vel leuiter adſperſus, quin ſciat, deum fuiſſe primum huiusmodi feriarum auctorem, eumdemque non dies aliquot, ſed annum integrum, eisdem tribuiſſe, * cui etiam non minus quam ſabbathico cuiuis, vt eo laetior tranſigi poſſet, abundantiſſimam praecedentis anni vulgaris prouentus copiam, quae etiam in hunc feriatum annum,

* Leu. XXV. 10.

num, omnem agrorum culturam excludentem, * ſufficeret, gratioſiſſime proſpexerit. **

Iura autem eius propria, quibus ab anno differebat ſabbathico, quo debita erant eo fine remittenda, ne quis ebraeus, increſcente pauperie, ad ſubeundam ſerui conditionem adigeretur, vel ad paterna rura vendendi neceſſitatem cogeretur, *** haec erant, vt, ſi nihilominus quis ager ob egeſtatem venditus eſſet, ad priſtinum ſuum poſſeſſorem rediret, * et ſi quis ebraeus, attenuatis opibus, ſeruus factus eſſet, ſuae libertati reſtitueretur vna cum vxore natisque ſuis quibuslibet in hoc ipſo anno.

Iubilaeus igitur annus egenis quidem non potuit non eſſe longe deſideratiſſimus, ad fundos quippe venditos reuerſis ac ſuae libertati reſtitutis. Sed quum haec agrorum reſtitutio ſeruorumque manumiſſio fieri ſtatim ſub eius initio debuit, ſimul atque decimo primi menſis die, anniuerſariis expiationibus ſacro, perſonuiſſet iubilaea tuba: ** facile patet, totum illud quod reliquum erat paene integrum anni curis aliis omnibus atque negotiis omnique opere ruſtico vacui ſpatium non inerti otio datum, ſed occupationi grauiori, ex intentione diuina, deſtinatum fuiſſe, in gaudium non pauperum modo ſed totius gentis deo acceptum tendenti.

Quae autem haec fuerit, haud difficulter elicitur e verbis ipſius legislatoris ſummi, quibus cauſſam declarat, cur iure mancipii vendi non poſſint ebraei, et cur ebraeus ob paupertatem, ſed tamen ad mercenariam tantum operam per aliquot annos praeſtandam, *** venditus, dimitti rurſus in libertatem hoc anno debeat. Hanc vero in eo conſtituit: quod filii Iſraelis, adeoque

 domi-

* l. c. v. 11.
** l. c. v. 21. et conf. IO. MAYERVM de temp. et feſt. Ebr. c. XVIII. §. 43. ſqq.
*** conf. Num. XV.
* Leu. XXV. 28.
** Leu. XXV. 9. coll. Gemarae Babyl. Roſch haſchſchana. fol. 8. b. lin. 28. ſq.
*** Leu. XXV. 40. 41. et 53.

domini non minus quam ferui, ditiores aeque ac pauperes, fint ipfius ferui, quos ex Aegypto eduxerit. *

Dici autem plane nequit, populum ifraeliticum, in Aegypto adhuc degentem, ferui dei nomine dignum vlla ratione fuiffe, quem Ezechiel non vno in loco fub fchemate viliffimi fcorti fiftit, et idololatria deteftabili contaminatum. ** Verum hunc in finem inde educebantur Ifraelitae, vt ab aegyptiacae idololatriae contagione ac vitiorum fordibus contractis purgati, et ad auitam religionem reuocati, in deferto demum ferui dei fierent. ***

Haec ergo, ad quam in Sinai euecta erat domus Iacobi, fumma dignitas permouere debebat non dominos modo ad fratres fuos, eodem fecum fanguine ortos, eiusdemque gratiae focios dimittendos anno libertatis * reuerfo, fed etiam quosuis impellere, curis folutos omnibus, ad illam ipfam toto anno probe expendendam et ruminanda diuina opera, quibus hoc beneficium in eos collatum erat, fingula.

Huic vfui iubilaeas ferias a deo deftinatas fuiffe, vt cuiuis tempori fefto fuus peculiaris praefixus erat fcopus, ipfe quoque iubilaeus fonitus, ** quo indicebantur illae, declarat, vtpote qui Ifraelitis cuiusuis aeui in memoriam reuocabat iftum Iobel, qui primus e caelo perfonuit, atque olim maiores ipforum e caftris, non procul a Sinai monte pofitis, euocauit ad dei feruitium fubeundum. Nec minus idem patefcit ex analogia, quae eft iubilaeum annum inter et pentecoften. Vt enim pentecoftes feftum feptem dierum hebdomades, quae in itinere a finibus Aegypti vsque ad aram *** in Sinai exftructam, in fanciendi foederis inftrumentum, effluxerant, fic etiam iubilaeus feptem fabbathicos annos, iftius itineris memoriam renouantes, immediate excipiebat. Quemadmodum igitur hic dies quinquagefi-

* Leu. XXV. 55.
** conf. c. XXIII. 3. 19. c. XX. 7. 8.
*** Ex. III. 12. 18. c. IIII. 23. et caet. c. VI. VII. c. XVIIII. 5. 6.
* Leu. XXV. 10. Ez. XXXXVI. 17.
** de quo Leu. XXV. 9.
*** de qua Ex. XXIIII. 4.

gesimus semel quotannis, sic etiam annus quinquagesimus bis quouis seculo vniuersi conditorem Israelis regem esse factum, ipsius et populi mutua liberaque consensione, foedere hostiisquae caesis deinceps firmata, memoria deuote impensiusque repetere commendabat posteris.

Perpendere nimirum debebant, vt breuiter dicam, quae prolixam orationem postularent, quomodo maiores ipsorum ex Aegypto liberati, vi prorsus stupenda adhibita, in illo ad Sinai radices indictae congregationis die, quo sol ab orbe condito illustriorem numquam adspexit, nec adspiciet vmquam, ex ipso omnipotentis ore, * et postea amplius per Mosen, ** dei internuncium, perceperint conditiones *** ineundae societatis arctissimae et plane singularis cum suo rege futuro, et qua ratione in ara, ad Sinai radices structa, foederante sanguine fuso, ea sit sancita; quomodo de condendo in mediis ipsorum castris sanctuario, velut praetorio augustissimo, cum Mose in montis vertice egerit deus; quomodo id ipsum, post redintegratum foedus, foedissima idololatria vitulina proterue ruptum, adcuratissime ad eius praescriptum sit elaboratum atque excitatum, excitatumque ab ipso deo, visibili modo, occupatum; quomodo ex ipso leges tulerit de ministris sacrorum et sacrificiis expiatoriis, gratiae euangelicae typis, deque oblationibus aliis quibus castum regi suo cultum exhibere deberent; et quomodo tandem omnia illa iuste sint composita, quibus per anni spatium fuerunt efformati in dei populum, in hac veritatis pietatisque sinaitica schola rite institutum.

Ex quibus satis patet amplissimam omnino vberrimamque haec intra anni spatium inter progenitores suos in amoenissimis Sinai campis gesta materiam Israelitarum generationi cuiuis suggerere potuisse, in qua se per Iubilaei annum exerceret, omnemque animi vim haec meditando intenderet ad pietatem gratitudinemque suam erga benignissimum numen excitandam atque alendam.

 Quem-

* Ex. xx. Deut. V. 4. 5. et 19.
** Ex. xxi. seqq.
*** Ex. xxiiii. 4. 7. 8.

Quemadmodum autem israelitae toto anno iubilaeo grata mente recolere debebant ingens illud et summum dei beneficium, cuius obtinendi caussa ab aegyptiaco iugo liberati fuerant, adsumtionem nempe in dei peculium, qua gloria ipsis propria omnes alias gentes longissime superabant; adsumti autem erant in dei populum dum a falsorum numinum cultu ad patriam pietatem, durante illa seruitute admodum obscuratam et fere exstinctam, reuocati et clarius de ea e Sinai monte atque exstructo prope illum dei sanctuario edocti fuerunt: sic facile intelligitur, AVDITORES AESTVMATISSIMI, quid nobis Iubilaeum academiae nostrae celebrantibus agendum sit potissimum, et quid ad festas impellere choreas nos maxime queat.

Condita enim, vt inter omnes constat, est haec academia a serenissimis principibus Saxoniae, IOANNE FRIDERICO eiusque filiis tribus gloriosissimae memoriae, eum in finem praecipue, vt veritas diuina ad pietatem animis ingenerandam comparata, prout ea in monumentis sacrorum scriptorum vtriusque foederis est exposita, tutam sedem haberet, in qua foueretur atque aleretur, ac laetiora in dies caperet incrementa, postquam illa e tenebris tandem a deo, longum grauemque ecclesiae suae dolorem miserato, per excitatum diuinitus Lutherum, velut per alterum Mosen, aliosque vindices strenuos eruta rursus ac suae libertati suoque nitori reddita esset, quibus post Christi et apostolorum eius tempora per admixta philosophiae gentilis placita, per varia humani ingenii commenta, ex neglectu originalium linguarum iustaeque diuina oracula interpretandi rationis orta, per inanes scholasticorum doctorum subtilitates, per gulones ignauos omniumque rerum ignaros monachos, ac per sacrorum denique antistites, luxuriae, ambitioni, et lucro vnice deditos, sensim fuerat obscurata, oppressa, et tantum non exstincta.

Quum vero haec sublimior sapientia non satis apte tradi atque explicari defendique potest sine linguarum aliarumque disciplinarum ac liberalium artium auxilio, quae simul insignem vitae pie, honeste atque commode transigendae vsum praebent: his quoque Musis mansuetis datum est, vt ei in hoc ingeniorum

domi-

domicilio ad manus ſint ſororioque ac ſuaui vinculo cum ea coniunctae ſimul cohabitent, in ciuitatis chriſtianae ornamentum pariter atque emolumentum.

Quandoquidem autem haec ſingularis eſt ac propria Ienenſis Academiae gloria, qua quotquot exiſtunt alias omnes ſuperat, quod primum fuit repurgatae a corruptelis ac ſordibus doctrinae euangelicae ac primum velut renaſcenti conſtitutum inuiolabile aſylum, in quo adoleſceret ac virile robur adquireret vna cum aliis literis ſcientiisque ingenuis, ſocias ei operas et adiumenta exhibentibus, non ſine iure ac merito hoc diuinae humanaeque ſapientiae templum cum prima repurgatae patriarchalis doctrinae ſchola ſinaitica huiusque ſanctuario, in qua perpolita ea ac magis illuſtrata atque adaucta fuit, conferri poteſt.

Quae quum ita ſint, merito quoque ſequimur iſraeliticae gentis exemplum, iubilaeas ferias noſtras per annum ſimilem in modum producentes, per annum, inquam, cui prouida numinis cura, pietati noſtrae adnuens, remoto a finibus noſtris truculento armorum ſtrepitu, cum tranquillitate etiam laxiorem annonam reddidit, effecitque larga fruge alia, ne quid neceſſitati noſtrae deſit, dum ſacris hiſce operamur, atque haud ſecus ac iſti maioribus noſtris ante duo ſecula in inſtituenda, nobis vero in conſeruanda verae religionis, virtutis ac pietatis, reliquarumque honeſtiſſimarum diſciplinarum palaeſtra exhibitam immenſam gratiam deuoto pectore concelebramus, ſupplicesque per vota deum precamur benigniſſimum, ſuo vt efficiat ſpiritu ne hoc, quod nobis praeſtitit, beneficium ineffabile, vmquam ex animo diſcedat, ac veritatem nobis patefactam ita ſectemur, vt per eam veram animi libertatem, in qua ſumma hominis felicitas eſt poſita, conſequamur, memores effati ſeruatoris noſtri: Si in ſermone meo manſeritis, vere diſcipuli mei eritis, veritatemque cognoſcetis, et veritas vos liberos efficiet. Si autem filius vos liberos effecerit, vere liberi eritis.

Vt vero Ebraei olim in ingreſſu ſtatim huiusmodi anni, quo ipſis laetior nullus fuit, gratum in deum animum ob tanta, ſuae genti exhibita beneficia palam ante oculos omnium teſtaturi,

turi, ſeruos, variis muneribus auctos, ſollemni ritu dimittebant liberos: ſic nos quoque multo potius ſub ipſis huius anni auſpicatiſſimi initiis decreuimus viris atque iuuenibus ingenuis, qui veritatis cognitione animorum libertatem iam dudum ſunt conſequuti, tribuere libertatem, ſuam eruditionem ſuamque virtutem ad alios deriuandi vt velint, fruendique honoribus atque immunitatibus, quibus gaudent ſapientiae et liberalium artium doctores, quo publicum erigamus atque perenne noſtrae in deum pietatis, tantorum beneficiorum Salanae praeſtitorum memoris, noſtrique ſtudii ad augendum Iubilaei huius ſplendorem collati monimentum. Eumque in finem per ſingulos praecedentis ſemeſtris menſes in conſeſſu collegii noſtri ſummis exornauimus in philoſophia honoribus viros quosdam reuerendos et de re chriſtiana bene merentes, iuuenesque doctrina pariter atque virtute conſpicuos. Iam vero ineunte altero ſemeſtri in publica hac ſplendidaque panegyri tum horum ac ſimul cum iis iſtorum, quorum virtus atque eruditio iam praecedente anno his ornamentis ac praemiis a nobis condecorata fuit, proclamabimus nomina, ac iura ſingulis conceſſa maiorum ritu confirmabimus, tum quoque alios abſentes cum praeſentibus ad eumdem huncce dignitatis gradum euehemus, patentem hanc honoris portam * adhuc relicturi dignis vsque dum ſit plane exactus ſecularis hicce annus libertati ingenuae ſacer. Faxit deus vt feliciter!

* per hanc autem admiſſi fuerunt poſt actum hunc ſollemnem, renunciati priuatim ac publico facultatis teſtimonio fulti,

vir generis nobilitate clarus,

IOANNES WENCESLAVS WEINER, Trautenauienſis Bohemus.

virique plurimum reuerendi,

GOTTLIEB. LVDOV. SCHMID. eccleſiae Remdanae paſtor vicarius.

FRIDERICVS GEDICKIVS, V. D. M. eccleſiae Boberouienſis, Mancmoſenſis Mellenſis et Rambouienſis in Marchia Prignicenſi, ſocietatum, latinae Ienenſis, regiae teutonicae Regiomontanae, et Lipſienſis bonarum artium ſodalis,

IOANNES GEORGIVS ORTMANNVS, collaborator S. R. miniſterii Iſenac.

Nec non vir praeclariſſimus atque doctiſſimus

CAROLVS WILHELMVS SCHVMACHER, gymnaſii Iſenacenſis Sub Conrector et ſocietatis latinae Ienenſis ſodalis honorarius.

Ac

Ac denique viri iuuenes nobilissimi atque ornatissimi,

AVGVSTVS GOTTFR. CRAMER, Schmonensis Thuringus, R. minist. Vinar. candidatus, soc. lat. Ien. collega,

IO. GOTTWALT. NEVBERT, Borxlebia Schwarzburgicus, Reu. min. Sondershus. candidatus. et soc. lat. Ien. sodalis,

IO. CASP. HOIER, Vinar. soc. lat. Ien. adscript.

IO. CHRIST. HOIER, Vinar. R. minist. candid. et e societ. latina Ienensi.

IO. CONRADVS HEINE, Oldenburgensis,

CHRISTIANVS FRIDER. MAVRER, Saalfeldensis.

Sunt autem, qui haec ingenii bonaeque mentis insignia iam ante has iubilaeas ferias bene meriti impetrarunt,

viri plurimum reuerendi atque doctissimi

IO. GOTTLIEBIVS SCHWARZIVS, Lauba Lusatus, ecclesiae apud Ioann-Georgopolitanos diaconus meritissimus, et

CAROLVS SEVERINVS ADOLPHVS KREYSIGIVS, verbi diuini apud Schlothemenses minister, ac societatis liberalium artium Lipsiensis socius.

nec non viri clarissimi, praenobilissimi et ingenio atque doctrina praestantes,

IO. CHRISTOPH. CRAMERVS, Schmonensis Thuringus, societ. lat. Ienensis ab epistolis,

BALTHASAR MVNTERVS, Lubecensis, societati teutonicae Ien. adscriptus,

IO. HENRIC. VINCENTIVS NOELTINGIVS, Hamburgensis,

FRIDERIC. DAN. BEHNIVS, Lubecensis, societ. teut. Ien. socius,

qui singuli suam eruditionem docendo in hoc Athenaeo probare iam coeperunt.

atque etiam vir iuuenis praenobilissimus

LAVRENTIVS ALBERTVS HERMANNVS GIESE, Lunaeburgensis.

Ad augendam autem posterorumque memoriae commendandam iubilaei anni celebritatem, per semestre quidem exactum hosce honores contulimus in

virum praecellentissimum, SAMVELEM TIEFFENSEE, collegii Groeningiani professorem latinae et graecae linguae, nec non conrectorem scholae Stargardiensis meritissimum,

itemque in viros maxime ac plurimum reuerendos

CHRISTIANVM ALBERTVM DELBRVGCK, Stuera Megapolitanum, paſtorem Wismarienſem ad aedem Spiritus S. et nigri coenobii,

GOTTLIEBIVM OCTAVIVM GRIMM, Gedanenſem, archidiaconum Wismarienſem ad aedem diuae Mariae,

DANIELEM IOACH. KVHL, Sundenſem, diaconum Wismarienſem ad aedem diuae Mariae,

EHREGOTT CHRISTIAN. ENGHARD, Wismarienſem, diaconum ad aedem diui Georgii apud Wismarienſes,

CHRISTIANVM HAVPT, Megapolitanum, diaconum Wismarienſem ad aedem diui Nicolai,

CHRISTOPH. GOTTHOLDVM THIENEMANNVM, paſtorem et diaconum Luccauienſem in marchionatu Miſnico,

CHRISTOPHORVM GOTTLIEBIVM LAIRIZIVM, diaconum Remdenſem,

IO. MICHAELEM GEORGIVM SCHWEBE, Iſenacenſem, eccleſiae Lobedanae diaconum,

ANTON. GOTTFRIDVM LVNGERSHAVSEN, paſtorem Lehnſtadii et Hammerſtadii in ducatu Vinarienſi,

CAROLVM LVDOV. KVHLESIVM, paſtorem Rohranum in dioeceſi Suhlana,

IO. CHRISTIAN. HVLSNERVM, verbi diuini apud Frankendorfienſes, Holſtadienſes et Koetſchauienſes miniſtrum.

Nec non in viros ac iuuenes praenobiliſſimos atque ornatiſſimos

IO. BERTRAMVM MIELKIVM, magiſtrum apud Kilonienſes legentem, et ſociet. teuton. Ienenſis collegam,

IO. NICOLAVM KIEFFER, Ottouillano Saaraepontanum, magiſtrum hic Ienae docentem,

IAC. FRID. SCHMIDT, reuerendi miniſt. Gothani candidatum, et ſociet. teuton. Ienenſ. collegam,

IO. FRIDER. FORBERGIVM, Ronneburgo Altenburgenſem, ſancti miniſterii candidatum,

IO. GOTTLIEB ZIKLERVM, Sulza Vinarienſem, miniſt. ſacri candidat.

CHRISTIAN. ADOLPH. TROEBSTIVM, reu. miniſt. Vinar. candid. et ſociet. lat. Ien. collegam,

IO.

IO. NICOL. MOECKERTVM, Schwarzburgicum, ſociet. lat. Ien. collegam,

IO. CHRISTOPH. RASCHIVM, Scherbta Iſenac. ſociet. teuton. Ien. membrum et ſocietat. Lipſienſis liberal. art. collegam ordin.

Hoc vero die feſto hac laurea ornabimus

virum excellentiſſimum atque doctiſſimum IO. FRID. FASELIVM, medic. doctorem et profeſſorem extraord. celeberrimum,

virum clariſſimum atque eruditiſſimum IO. DAVIDEM GRAV, doctorem medicinae digniſſimum,

virum praenobiliſſimum IO. GOTTLOBIVM AVLIG, Lignitienſem Sileſium, praefectum inſtitutioni liberorum ſereniſſimi principis haereditarii Coburgenſis meritiſſimum,

viroſque iuuenes ornatiſſimos

THEODOR. FRIDER. GVILIELM. REIME, Apoldan. reu. miniſt. candidatum, et

SAMVEL CHRISTLIEB HOLZAPFELIVM, Numburgenſem, reu. miniſt. candidatum,

ac vos, viros plurimum reuerendos, iuuenesque praeſtantiſſimos, qui in ſplendida hac concione praeſentes comparuiſtis, videlicet

Te IEREMIAM CHRISTIANVM THEVERVM, paſtorem Iſſerſtadienſium,

Te IO. CHRIST. IONAM SCHWARZIVM, paſtorem Palaeogonnanum, Krippendorfienſem, et Leheſtenſem, nec non ſociet. lat. Ien. colleg. honorar.

Te CHRISTIANVM LVDOV. GRIESHAMMERVM, Roda Oſterlandum, paſtorem Gauerenſem,

Te IO. THEOPHILVM HAAGE, Wikerſtadio Vinarienſem,

Te HENRICVM GVILIELMVM REIME, Apold. reu. miniſt. Vinar. candidatum,

Teque IO. ANDR. HERZERVM, Altſtadio Iſenacenſem.

Ante vero quam id fiat, lege tenemini, vt iureiurando fidem nobis religionemque veſtram obſtringatis.

Quare Tu, clariſſime academiae Secretarie, praei verba in quae iurent, idque clara ac diſtincta voce.

 Quod

Quod igitur felix ac fauſtum eſſe atque in emolumentum ac ſalutem Ienenſi academiae noſtraeque inprimis facultati, nec non in ſingularem huius Iubilaei ſplendorem decusque perpetuum cedere iubeat deus ter optimus maximus, auctoritate ſacrae caeſareae maieſtatis imperatoris romani et germanici auguſtiſſimi, FRANCISCI I. clementiſſimisque auſpiciis celſiſſimorum Saxoniae ducum, Erneſtinae proſapiae, munificentiſſimorum academiae nutritorum, de voluntate atque ſententia ampliſſimi philoſophorum ordinis, ego

IOANNES GOTTFRIDVS TYMPIVS,

philoſophiae doctor legitime promotus, linguarum ſacrarum et orientalium reliquarum profeſſor publicus ordinarius, procancellarius atque brabeuta rite conſtitutus,

pro ea, qua polleo ad hunc actum auctoritate caeſarea, vos omnes ac ſingulos abſentes aeque ac praeſentes modo nominatos, philoſophiae doctores, quos vulgo magiſtros vocant, creo, creatos renuncio, et renunciatos vna cum iis, quos hocce honore iam antea in facultatis noſtrae conſeſſu exornatos ac publico diplomate munitos modo recenſui, nunc publice proclamo, et vt pro talibus habeamini ab vnoquoque volo, mando ac iubeo, nec non vobis omnia iura ac priuilegia, quae huic dignitati vel de iure vel de conſuetudine per totum Romanum imperium competunt, tribuo, ac iam tributa confirmo, idque in nomine ſacroſanctae et indiuiduae trinitatis, dei patris, filii, et ſpiritus ſancti, cui vni deo ſit laus, honor et gloria in ſempiterna ſecula.

Ne autem quid deſit caerimoniae huic promotioni, publico ritu ac more antiquo peragendae: ad ea ſymbola accedo, quibus maiores noſtri prudenter vſi ſunt ad res, his imaginibus depictas, eo altius animis infigendas.

Et primum quidem capitibus veſtris *tiaras* impono. Ornamenta hae ſunt atque inſignia doctorum ſapientiae, quibus admoneantur, vt graues atque honeſtos dignosque ſuo nomine ſe coram oculis omnium ſemper gerant, nihilque admittant, quo illud contaminari vlla ratione poſſit.

Ne

Ne autem nomen adepti doctorum existimetis, vos iam satis esse prouectos in litterarum artiumque studio, ita vt partis contenti otio vos dare queatis, vobis *aperio libros*, vt antiquorum pariter recentiorumque ingenii monumenta versetis diurna nocturnaque manu, cognituri quid veteres inuenerint, quidque eorum inuentis addiderint recentiores.

Verum enim vero hac sedulitate sola non satis consuletis vobis. Heluo librorum tantum abest vt ad solidam enitatur scientiam, vt potius per solam eorum lectionem confusam saltem indigestamque molem congerat, memoriam obruentem, ad vsum autem ineptam.

Quapropter *libros* iterum *claudo*, quemadmodum riui sunt claudendi, postquam sat prata biberunt, vt ex iis, satis rigatis, laetior herbarum florumque prouentus enascatur. Veritatis indagatori conueniens non est iurare in verba vllius magistri, sed quae sunt dicta ab aliis studiose digerere, examinare acrique iudicio perpendere, atque intendere ingenii neruos, vt veritatem ab aliis monstratam eruat plenius, inuenta perpoliat, ac noua inuentis addat, et sic legendo ac meditando ad sapientiae culmen contendat.

*Annulum* quoque *aureum* manibus vestris indo, qui et connubii et libertatis est signum. In sapientiae quippe doctore blando atque indissolubili vinculo coniunctum sit veritatis studium cum sincerae virtutis amore et consectatione, vnde vera animi a vitiorum seruitio libertas veraque felicitas propullulat ac magis magisque excrescit.

Ac tandem *amplector* vos atque *deosculor*. Osculum sit pacis, concordiae atque amicitiae non fucatae indicium et tessera. In vere erudito iustitia et pax se inuicem osculentur. Quid verum quid rectum esse cognouerit arcte quidem complectatur, rigidusque sit virtutis verae ac veritatis custos atque satelles; sit tamen mitis atque vrbanus erga quoscumque, non asper et iracundus, sed alienus a rixis et contentionibus, qui amice ferat dissentientes atque etiam a virtutis tramite declinantes

cum modeſtia corripiat, amico animo et blando ore ad officium eos reuocaturus.

Sic ſatis monitis vobis ex animo gratulor de adquiſitis honoribus, atque immortale numen deuote precor, vt eos vobis eſſe fortunatiſſimos iubeat eumque rebus veſtris largiatur ſucceſſum, vt gloriam nominis ipſius prouehere, rei chriſtianae orbisque eruditi commoda augere, ac denique academiae et facultatis noſtrae decus ampliare abundantiſſime valeatis.

Te autem pater omnipotens ac gratioſiſſime oro atque obteſtor per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt celſiſſimos Saxoniae principes, academiae huius nutricios liberaliſſimos ac dominos noſtros clementiſſimos, vna cum ſereniſſimis eorum domibus omni felicitatis genere cumulatiſſime auctos quam diutiſſime ſerues, vtque hoc verae religionis atque pietatis ſacrarium, quod condidit dextra tua, quodque in hanc vsque diem tuitus es potentiſſime, ita porro protegas, vt aduerſus omnem hoſtium vim ad finem ſeculorum impollutum, intemeratum, inconcuſſumque perſiſtat. Dixi.

Iam vero tu, praenobiliſſime atque clariſſime domine magiſter REIME, vt tuos in litterarum ſtudio progreſſus oſtendas, quaeſtionem quamdam in medium adfer, quam vir illuſtris atque excellentiſſimus, dominus conſiliarius aulicus atque profeſſor moralium et politices celeberrimus, DARIESIVS, collega noſter honoratiſſimus, ſcite docteque reſoluere haud grauabitur.

Tandem et tu, praenobiliſſime doctiſſimeque domine magiſter HERZER, gratias age decentes pro honoribus, quibus imperiti eſtis, ac pro incolumitate ſereniſſimorum Saxoniae ducum proque perpetua academiae ſalute vota concipe.

PRO-

V

PROGRAMMA

# PHILOSOPHORVM IENENSIVM

## SVPREMOS ORDINIS SVI HONORES IN SACRORVM HORVM MEMORIAM CANDIDATIS CONFERENTIVM

---


## FACVLTATIS PHILOSOPHICAE IENENSIS DECANVS SENIOR CETERIQVE ADSESSORES

ANNVS iam labitur ab natali huius academiae ducentesimus, quo, adnuente Deo, feliciter transacto, ad sacra secularia rite celebranda properandum, et numini diuino, sub cuius moderamine per bina haec secula inconcussa stetit incluti huius artium emporii salus, labiorum animorumque sacrificium supplicationibus piis ferendum est. Exigit a nobis hoc grati animi documentum, ineffabilis dei clementia, qua varias inter calamitates et exitiales rerum conuersiones, musarum hoc domicilium per longissimam annorum seriem seruauit integrum, vt in hunc vsque diem vigeant, et a pluribus, publice priuatimque, tradantur diuinarum humanarumque rerum doctrinae, nec vlla sapientiae et eloquentiae pars conticescat. Factum hinc inde est, vt ex hoc prytaneo, tamquam ex equo Troiano, prodierint sapientiae heroes, qui non intra Germaniae modo ambitum et fines, sed in exteris etiam terris et regionibus de coetu sanctiore, de republica deque academiis et ludis litterariis quibuscumque optime meriti sunt, et adhuc merentur. Quodsi vero in natalitiorum dierum celebrationibus, et aliis huiusmodi laetitiis publicis, reges atque magnates, dignitates et dona conferre, vel certaminibus obtinenda proponere consueuerunt; haud nefas erit, in publica ac seculari litterariae vniuersitatis nostrae laetitia, honores et dignitates bene merentibus, velut iis, qui in arena pulcre steterunt, distribuere, quo et aliis calcar stimulusque quasi addatur, vt in eadem virtutis semita indefesso pede progrediantur. Tametsi

metsi enim virtus sibi ipsi pulcherrima merces est, futurum tamen esset, vt sine brabeo gradum ea sisteret, imitatorum ardor inter tot tantasque vigilias languesceret, et in tenebris eruditionis thesaurus perpetuo latitaret. Habent vero id excelsa ingenia sibi peculiare, vt non cumulatas quidem diuitias, non corporis voluptates, sed quae ab immortali anima bonae menti offeruntur, honestissima et iustissima praemia, bonam scilicet existimationem promeritosque honores, aestiment. Quae quum ita sint, SERENISSIMI sacrae publicaeque rei seminarii nostri CONDITORES, inter caelites nunc triumphantes, ab inuictissimo caesare FERDINANDO I. philosophico non minus ordini quam facultatibus reliquis, splendidissima impetrarunt praemia, quae etiam per bina haec secula, propemodum elapsa, dignissimis philosophiae candidatis multoties collata sunt. Atqui in seculari natalis academiae celebritate, quae, quod deus feliciter euenire iubeat, a. d. II mensis Februarii anni proximi initium sumet, faciliorem dignis litteratisque ingeniis reddere ad hanc honoris portam aditum, et aliquam eorum sumtuum, qui ordinarie solui solent, partem remittere decretum fuerat. Ne vero ii, quibus faustis his auspiciis frui volupe est, temporis breuitate, a proposito auocari sese patiantur, ipsum promotionis, quam vocant, actum, die III. proxime instantis mensis augusti instituere, consultius iudicatum est. Qua de re omnes ac singulos hos summorum in philosophia honorum candidatos, vt ante terminum praefixum apud decanum nostri collegii nomina sua profiteantur, comparataeque, in elegantioribus litteris et sapientiae studiis, eruditionis, iuxta tenorem statutorum nostrorum, specimina exhibeant, publico hoc scripto volumus rogatos. P. P. in academia Ienensi sub sigillo facultatis artium, die XXI decembris A. P. R. S. CIƆIƆCCLVII.



SOCIE-



# SOCIETATIS LATINAE
# VOTA SECVLARIA
## PRO ACADEMIAE CONSTANTI SALVTE IN IPSIS HIS FERIIS SOLLEMNI RITV NVNCVPATA

---

## I
## PROGRAMMA SOCIETATIS VOTA HAEC SECVLARIA INDICENTIS

---

SOCIETATIS LATINAE
PRAESES DIRECTOR EPHORVS SENIOR
CVM SODALIBVS RELIQVIS



QVVM Romae P. Sulpicius Galba, bellum Philippo, Macedonum regi, indicendum esse, ratus, eam rem ad senatum retulisset, is, LIVIO *a*) teste, decreuisse, dicitur, *vt consules maioribus hostiis rem diuinam facerent, cum precatione ea:* QVAM REM SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DE REPVBLICA DEQVE INEVNDO NOVO BELLO IN ANIMO HABERET, EA RES VTI POPVLO ROMANO SOCIISQVE AC NOMINI LATINO BENE AC FELICITER EVENIRET. Facto hoc senatusconsulto reque diuina rite per-

K acta,

*a*) *libr.* XXXI. *cap.* 5. tom. III. p. 514. ed. DRAKENBORCHII.

tori. *e*) Neque vero desunt alia in priscis scriptoribus exempla, quae formulae huius in comitiis, in sacris; aut si quid pro reipublicae salute agendum erat, frequentem vsum satis et abunde demonstrant. Apud LIVIVM *f*) Metellus, postquam multa contra censorum morosam seueritatem grauiter dixerat, hos adfatus, *quod in omnibus fere*, inquit, *precationibus nuncupabitis verbis:* VT EA RES MIHI COLLEGAEQVE MEO BENE ET FELICITER EVENIAT, *id ita, vt vere, vt ex animo velitis euenire.* Quum Carthaginiensibus bellum inferendum esset, latum more consueto ad populum: *vellent, iuberent, populo carthaginiensi bellum indici*, habitaque dein belli caussa supplicatione per vrbem, adorati dii, VT BENE AC FELICITER EVENIAT, *quod bellum populus romanus iussisset. g*) Quum porro contra Perseum, Macedonum regem, bellum Romae adpararetur, priusquam hoc fieret, consulibus designatis P. Licinio Crasso et C. Cassio Longino id negotium dedit senatus, vt, quo die magistratum iniissent, hostiis maioribus rite mactatis, precarentur, *vt, quod bellum populus romanus in animo haberet gerere*, VT ID PROSPERVM EVENIRET. *h*) Non necesse esse, videtur, plura ea de re testimonia, ab aliis iam, nominatim a BARNABA BRISSONIO *i*) collecta, hic in medium adferre. Addidisse sufficiat vnicum ex *orationis ad Caesarem de republica ordinanda* AVCTORE, *k*) quem plerique SALLVSTIVM, alii alium faciunt. *Ceterum*, ait is, *deos immortales obtestor, vti, quocumque modo ages*, EA RES TIBI REIQVE PVBLICAE PROSPERE EVENIAT. Atque eamdem hanc sollemnem precationis formulam, quum bellum Philippicum ineundum esset, non senatus solum consulibus, sacra facturis, praescribit; sed

 etiam,

*e*) *nam quod precatus es, vt illa ipsa ordinatio comitiorum* BENE AC FELICITER EVENIRET NOBIS, REIPVBLICAE, TIBI, *nonne tale est, vt nos hunc ordinem votorum conuertere debeamus*, *panegyrico*, *cap.* LXXII. p. 356. ed. SCHWARZII.

*f*) *libr.* XXXX. *cap.* 46. *tom.* V. p. 527.

*g*) legatur LIVIVS *libr.* XXI. *cap.* 17. *tom.* III. p. 380.

*h*) apud LIVIVM *libr.* XXXXII. *cap.* 28. *tom.* V. p. 643.

*i*) *loco memorato*, vbi similia effata ex CAESARE *de bell. gall. cap.* XXV. PLAVTO, *trinumm. act.* I. *scen.* 2. v. 2. CICERONE *libr.* VIIII. *epist.* 8. *ad famil. libr.* XVI. *epist.* 21. et PETRONIO *cap.* LXXVII. proferuntur.

*k*) *tom.* II. *operum* SALLVSTII p. 204. ed. HAVERCAMPI.

etiam, quum postea populus bellum id iussisset, supplicatione a consulibus in triduum indicta, dii circa omnia puluinaria obsecrati sunt, *quod bellum cum Philippo populus iussisset*, ID BENE AC FELICITER EVENIRET, VT LIVIVS *l*) disertis verbis refert.

FIT igitur Romae eo tempore ex senatus decreto sollemnis illa ac maxime religiosa precatio, vt arduum hoc negotium non solum senatui et ciuibus; sed etiam SOCIIS AC NOMINI LATINO bene ac feliciter eueniat. Nemini potest; aut debet esse incognitum, veteris Latii incolas, in societatem cum romanis adscitos, ab his multa egregia iura ac priuilegia obtinuisse *m*) inque sociis reliquis, tam exteris; quam italicis, omnium praestantissimos ac nobilissimos habitos *n*) ac modo SOCIOS LATINOS, modo SOCIOS LATINI NOMINIS: item SOCIOS NOMENQVE LATINVM; aut SOCIOS AB NOMINE LATINO fuisse nuncupatos. *o*) De horum sociorum salute romani tempore huius ineundi belli tanto magis erant solliciti; quo illustrioribus documentis non solum antea; sed etiam tunc fidem eorum perspexerant, et quo exploratius esse, videbatur, maximam sociorum horum felicitatis partem a reipublicae romanae incolumitate et prospero rerum eius statu esse exspectandam. Neque vero non ipsi socii, quam arcto vinculo cum reipublicae flore salus eorum coniuncta esset, agnouere eamque in rem nullum facile studii officiique erga romanos genus desiderari in se, passi sunt; sed publice gratam pro tot tantisque in se collatis beneficiis mentem sunt testati. Patet id cum ex priscis fide dignissimis scriptoribus; tum ex permultis, a PETRO MARCELLINO CORRADINO et IOSEPHO ROCCO VVLPIO *p*) congestis, litteratis lapi-

*l*) *libr.* XXXI. *cap.* 8. *tom.* IIII. p. 520.

*m*) legatur, praeter ceteros, CAROLVS SIGONIVS *de antiquo iure ciu. rom. libr.* I. *cap.* 2. p. 473.

*n*) vid. MANVTIVS *de ciuitate rom. tom.* I. *thes. ant. rom.* GRAEVII p. 20. de ipsis vero Latii populis, eorum historia et fatis PETRVS MARCELLINVS CORRADINVS et IOSEPHVS ROCCVS VVLPIVS, opere, quod *vetus Latium profanum et sacrum* inscriptum, X. tomis Romae ab anno CIϽIϽCCIIII. vsque ad annum CIϽIϽCCXXXXV. in lucem publicam prodiit.

*o*) conferantur SIGONIVS et MANVTIVS, *locis* modo *memoratis.*

*p*) *opere laudato.*

lapidibus, qui egregia honoris monimenta, a latinis sociis tam reipublicae, consulibus, praetoribus; quam imperatoribus, aliisque praeclare meritis viris et patronis statuta, ad posteros detulere. Idem factum est non solum ab aliis Italiae et prouinciarum ciuitatibus, *q*) quando se intelligebant beneficiis ornatas a republica; sed etiam ab iis Latinorum et exterorum societatibus, quae, numinis colendi gratia, coire olim; aut alias ob caussas congregare se solebant, et quales fuere CVLTORES HERCVLIS apud GRVTERVM *r*) et FABRETTVM *s*) CVLTORES IOVIS ARKANI apud MVRATORIVM: *t*) CVLTORES BONAE DEAE apud eumdem: *u*) CVLTORES IVNONIS in oppido quodam Latii, *Lauro Lauinium* dicto, apud REINESIVM *x*) et in *codice Theodosiano*, *y*) quo hi Iunonis cultores *societatis* nomine insigniuntur, et cum HERCVLIS CVLTORIBVS, qui Herculi, vti alii apud FABRETTVM *z*) Siluano, decuriatim sacra fecere, comparantur. Ab his diuersi erant socii monimenti cuiusdam communis, quorum meminit inscriptio GRVTERIANA *a*) eosque gratos se erga curatorem suum praebuisse, perhibet OB PIVM OFFICIVM INDVSTRIAM ERGA SOCIOS.



*q*) in eiusmodi monimentis, a sociis Iatinis pariter, ac aliis honoris caussa positis, frequentes sunt formulae: OB MERITA apud GRVTERVM p. CCCC XVIIII. 5. CCCCXXII. 3. MVRATORIVM CIƆII. 3. CIƆCVIII. 2. 3. CIƆ CVIIII. 4. CIƆCXVI. 6. OB INSIGNEM EIVS BENEVOLENTIAM apud GRVTERVM CIƆLXXXXIIII. 3. OB EXIMIVM IN MVNICIPES SVOS AMOREM apud eumdem p. CCCCLIIII. 8. OB INSIGNIA EIVS GESTA p. CCCCLX. 4. OB INSIGNIA BENEFICIA p. CCCLVII. 5. OB AMOREM EIVS ERGA SINGVLOS VNIVERSOSQVE p. CCCLXXXVIII. 3. OB MERITA ET AMOREM, QVEM ERGA ORDINEM ET CIVES EXHIBET, apud MVRATORIVM p. CIƆCXVII. 1. OB INSIGNIA IN VNIVERSOS COLLATA BENEFICIA, apud eumdem p. CIƆCXX. 1.

*r*) p. CCCXV. 7.

*s*) *inscript. domest.* p. CCCCXXVIIII.

*t*) p. CLXXXI. 7.

*u*) pag. ead. *num.* 9.

*x*) *syntagm. inscript.* q. 687.

*y*) *leg.* 46. *de curs. publ. imperator. Val. Theod. Arc.* COSS.

*z*) *inscript. domesticis* p. CCCCXXXXVIII.

*a*) p. IƆLXXXVIII. 15.

TERTIVM aetatis suae florentissimae seculum optimis, vt omnes boni confidunt, auspiciis breui adtinget ACADEMIA IENENSIS, optima illa ingeniorum nostrorum mater. Videtis iam, OPTIMI CIVES, splendidum et operosum sollemnium secularium adparatum meritoque VOS laetamini, vestrum academicae vitae curriculum in ea incidisse tempora, quae in tanto armorum strepitu tot festiuae adclamationes: tot effusae et exsultantis laetitiae monimenta: tot religiosae et nunquam antea a VOBIS visae caerimoniae ad vltimam posteritatis memoriam nobilitabunt. Audiuistis vsitatam illam veteris Latii et rerum maximarum auspiciis adstrictam formulam. Hanc suam auspicatissimo isto tempore facit ACADEMIAE NVMINI DEVOTA SOCIETAS LATINA ac more institutoque maiorum precatur: VTI HOC SACRVM SECVLARE SENATVI ACADEMICO NOSTRAE REIPVBLICAE AC SOCIIS NOMINIS LATINI BENE AC FELICITER EVENIAT. Audiuistis sociorum latinorum magnam erga rempublicam fidem ac pietatem gratique eorum pro collatis in se beneficiis animi documenta contemplati estis. Piam hanc ac laudabilem consuetudinem imitabitur LATINA SOCIETAS, quae, quot honoris et dignitatis accessiones ex huius academiae flore fecisse se, videt, tot certe, easque sanctissimas, in ea colenda iamdudum sibi indixit leges. Sacris igitur, quae propediem academia peraget, secularibus pia vota adiunget nostra societas et laetissimum hunc diem votiuis plausibus et, quibuscumque potest, gaudii et summae erga beneficam suam matrem obseruantiae signis excipiet. Vt vero omnia auspicato fiant, director noster IO. ERNESTVS IMMANVEL WALCHIVS, oratoris prouinciam imponi sibi passus, societatis nomine vota pro academiae ciuiumque salute sollemni ritu nuncupabit simulque *summam academiae Ienensis gloriam ex tristioribus eius fatis* publice demonstrabit. Oratione finita, surget vir illustris ac generosissimus ADOLPHVS CHRISTIANVS ERNESTVS AB VFFEL, eques Misnicus, sodalis noster nobis coniunctissimus, ac seculari carmine praeteritum seculum obsignabit, futurum firmabit veterumque Quiritum more ad exposcendum voto, ad commendandum precatione sollemni vtetur. Exposcet pro hac musarum sede AVREVM SECVLVM: commendabit eam dei optimi maximi curae ac prouiden-

uidentiae, ne vmquam litterata haec respublica, quae per bina secula floruit, detrimenti quid capiat. Sacra haec secularia ad d. IIII. februar. hora II. pomeridiana in templo academico celebrabuntur, quibus vt serenissimorum Saxoniae ducum et rectoris academiae magnificentissimi legati perillustres, academiarum delegati magnifici, magnificus academiae prorector, eiusdem magnificus prorector designatus, illustrissimi comites, venerandi patres conscripti, societas teutonica amplissima, hospites omnium ordinum honoratissimi ac commilitones generosissimi nobilissimique frequentes interesse: praesentia sua honorificentissima festum hunc diem splendidiorem efficere ac vtrique votorum societatis interpreti audiendi studium et suffragandi voluntatem comprobare velint, sodales omnes enixe optant ac ea, qua decet, ratione precantur. Ienae d. XXVIIII. ianuar. anni secularis CIↃIↃCCLVIII.

---

II

# ORATIO SECVLARIS

D. V. FEBR.

NOMINE SOCIETATIS

HABITA

A

IO. ERNESTO IMMAN. WALCHIO

DICTAE SOCIETATIS DIRECTORE

Bene ac sapienter maiores nostri, AVDITORES, statuerunt, aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nasci haud raro solere inque aduersissimis rebus occultam numinis vim tam luculenter tamque manifesto sese prodere, vt in ipso acerbissimo calamitatis publicae sensu futurae felicitatis praesensio et certissimum

vici, fora pietatis feruent calore: illinc furor bellicus diruit aedes, tuguriis relictis, ſtant incolae derelicti, tormentorum fulgura et fragores omnia miſcent, tremit terra, exalbeſcunt ciues metu, cadunt oculi, vultus, verba, conticeſcunt omnia ob minacem et truculentam Martis frontem, ob furialem dimicantium ſtrepitum: hic tuta omnia et tranquilla, vigent litterarum ſtudia, ſalua eſt inter arma, velut altera Delus, * academia, inter regum et principum meditationes campeſtres hoc ancile non mouetur, nullam vim, nullam manum violentam et ſacrilegam hoc timet palladium.

DEI hoc opus, hoc munus eſt, PRAESTANTISSIMI AVDITORES. Huius numine maria, terrae, pax, bella reguntur: huius nutu extabeſcunt robora corporum, dilabuntur vires animorum: huius imperio diſſipata quoque eſt atrox et ſaeua illa tempeſtas, quae te nuper, ſacra tua ſollemnia paraturam, OPTIMA ACADEMIA, adoriri videbatur. Quanta profecto, quanta ſecundioris tuae fortunae fiducia eſſe poteſt, ſi deum ipſum res tuas tam prouide, tam ſapienter moderari, ſi tuis eum ſacris et religioſae caerimoniae fauere, ſi tibi ſua ope, ſuo auxilio tam praeſentem eum ac manifeſtum cognoſcis, quam caelum ac ſidera inſidet. Macte, macte, ACADEMIA, hac tua diuinitus tibi data felicitate, macte eadem, quae et tua eſt, PRAESTANTISSIMA SOCIETAS. Et iure quidem meritoque in hoc communis gaudii conſortium veniſſe te, omnibus bonis, et qui tibi bene cupiunt, videberis. Si enim tuam quaeris ſalutem, vnde maius et firmius tibi praeſidium; quam ex hoc muſarum templo, erit exſpectandum? Si parentibus fauſta quaeuis precari, fas eſſe, ducis, quidni pro hac academia, pro tua, inquam, tam benefica matre, in cuius ſinu foueris et creſcis, vota certatim nuncupares? Si aequum eſt, vt eos colamus, a quibus beneficiis nos auctos intelligimus, cui religioſiorem grati animi ſponſio-



* Vide CICERONEM *libr.* I. *in Verrem, cap.* 18. *tom.* I. eius *orationum, part.* 2. p. 453. edit. GRAEVII, coll. *orat. pro lege Manil. cap.* 18. Adde ill. EZECH. SPANHEMIVM *de vſu et praeſt. numiſm. diſſ.* VIII. p. 639. ſq.

ſionem debes, quam huic reipublicae litterariae, optime de te meritae? Si rerum primordiis certiſſima de futuris omina inesse ſolent, vnde verius felicitatis tuae augurium: vnde meliora rerum bene gerendarum auſpicia petes; quam ex hoc ſacrato muſarum campo? Si ipſam denique tuam laudem ex gloria: tuum florem ex incolumitate huius academiae, vti fas eſt, metiris, quid ad futuram commendationem opportunius: quid ad famam certius: quid ad proſperrimum rerum tuarum ſtatum tutius accidere tibi potuit; quam, quod fatorum indulgentia conceſſum nobis omnibus eſt, auſpicatiſſimum ſacrorum ſecularium tempus? Perfice nunc coepta ſacra, academiae huius numini deuota SOCIETAS, et ita perfice, vt, quum nemo in hac vrbe inueniatur, cuius oculis non laetiſſimum ſit, fauſtiſſimae huius lucis, magnae huius feſtiuitatis conſpectu impleri, eamdem tibi mentem deum benigniſſimum dediſſe, cognitum fiat ac manifeſtum. Perfice ſacra tua et ita perfice, vt, quum venerit aliquando tempus, quo poſteri viſere viſendaque tradere minoribus ſuis haec ſollemnia geſtient, academiae gratulaturi, alternis quaſi votis tibi ſimul gratulentur: matri, quod accepiſſe, filiae, quod dediſſe viſa ſit tot ſollemnia ſummae reuerentiae ac intenſiſſimi gaudii pignora. Perfice ſacra tua et ita perfice, vt, ſi fauſtiſſimas vniuerſae ciuitatis et vniuerſi pene litterati coetus adclamationes legerint futura ſecula, his et tua, id eſt pietatis, voce ſubſcriptum eſſe, videant. Vtinam vero, mihi, votorum tuorum interpreti, digna te, digna VOBIS, AVDITORES, contingeret oratio. Vtinam tanta mihi eſſet dicendi vis, quantam huius diei celebritas: huius ſplendidiſſimi congreſſus dignitas: huius academiae laudum amplitudo eiusque meritorum copia iure quodam ſuo poſtulant. Imperata quidem faciam; laborabo autem, vt, ſi minus veſtrae, AVDITORES, de me exſpectationi ſatisfecero, quantum orationi ſplendoris facundiae inopia detraxiſſe; tantum certe commendationis pio rectoque dicentis animo eidem acceſſiſſe videatur luculenterque adpareat, quae ego dixi, haec me non ſimulationi; ſed veritati; quod vero dixerim, hoc non arrogantiae; ſed tuae voluntati, PRAESTANTISSIMA SOCIETAS, vnice me dediſſe. Verum quid ego dicam? Celebra-

bo

bo hodie academiae noſtrae laudes? Extollam multis verbis eius in litteras a duobus ſeculis maxima et immortalia merita? Nae, qui haec digne ſatis et, vt par eſt, praedicare vellet, hunc magnae eſſe confidentiae, oporteret, ſi conaretur: facundiae, ſi poſſet.

EQVIDEM non mihi modo; ſed omnibus hodie enitendum reor, ne quid de academia noſtra ita dicant, vt idem illud de omnibus aliis dici ſimul ac praedicari potuiſſe, videatur. Habent academiae commune quoddam laudis argumentum. Monſtrant viros clariſſimos, magna reipublicae litteratae lumina, quibus illuſtratas ſe ac nobilitatas, mirifice, nec ſine cauſſa, gloriantur. Praedicant ſua in litteras merita et, quanta ea ſint, quam late ſeſe per omnes diuinae ac humanae ſapientiae partes diffundant, operoſe, neque immerito, oſtendunt. Laudant fortunae ſecundioris, qua a longiſſimo tempore vſae ſint, conſtantiam, et qui cuique honores, quae dignitatis acceſſiones, quot ornamenta omni aetate contigerint, ſolent exponere. Verum, ex ipſis calamitatibus ſummae laudis documenta capere: triſtiora fata, tamquam totidem firmiſſima publicae felicitatis praeſidia numerare: ex infeſtis caſibus inuidendam paene diducere gloriam: in his abſconditam aliquam e caelo dimiſſam vim, academiae ſalutarem, reperire, hoc profecto tibi ſoli, neſcio, an, praeter te, vlli, PRAESTANTISSIMA ACADEMIA, contigiſſe, videtur. Mirum hoc vobis erit, OPTIMI AVDITORES, vtramque fortunam in hac vrbe congredi: aduerſam in academiae noſtrae ſalute tuenda et conſeruanda ſecundioris vires eiusque in illam fauorem ac vigilantiam experiri. Itaque rogo vos et precor, vt me, de hoc argumento, DE SVMMA, inquam, ACADEMIAE IENENSIS EX TRISTIORIBVS EIVS FATIS GLORIA dicentem, attente ac beneuole audiatis. Si magna fortuna hoc habet, vt nihil tectum occultumque ferat: ſi intimos receſſus recludit omnes: ſi etiam aduerſa famae noſcenda proponit, nihil profecto academiae noſtrae erit adcommodatius; quam penitus inſpici: poſterisque in eius calamitatibus contemplandam ſiſti: nihil vobis aeque ac mihi erit optatius; quam, ſi quid aduerſi

 paſſam

paſſam eam cognoueritis, hoc ipſo eius laudibus materiem campumque praeſterni.

QVOCVMQVE mentem et oculos circumfero, AVDITORES, ſiue tempora, quibus academia noſtra primam adſpexit lucem; ſiue recens eam natam et in cunis quaſi adhuc vagientem; ſiue adultam mihi proponam, nouum quaſi videre mihi videor campum, quot prouidentiae diuinae veſtigiis; tot certe perennibus, quibus diu iam conſecrata eſt, gloriae monimentis ſignatum. Vix purior de rebus diuinis doctrina emergere: vix ſalutare hoc lumen ſpiſſas illas nubes, quibus chriſtianus terrarum orbis offuſus velut in ſempiterna aliqua nocte per multa ſecula iacuit, diſpellere coeperat, quum hoſtes cateruatim et magno cum impetu vndiquaque irruerent et, vel noui ſolis fulgore excaecati; vel intempeſtiuo furore abrepti, caelum quaſi petere viderentur. Ex hac parte miſcere viſi et turbare omnia: illinc ſimulato pacis et amicitiae ſtudio alios fallere: hinc ſanctiſſimum religionis noſtrae templum armata manu adoriri, illinc clandeſtinas parare inſidias: hinc incautos fraudibus, illinc metu timidos a recta via abducere: hinc vi et ferro minitari: illinc callidis artibus animos delinire et illitos cibis hamos, opertos praeda laqueos, obiicere. Res proſpere ipſis et ex voto ceſſit, ſummumque fuit periculum, ne ſideris noſtri, vix adparentis, lux in ſuo quaſi ortu ſaeua et atroci tempeſtate penitus interciperetur. Ne quid deeſſet ad magnam hanc et deplorandam ſacrae reipublicae calamitatem, ii ipſi, qui veritati locum dederant, grauiſſime inter ſe diſſidebant, et, quorum cauſſa in ſummum iam diſcrimen fuerat adducta, inter hos, fato quodam, acerbiſſimae lites excitabantur. Quid vero magis ſanctioris coetus exitium poterat portendere; quam inteſtinum hoc et domeſticum malum, quod, velut pertinaciſſima tabes, vires, iam ſatis eneruatas, magis magisque debilitabat? Ita vero alia clades aliam ſequebatur, aliud poſt aliud letale vulnus infligebatur ſanctiſſimae noſtrae religioni, et duo quaſi fulmina, foris alterum, alterum intus, hoc ſacrarium videbantur percellere. Hominum quidem iudicio inopinatum hoc et minus opportunum erat tempus condendae huius academiae; ſed a deo ſapientiſſime praeſtitutum, vt ex praeſentiſſimo in tantis

tantis periculis et paene mirabili auxilio liqueret, cui deberetur hoc opus et in ipso opere opificis innotesceret manus.

AT forte IOANNES FRIDERICVS, beatissimus academiae nostrae conditor, tantum opibus, armis, potentia valuit, vt arduum hoc opus adgredi, vim hostium repellere et, quod temporum infelicitas denegabat, sua ope, sua auctoritate perficere posset. Forte per hunc fortissimum principem tutari se ac conseruare musae ac religio nostra potuerunt. Per FRIDERICVM? Deum immortalem! An ignoratis, AVDITORES, si vel aliquam nobis suspiciosissima illa tempora in sanctissimae fidei nostrae defensore reliquissent salutis spem; omnem tamen, quantacunque fuerit, cum fatali illa, quam probe nostis, pugna euanuisse? Vidisti tu, Muhlberga, vidisti nostrum heroem pro aris et focis, pro liberis, pro ciuibus, pro patria, pro nostra religione strenue ac fortiter pugnantem; sed vidisti eum simul non tam hostium virtute; quam amicorum insidiis ac perfidia succumbentem. Pugnatur acriter, vincitur, eheu! optimus FRIDERICVS: copiae eius fugantur: ipse venit in hostium potestatem: exuitur armis: nobilissimo in facie vulnere decoratus in custodiam rapitur: priuatur septemuiratus honoribus: condemnatur ab imperatore ad mortem.

IAM omnis spes, si qua remanserat, IO. FRIDERICO amisso, penitus amittebatur. Lugebat exercitus: maerebant ciues: squalebat coetus, religionis caussa foederatus: adflictabantur musae. FRIDERICO enim abrepto, fortissimus militiae dux: beneficus princeps: strenuus purioris doctrinae defensor ac vindex, et alter Hercules Musageta desiderabatur. Iam nullum litteris perfugium: nullum libertati praesidium, hoc propugnaculo conuulso ac diruto, superesse videbatur. Lata iam erat et optimo principi promulgata feralis capitis sententia; inter ipsas tamen meditationes mortis, in hac grauissima futurorum contemplatione, qua caelestis anima ad instans illud mortalibus difficillimum iter se praeparabat, eo tempore, quo ipse in hostium suorum erat potestate, quo omnia ad perniciem adeo erant profligata ac perdita, vt nostris ne hiscere quidem lice-

 ret,

ret, hoc, inquam, tempore IO. FRIDERICVS, victus, inclusus, ad mortem condemnatus, academiam hanc meditatur, academiam, quae esset non musarum solum, sed etiam purioris sacrorum doctrinae domicilium: academiam, quae emendati diuini cultus placita firmaret: academiam, quae contra ipsos triumphantes hostes eius religionis veritatem tutaretur, pro qua terras suas et fortunas, dignitates et honores, immo ipsam adeo libertatem amiserat. Condere hanc litterarum officinam cogitat, conditur: studet repurgato supremi numinis cultui templum hic dedicare, dedicatur: arcem, vnde religionis nostrae veritas defendatur, inexpugnabilem exstruere, exstruitur.

OBSTVPESCITIS hic, video, AVDITORES. Et quis non videt, quum viderit, quis non stupet, quis non miratur diuinae prouidentiae, academiam hanc, vt magnam illam rerum vniuersitatem, ex nihilo producentis, clarissima vestigia? Quam sapienter hic secundioris fortunae semina tot calamitatum specie: tot simulacris iniquioris fortunae occultauit prouidum numen? Res Lutheranorum adflicta: caussa desperata: princeps, vnica salutis spes, captus et obsessus: ablata mitissimo seni suorum seruandorum potestas: ereptum omne purioris doctrinae defendendae praesidium: interclusum et obstructum omne, quo tuto pedem figere liceret, perfugium. At dei erat hoc opus, dei consilium, dei, non hominum, vires. Hic sine armis armauerat principem, vt suae aetati miraculum, posteris exemplum rarissimae fortitudinis praeberet. In ipsis vinculis inuictus heros vinci se, haud patitur: in captiuitate libertatis nostrae iacit fundamenta et, quod non minus hominem se, quam hominibus praeesse, didicerat, ne tot calamitatum procellis humani quid pateretur, iniquae fortunae ludibria tam fortiter spernere, discit, vt ipsam fortunae inconstantiam constantia superaret. Multum sane, quod tantum opus suscepit, plus, quod perseuerauit, maximum, quod non timuit, ne perseuerare non posset. Hoc erat vere fortem esse, illa contemnere, quibus fortissimi quique succubuerunt: eos vincere, qui triumpharunt et triumphare de iis, qui vicerunt. Adeo non custodia, quam purpura fastidit; sed in custodia inuictum mentis

tis robur, conſtantia et ceterae regales virtutes principem oſtentabant. Talem eſſe oportuit, quem non occulta poteſtas fatorum, non gloriae, non opum cupiditas; ſed religio, pietas, intenſiſſimus litterarum amor et tandem exoratum numen dediſſent, huius academiae conditorem, vt hoc illuſtri exemplo diſcerent mortales, differre inter academiam, quam deus, et quam homines feciſſent, &, ſi adhuc dubium eſſet, forte caſuque muſis officinas parari, hanc, liqueret, diuinitus conſtitutam.

BONE deus, quam ſuaue, quam iucundum nobis eſt, vbique te in toto hoc opere praeſentem videre, tuamque infinitam vim in primo ſtatim academiae huius ortu experiri. Quot manifeſta praeſentiae tuae ſigna: quot ex his ſummae, qua academia noſtra ſuperbit, gloriae argumenta! Contemplari enim libet ſapientiam diuinam, vbi ea manifeſtius hoſtium eluſit calliditatem; quam quum FRIDERICVM ad hanc academiam condendam excitaret? Potentiam diuinam conſiderare libeat, per quam luculenter in tanto hoc negotio deus noſter monſtrauit, ſe omnem fremitum hoſtilem vel ſolo nutu compeſcere: quum hoſtes de interitu cogitent, ſe vitam: quum de pernicie, ſalutem: quum de clade, victoriam, etiamſi per cladem, dare poſſe, temereque eos feciſſe, qui arma tuliſſent contra eum, pro quo ipſe pugnaret. Libeat gratiam diuinam expendere, ecquod illuſtrius vmquam maiorum noſtrorum aetas ſpecimen vidit; quam hanc ingeniorum palaeſtram, primam academiam lutheranam, tutiſſimum omnium, qui puriorem religionem profitebantur, portum: quod maius virtutis praemium FRIDERICO eadem numinis gratia ſimul potuit decernere; quam ipſum hunc muſarum campum? Dat, donat, dedicat FRIDERICVS deo optimo maximo hoc ſapientiae diuinae ac humanae domicilium: reddit FRIDERICO deus idem, tamquam mauſoleum, titulis omnibus ſpecioſius, quod a fulmine non tangi; aut temporum diuturnitate comminui poteſt: in quod nihil ſenectuti, nihil ſucceſſoribus, nihil furenti hoſti licet. O miram rerum viciſſitudinem! Eo tempore, quo FRIDERICI gloria maxime periclitari videbatur, eius nomen aeternitatis peplo intexitur. Ii ipſi, qui vicerant, victum FRIDERICVM, cernunt, annales omnes ſuis

ſuis victoriis, qui aſpernati fuerant, ora omnium ſuis laudibus, qui contemſerant, orbem terrarum ſui admiratione implere. Inexſpectatum hoc profecto et inopinatum fuit principis, ad mortem condemnati, ad immortalitatem iter. Agite, CIVES, gratulemini de FRIDERICO academiae noſtrae: extollite FRIDERICVM propter academiam. Nihil eſt glorioſius huic bonarum artium emporio; quam documentum diuinae ſapientiae, potentiae, gratiae eſſe: nihil honorificentius; quam aeternae tanti principis laudis monimentum vocari.

IOANNES FRIDERICVS, ſideribus illatus, filiis academiam, academiae filios reliquerat, eo ipſo carus nobis et deſiderandus auguſtus ſenex, quod proſpexerat, ne ipſe deſideraretur, nihil ſibi a deo datum eſſe, ratus, quod non eſſet academiae; nec, quod acceperat, ad litterarum ſalutem redderet. Ecquod vero praeſtantius religionis noſtrae ac muſarum futurae incolumitatis pignus dare poterat beatiſſimus parens; quam tres filios, per veſtigia paterna ſic incedentes, vt virtutum ordo nihil; praeter perſonam, mutaſſe, videretur? Nefas quippe optimus princeps putabat, ſanctum hoc et pium erga academiam officium vni demandare, quod in omnes ſeneſcentis patris prima ſeſe peraeque transfuderat iuuentus: quod in omnium ore caeleſtem eius vultum natura ſignauerat. Itaque non poterat non omnes pari adfectu paterno amplecti, largamque illam, ienenſibus muſis benefaciendi, materiem, velut optimam hereditatem indiuiſam relinquere. Volebat nempe, vt, Saxonico ſanguine, hoc eſt, inſito, litteras ornandi, ſtudio per omnes aeque diffuſo, omnes quoque tanto ſanguine, tanta familia digni eſſent; hoc vero non fieri poſſe, arbitrabatur; niſi omnes aeternitatem nominis per glorioſiſſima in muſarum campis facta, per immortalia in hanc litterarum ſedem merita adſequerentur. Quam iucundum vero nobis eſt, hunc Saxoniae heroum ad immortalitatem curſum intueri? Pater dat ſignum, praefert facem et huic gloriae ſtadio veſtigia ſua mirabili plane exemplo imprimit: filii, quot tanti parentis erant, digni, qui parentes muſarum eſſent, ſtrenue ſequuntur, vt ſanguinis; ſic et huius ad aeternam laudem itineris ſocii ac dulciſſimi comites. Ita ſapien-

tiſſi-

tiſſime ordinauerat deus propitius, vt, a quorum ſobole futura muſarum noſtrarum penderet ſalus, expreſſam poſt ſe Muſagetae effigiem relinquerent, vt poſteri eorum, academiae noſtrae tutelaria numina, in magnis genitoribus, in longa imaginum ſerie, viuum heroicae virtutis haberent exemplar.

HORVM principum auſpiciis conſecrandum erat et inaugurandum hoc ſanctiſſimae noſtrae religionis et muſarum ſacrarium. Mirum profecto, ſi tunc academia ſibi diſſimilis, ſi ipſi ex nouis calamitatibus noua laurea parta haud fuiſſet. Occulto quaſi fatorum ordine praeclari huius operis initio finis debebat reſpondere. Quot igitur impedimenta eidem inchoando, tot perficiendo vndiquaque ſeſe offerebant, praemonente quaſi iteratis vicibus fortuna, quidquid pro academiae ſalute firmanda ſtabiliendaque ſuſcipiatur, huius eo optatiorem fore exitum, quo periculoſiores in perſequendo ſuperandi viderentur ſcopuli: quo plures optimae cauſſae inuidorum odiis obiicerentur difficultates. Tot certe impedimenta, in aula imperatoris cauſſae noſtrae illata: tot hoſtium machinae, tam callide excogitatae; quam inſidioſe per integrum fere decennium tractatae *: tot fallaciae, quibus academiae iura, a Caeſare Auguſto impetranda, vel impedire, vel certe retardare maleuolorum turba ſtuduit: tot, inquam, calamitates, quaeſo a vobis, AVDITORES, quo alio ſpectarunt; quam vt tanto maior nobis contingeret victoriae gloria: vt deſiderium, videndae primae academiae lutheranae, apud omnes purioris doctrinae amatores tanto vehementius, laetitia poſt tot iniqua fata tanto effuſior: vota denique ipſa pro perpetua eius ſalute tanto ardentiora redderentur? Sic maris caelique temperiem turbines tempeſtatesque commendare debebant: ſic ipſi atri dies ſumma cum academiae laude conditi eſſe, videbantur. Quam iuuat, ſpectare academiae gloriam, poſt tot procellas longe lateque ſeſe diffundentem, inſtar rapidi fluminis, quod coercitum ac cohibitum, ruptis vinculis, maxima vi ſeſe

M effun-

* a tempore nimirum gymnaſii, hic conditi, vsque ad academiae inaugurationem, ſiue ab anno CIↃIↃXXXVIII. vsque ad an. CIↃIↃLVIII. Digna eſt, quae hic legatur, elegantiſſima clar. LVD. GVIL. BALLHORNII *oratio de Iena litterarum ſede ante conditam ibi academiam, Ienae*, CIↃIↃCCLIII.

effundit, obstantia quaeuis conuellit, et late patentes irrigat campos. Itaque FRIDERICVS noster post mortem victorias protraxit, et quum non animus, non potentia; sed tempus vincendi moribundo deesset, inaudito fere exemplo, ipsum quasi tempus vicit et vitae finem, non victoriarum fecit; sed in filiis post mortem triumphauit. Haec nostrae, CIVES, academiae vera et paene inuidenda gloria.

SED alio me numerosa tua, FELICISSIMA ACADEMIA, fata, numerosae tuae ex his laudes vocant. Vidistis, AVDITORES, academiam, in mediis calamitatum fluctibus natam: in iisdem, quae summa illius laus est, conseruatam eam videamus. Recordamini priorum post eius incunabula temporum, quam tristia, quam suspiciosa ea fuerunt? Vix, profligata superstitione, emendatae religionis dignitas publice inter aras et altaria commendari ac defendi coeperat, quum hoc musarum templum theatrum praeberet grauissimarum religionis dissensionum *. Inter eos ipsos, quibus prouincia, sanctiores disciplinas docendi, demandata fuerat, Pelagius reuiuiscere suumque virus vbique spargere videbatur. Prodibat dudum profligata Manichaeorum turba et sacratum hunc campum nefariis errorum vestigiis contaminabat. Polluebantur sacra et illibata dei immortalis religio, validissimum illud musarum nostrarum salutis praesidium, religio, inquam, nostra, a superiorum seculorum faecibus vix tum purgata, nouis maculis funestabatur. In hoc opinionum dissensu, qui veram doctrinam professi adhuc fuerant, de muneribus suis deiecti, nihil audebant; sed aduersariis liberrimum relinquere cogebantur, errores suos disseminandi, campum. Haec calamitosa tempestas, haec tetra atque infesta reipublicae pestis academiam in prima statim eius infantia peruasit periculumque fuit, ne summa eidem vastitas atque euersio inferretur. Hic, profecto, internus hostis, quem in suo sinu ac gremio tum nostra academia alebat, quouis externo erat crudelior. Ille fortunas et opes, hic animam petit; nec tam saeuus; aut terribilis vllus armorum strepitus: vllus tubarum clangor: vllus gladiorum ferrique stridor; quam libera et publica doctorum, sanctissima religionis placita turpantium, vox.

INTEL-

* legatur IO. FRANC. BVDDEVS *miscellan. sacris*, p. 457.

INTELLIGITIS, video, AVDITORES, vehemens hoc ac mortiferum academiae noſtrae vulnus fuiſſe. At, eheu! muſis noſtris aliud ſubito atque improuiſo infligitur. Viginti annos ſteterat haec ingeniorum palaeſtra, pacata omnia erant et tranquilla. Quam ſitus depreſſerat, vrbem, litterarum luce illuſtratam, fama ad ſidera iam tollebat. Gloria eius non vicinis montibus, non ambientis fluminis clauſtris, vt antea, terminabatur; ſed omnia adeo prona, adeo cedentia erant eius laudibus, vt flumen exaruiſſe, montes ſubſediſſe, ſubduxiſſe ſe ſaltus et ſiluae viderentur, tam longe lateque, tam celeriter fama eius ſeſe diffundere exterosque vndiquaque huc rapere coeperat. Haec dum fiunt et geruntur, in hac firmiſſima futurae felicitatis ſpe, optimae academiae idem, quod nauigantibus contingit, quos, inſidioſa tranquillitate in infido mari profectos, improuiſus turbo ſaepe percellit. Peſtifera lues, horret animus referre, agros et vrbem et ipſam academiam inuadit ac miſere depopulatur *. Nullum, profecto, acerbius: nullum luctuoſius fatum in primo aetatis ſuae flore experiri litterata noſtra ciuitas potuiſſet. Ferbuerant adhuc in exedris et pergulis, in aedibus publicis pariter ac priuatis liberalium artium ſtudia, iam frigebant: ad doctorum ſcholas litterati ciues aduolantes et cateruatim quaſi inferentes ſe viſi, iam nemo fere, qui imbuere alios, nemo, qui, imbui ſe litterarum ſtudiis, cuperet. Fuſum illum per totam faciem et viridem iuuentutis academicae ruborem: illam totius corporis alacritatem, qua omnes artus et membra ſpirare quaſi et agitari mobiliore ſanguine videbantur: viuidum in muſarum alumnis pectus: floreſcentem litteratae cohortis viriditatem; quis intueri, quis contemplari antea ſine intimo laetitiae ſenſu poterat? Iam firmiſſima corpora extabeſcebant: languebant omnes: geſtientem laetitiam mortis metus, agilitatem corporis animi aegritudo, animi vigorem corporis exitioſa debilitas exſtinxerat atque oppreſſerat. Non laetantium vocibus; ſed lugentium vlulatu et praeficarum lamentis fora et plateae et aedes perſonabant: non



* anno CIƆIƆLXXVIII. Parum diſſimile fatum experta noſtra ciuitas eſt ann. CIƆIƆCXXVI. Vide ADRIANI BEIERI *architectum ienenſ.* p. 606.

Musis; sed Libitinae fiebant sacra: non ingeniorum contentiones; aut ludi Mineruae; sed pompae ferales oculis, quocunque incidebant, offerebantur. O subitam et miram rerum conuersionem! Videor mihi videre florentissimam academiam, sanctissimum religionis et musarum templum, diuinae, ac humanae sapientiae sedem vno quasi incendio concidentem; cerno animo tenues reipublicae litteratae reliquias ex vrbe in vicinum oppidum * exportatas: Ienam luce, immo adeo vita sua orbatam. Virgines Vestales, nobis annales referunt, gallici belli metu palladium Roma Caeren tulisse. Luctuosum erat hoc iter, luctuosius profecto hoc, quod tunc musae cum palladio nostro fecere. Illud externus hostis, hoc internus, tectis, parietibus et muris inclusus, vrbe pellit. Illud exportatum et in tuto collocatum Romae salutem: hoc ablatum vrbi infausta quaeuis portendit. Inuiolatum illud atque illaesum manet, huic praecipuum ornamentum, magna ciuium nostrorum parte dissipata, detrahitur.

REDDITVR vrbi palladium **, spiritum et sanguinem et patriam recipiunt litterarum studia, quae pestifer ille hostis exilio adfecerat. Colliguntur dissipatae ciuium cohortes; sed, eheu! colliguntur quoque dissipatae nubes, vt nouo infortunii genere restitutum musarum templum adoriantur. Siccine in fatis erat, vt alia calamitas aliam sequeretur? Erat profecto, quumque bella, quae hanc liberalium artium officinam infestarent, deesse adhuc viderentur, ne quid deesset ad summam calamitatem, Mars quoque in haec musarum castra erat inducendus. Contigit nuper oculis vestris, CARISSIMI CIVES, insolita antea facies, quum onusta fercula, signa et instrumenta bellica per vrbem nostram vehi: quum copias militares ad aciem duci, videretis. Sed contigit vobis simul haec paene inuidenda felicitas, vt in hoc funesto ac cruento theatro academiam vestram spectatricem, non spectaculum videretis. Satis tunc

* Saalfeldam academia translata, anno supra dicto CIↃIↃLXXVIII. rectore ANDR. ELLINGERO, vt ex *programmate academico*, d. II. iul. huius anni valuis publicis adfixo, patet.

** d. X. martii anno CIↃIↃLXXVIIII.

tunc experimento cognouisse vos, arbitror, diuersissima esse Martis et musarum ingenia; neque ferre facile has et sustinere diu posse armorum illius strepitum. Stupet animus, et quidni stupeat? si furibundi militis in musarum templa impetum sibi proponit, si earum sacris castrensem puluerem et sanguinem misceri, si cubilia nostra et litteratos secessus armata manu peti, sibi fingit. Quanta tum perturbatio? Expauescunt musae, classici et tubarum terribilis sonitus eas percellit, relinquunt trepidae tranquillas suas sedes, fugiunt et dissipantur. Tristis haec academiarum, quae bellis vexantur, facies: eadem nostrae, proh dolor! aliquoties maiorum aetate fuit. Nostis, credo, AVDITORES, luctuosissima illa superiori seculo Germaniae tempora: nostis acerbissima fata, quibus nostra patria longo illo ac paene diuturno bello, quod per triginta annos misere eam excruciauit, fuit obnoxia. Quantopere adflictabatur tum musarum nostrarum cohors communi patriae calamitate, quam suam esse, acerbissime sensit? Misera profecto eius academiae conditio, quae continuo militis per vrbem transitu perpetuisque exercituum vltro citroque itineribus, eneruatur *: quae omni priuatur commeatu, omni annona, exinanitis hostili manu horreis. Triste hoc fatum tum ciuitas nostra, cum ciuitate academia est experta. Videbat se omni spe salutis orbatam, prouincia enecta, attenuatis ciuium viribus. Ab exteris nulla polliceri sibi poterat incrementa, quum, qui liberos suos ad hanc bonarum artium mercaturam mitterent, opibus exhaustis, non possent, qui mitterentur, nollent, belli metu perculsi et prostrati? Nullam tum litteris poterat conciliare claritatem in his, quibus circumfusa erat, procellis, nullam salutem in communi patriae pernicie: nullam tranquillitatem in tanta rerum omnium perturbatione? Magnae

 profe-

* testimonium de nostra academia perhibent ea, quae in tabularii academici *actis militaribus* vol. 1. B. fol. 75. coll. fol. 90. 184. sq. de tristioribus vrbis et academiae ienensis fatis tempore belli tricennalis habentur. Inprimis anni CIↃIↃ CXXXV. CIↃIↃ CXXXVI. CIↃIↃ CXXXXVI musis nostris admodum fatales fuere.

profecto erant hae calamitates *; sed fulgura tantum erant, quae, tonante caelo, fatalem fulminis ictum optimae academiae denunciarent. Adoriuntur eam imperatoris milites, diripiunt et spoliant aedes, effundunt se hostili furore in forum, depeculantur tabularium: litteras publicas principis et ciuitatis conscissas disiiciunt ac dissipant: petunt senatus academici curiam eidemque impiam iniiciunt manum **. Numquam conquiescant sacrilegorum horum manes; nos vero, o CIVES, precabimur deum, vt loci huius sanctitas semper inuiolata, et ipsum adeo eius nomen vel audacissimis venerabile maneat nosque hostilem terrorem non armorum; sed togarum ostentatione semper compescamus.

QVID? intestina bella, superiori inprimis seculo conflata: quid? seditiones ciuiles, aliquoties excitatas, si erroribus medendum; aut lapsa disciplina prouida seueritate refouenda erat: quid? alios infestos reipublicae nostrae casus vbi commemorare vellem, dies me citius; quam oratio deficeret. Miramini potius nunc mecum, AVDITORES, academiae nostrae in tanta fatorum varietate floris constantiam: singularem illam caussarum in euentus plane inopinatos conspirationem summamque diuersissimorum casuum ad academiae huius laudem concordiam. Quam vtile tibi, LAVDATISSIMA ACADEMIA, fuit, ad vsum secundorum per aduersa venisse? Sparsi in prima tua infantia religionis errores quantum purioris doctrinae stabiliendae ardorem, quot stimulos, quas faces subiecere

* quae tamen longe maiores profecto fuissent; nisi singulari numinis prouidentia tot repetitas publicae securitatis sponsiones obtinuisset academia non solum ab imperatoribus augustis Ferdinando II. mens. ianuar. ann. CIↃIↃCXXXVII. Ferdinando III. mense april. anni eiusdem et mense septembr. CIↃIↃCXXXXVI. ac Leopoldo, mense iulio an. CIↃIↃCLXXIIII. sed etiam a summis militiae Caesaris ducibus, comite de Tilly, d. XXIII. iun. CIↃIↃCXXXI. Alberto, duce Mecklenburg. d. VIIII. nou. CIↃIↃCXXXII. comite de Goetz d. XVII febr. CIↃIↃXXXVII. de Seelen d. IIII. febr. CIↃIↃCXXXVII. et de Salis d. XVI. febr. CIↃIↃCXXXVIIII. deinde ab archiduce Leopoldo Guilielmo d. XXIIII. april CIↃIↃCXXXX. itemque a comite de Suys de XXX. maii CIↃIↃCXXXXII. aliisque.

** anno nimirum CIↃIↃCXXXVII. Vide BEIERI *architect. Ienens.* p. 665.

cere doctoribus tuis ad vindicandam diuinioris diſciplinae veritatem *? Infinita pericula, quibus expoſitam te ſaepius vidiſti, numinis ſupremi in tuis aris et templis cultum reddiderunt ardentiorem et religioſiorem, effeceruntque, vtne frigido adſenſu; aut verbis, inter labia naſcentibus et pereuntibus; ſed toto pectore intimisque velut medullis veritas et pietas regnaret. Et quid de mirabili tua in his periculis conſeruatione dicam? Quot vulnera tibi impreſſa: tot certe diuinae erga te benignitatis et prouidentiae documenta viſa: tot profecto tibi ex his comparata decora ſunt. Haec te ornant, vt olim Iouis Capitolini templum poſt inſigne praelium dicata numini laurus. Multum ſane, gloriam adquirere: plus, adquiſitam conſeruare: maximum, conſeruatam contra omnes inſidias et iniquioris fortunae impetum grauiter tueri ac defendere. Enituerunt aliae academiae in pace; ſed defloruere in bello, aliis litterata otia; ſed non aeque calamitates profuerunt: adquiſitum aliae plauſum pereunti, amiſſum creſcenti famae aliarum debent. Nihil vero te ad hoc vsque tempus fortuna mutauit. Et calamitatum et ſecundioris fortunae ſemina in te ſemper latuerunt; ſic vero res diuerſiſſimas iungis et miſces, vt in ipſa rerum diuerſitate ſummus ſit laudis tuae conſenſus. Nec cuiquam, tertium licet iam ſeculum laetis ominibus auſpicata, ſeneſcere videberis, quin in ipſis glorioſae tuae ſenectutis inſignibus ſummam aetatis indeflexae maturitatem maximumque vigorem animaduertat. Quod enim vel vllum laudis genus eſt, tibi olim impertitum, quod non eodem iure hodie tuearis? Floruiſti omni aetate fertiliſſimorum ingeniorum prouentu, flores: induxiſti continua ſerie faſtis tuis celeberrima in omni doctrinarum genere nomina, inducis: miſiſti doctiſſimorum virorum colonias vniuerſae litteratae Germaniae aliisque prouinciis, mittis: difficillimis temporibus muſis exſulantibus perfugium: adflictis ſolatium, feſſis requiem praebuiſti, praebes. Felices defunctorum academiae huius patrum manes, qui celebritati veſtrae hoc quoque gaudium adiunxiſtis, vt, quibus vos virtutibus vobis aeternitatem nominis, academiae famam

* vide IO. FRANC. BVDDEI *miſcellanea ſacra*, p. 458.

famam merebamini, earum ſemina eidem in vberrimi fructus ſpem, a veſtris diſcipulis et ſucceſſoribus exſpectandam, relinqueretis. Felices academiae doctores, qui gloriam huic litterarum officinae a maioribus partam, defenditis, defenſam amplificatis, amplificatam ad poſteros propagatis. Felicem ipſam academiam, quae ſemper ſibi par, vt celſiſſimus eius conditor numquam ſibi diſſimilis fuit. Hic non potuit, quum academiam conderet, poſt tot immortalia facta mortale quid; aut quod florem amitteret ſuum, condere. Quodſi TV, caelo commendatiſſime PRINCEPS, ſacratiſſime FRIDERICE, ex mortuis ad publicam hanc viuentium redires lucem: ſi ad tempus relinqueres beatiſſimas ſedes et ex caeleſti illo ſuperum concilio in hanc tuam academiam ſecederes, ſi tot illibata eius ad hunc vsque diem videres ornamenta, TE communibus noſtris pro perpetua eius incolumitate votis gaudium TVVM conſociaturum et laeto animo ad vmbras TVAS rediturum, omnes tuto confidimus.

HANC tu tibi perennem gloriam ſemper tueberis, LAVDATISSIMA ACADEMIA. In IOANNE enim FRIDERICO tuum conditorem, in eius de caelo demiſſa auguſta progenie CONSERVATORES TVOS CLEMENTISSIMOS, in SERENISSIMO ERNESTO AVGVSTO CONSTANTINO, RECTOREM TVVM MAGNIFICENTISSIMVM veneraris. At quanta haec, quam firma futurae tuae perpetuae felicitatis pignora! Quicquid, O CIVES, indulgentiſſimis his muſarum noſtrarum parentibus: quicquid noſtro CLEMENTISSIMO PRINCIPI precamur, academiae precamur. Hoc a deo nobis conceſſo praeſidio, academia arx inacceſſa, munimentum inexpugnabile erit et in ipſo armorum ſtrepitu Albani lacus otia et fontes Baianos eorumque ſilentium referet. Hoc PRINCIPE academica purpura amicto, Iena laetiore fortuna dignoſcetur, vt olim frugalitate Piſones, ſapientia Laelii, pietate Metelli monſtrabantur. Academiae ſceptris huic Muſagetae ſubmiſſis, ſaluus erit MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR eiusdemque MAGNIFICVS PRORECTOR DESIGNATVS, ſalui erunt VENERANDI MVSARVM ANTISTITES, ſalui et vos eritis, DVLCISSIMI CIVES, noſtrae omnium deliciae. Sed

quid

quid ego vos votis iam morer? Quid pacem, quid concordiam, quid felicitatem, quid ſecuritatem, quid opes, quid honores academiae noſtrae precer? Simplex cunctaque iſta et reliqua bona complexum vnum omnium votum hodie eſto: SALVS ACADEMIAE.



III

# CARMEN SECVLARE

## SOCIETATIS NOMINE POST ORATIONEM RECITATVM AB ILLIVS SODALI ADOLPHO CHRIST. ERNEST. AB VFFEL EQVITE MISNICO

Templa patent placidisque micant nunc ignibus arae.
Numen adeſt: properate ſacros reuerenter ad auſus
Praeſentique Deo precibus pia vota probate.
O ſalue fecunda dies: lux aurea ſalue.
Alme dies ſalue, quo non illuſtrior alter.
Te maecenates, te muſarumque patroni,
Te ſtudioſa cohors, te ciuica gaudia ſpectant.
Pectora permulces, animos ſuauiterque relaxas.
Exhilaras iuuenes alacres, frontique ſenili
Contractas adimis rugas, iam flore reducto.

Plauſibus excipiunt omnes, queis fronte ſerena
Contigit, vt videant te, lux ſpectanda per aeuum.
At mihi, qui laetus ſollemnia carmina dico,
Sint faciles Muſae, naſcantur digna Marone,
Stigelioque tuo, *Iena*, conuenientia verba.
Laudis enimque tuae praeco digniſſimus ille,
Primus erat noſtri ſimul et pius incola templi,
Pallade digna loquens. Merito ſuper aſtra vehuntur,
Quae te condecorant celebrantque, Salana, per orbem.
Te clemens caelum, te plagae ſpeciesque decora,
Fluminis et placidi littus, vitesque feraces,
Pratorumque decus, nemorum vicina venuſtas
Gratam te reddunt cunctis et ſemper amoenam,
Atque valore tuo nihil vmquam clarius exſtat.
Vndique quo celeris penetrant praeconia famae,
Praedicat hanc orbis, cunctos et laudat in annos.
Exſtitit haecce viris multis illuſtribus alma
Mater, et vsque ſagax pariter fuit arbitra morum.
Quid mirum, quod eam totus veneretur et orbis,
Quid mirere, Deum ſemper bona quaeque dediſſe
Auxiliumque ſuum, quo non eſt dignior vlla.
Quid mirum, terrae, modo non decus omne relinquant:
Humanis faueant ſtudiis et idonea curent:
Quid mirum, muſarum quod penetralia ſpectent,
Quae tu *Iena* foues, et doctis artibus ornas.
Confluit hic iuuenum flos, ſpes patriaeque voluptas.
Non accedit grandiloquo rumore vocatus,
Non venit inuitus, nec inani lumine ductus.
Hic operam muſis iucundis conſecrat omnem:

Doctri-

Doctrinis tribuit tempus pariterque feueris.
Numinis hic diui follers oracula tractat,
Scrutaturque pius celfi myfteria caeli.
Hicce litat Themidi, iuris pellectus amore,
Difcit et apta foro, legum defenfor et aequi.
Artis apolloniae ignarus quicunque redire,
Ciuibus atque tuis vis rite falutifer effe,
En quam clara tibi praeftent exempla virorum,
Quos merito prifcos credas fuperare Melampos.
Hos cole, mox follers hominumque tuere falutem.
In facratas quisquis aues penetrare receffus,
Caelica quos in fe mire fapientia condit;
Abdita naturae fi vis miracula noffe,
Geftorumque fidem, fimul ac monimenta morari:
Compos eris voti: ceu tu feruire decoro,
Ceu varias cupias exacte difcere linguas.
Tanta manent recreantque tuos Salana fodales.
Has pofcis laudes; verum mea difcrepat iftis
Et vox et ratio. Non poffum digna referre,
Quae tibi, Mufarum fedes, iam iure facrantur.
Haec bona, quid dubites, quin demittantur ab aftris.
Munera funt fuperum, caelis oriunda corufcis.
Ergo nata polo pietateque fulta Salana,
Splendoris memor efto tui per fecula tracti.
Tu medias inter clades, bellique tumultus,
Atrocesque minas ac tot turbamina rerum
Condita magnanimi facrorum vindicis arte,
Principis herois, cuius fere gloria maior
Laudibus eft cunctis. Huius virtute locata,

 Inte-

Intemerata, nitens, victrix, numerosa ſtetiſti.
Vel ſi principium ſpectes, auguſta fuiſti
Primaque purgatis academia condita templis.
Grandia, pompa, decus, ludi, ſpectacula mentem
Implent, ſi reputo tua nunc primordia mecum.
Funeſta occurſant mox nobis atraque fata,
Quae cladem ſtruxere tibi triſtemque ruinam.
Exitioſa lues, ſerpens contagio diris
Omnia funeribus lacrimisque tepentibus implet.
Vix ſecura tibi ſedes, Salana, relicta.
Aufugiunt trepidae quaerentes tuta Camoenae.
Tempora laeta tamen redeunt et proſpera fulgent
Athenis noſtris, repetunt ſacraria muſae,
Thura ferunt: placidis adoleſcunt ignibus arae,
Moxque cohors recti cupidorum creſcit et ampla
Incrementa capit, ſacri lucusque vireſcunt.
Inuidiam primum, ſimul ac tua gloria celſum
Adſcendit culmen, tunc tu ſenſiſſe videris;
Inuidiam, quae plura tibi poſt commoda nolens
Praeſtitit, inuitis duxit manibusque ſalutem.
Haec tua quam ridens, qualis fortuna fuiſſet,
Fauſta Salana, tibi: graſſantur at aſpera bella,
Excidium ferale tuis minitantia tectis.
Serpſerat haec rabies penetralia moxque cruenta
Reddiderat, quum tuta quies et amoena rediret.
Tot vicibus variisque modis agitata Salana,
Integra per ſeclum ſteterat noua vota capeſſens.
Pandere ſi vero memorando ſingula vellem,
Quae tibi per ſecli ſpatium iucunda fuerunt,

Vox mihi deficeret citius, tempusque negaret.
Hoc celſum propriumque decus tibi Iena manebit,
Principibus parere bonis, ſummisque foueri.
Eſt aliquid, iuſſus ac ſplendida ſceptra vereri,
Quae ſacra relligio, ſapientia quaeque gubernat.
Fortibus, eſt aliquid, magnis dominisque probari,
Purpureis ſoliis, heroibus atque ſubeſſe.
Hisce tuis nunc macte bonis, ſuperosque Salana
Aeternum reuerere tuos: ſacra purpura conſtans
Praeſidium facilesque tibi per ſecula ſpondet
Muſas, aeternoque dabit te flore perennem.
Quid ſupereſt, niſi vota tibi ſollemnia ſolui,
Ardentesque preces hac tanta luce referri.
Excelſo reſidere throno mihi ſumme videris
CONSTANTINE! tuo; caeleſtis gratia vultus
Fulget, et auguſto viuaciter inſidet ori.
Tolle tuum, grandis Princeps, per ſecula nomen:
Tolle decus noſtrae muſarum ſedis et auge.
Proſpera, quid dubitem? contingent omnia vati.
Principe ſub tanto florens academia perſtat,
Creſcet et a nullo tenebris damnabitur aeuo.
Vos quoque, Saxonicis qui nunc regnatis in aulis,
Gloria ſumma patrum, Vos ſtirpis fulcra vetuſtae:
Viuite felices, ac porro grandibus annos
In ſeros auſis transſcribite nomina gentis.
Quod ſupereſt, clemens ſanctis Deus adnue votis,
Ac noſtrae longum ſinito ſupereſſe ſaluti
Doctores, qui Salanae tueantur honores.
Egregiae mentes! non laudi detrahet vmquam

Posteritas aliquid vestrae, sed summa manebit.
Sic, mea Iena! vige, tu, quae compluribus annis
Excelsum caeli caput inter sidera condis.
Diuitiis animosa tuis nunc vtere felix.
Vtere sorte tua constanter: praemia musis
Gnauiter excultis diuinitus addita pande.
Floreat Eusebie; vigeat pax: Pallas honora
Laetetur: stet, Iena, tuum per secula nomen.

IIII.

# ODA SECVLARIS

## AD FIDIVM TIBIARVMQVE SONVM CANTATA

AVCTORE

IVSTINO SCHNEEGASS

DICTAE SOCIETATIS COLLEGA

ANTE ACTVM.

Exsurge, felix Pieridum cohors:
Fastidiosas comprime nenias,
Frontisque disturbare moestas
Aeoliis per inane pennis

Committe nubes. Laetitiae nouus
Adflicta torrens pectora compleat,
Festusque clarescat triumphus
Ac feriat pius astra plausus.

Fune-

Funeſte Mauors, quo duce patriam
Formidoloſis bella furoribus
Stipata vexarunt, quieſcas.
Sanguineam Libitina ſcenam

Caliginoſo contumulet chao,
Nec claſſicorum terrificus fragor
Perſtringat aures, nec ſuaues
Caſtalidum modulos retundat.

Auditis? an me ludit amabilis
Imago pompae? iubila, celſius
Sublata, ridentes iocoſo
Ad tumulos ſtrepitu reſultant.

Quam purpurato ſolis in eſſedo
Vexit ſecundis ominibus retro
Fortuna, natalem Salanae,
Gemmiferis nitidam coronis,

Lucem venuſto percelebrat choro,
Matrique pulchram laudis adoream
Phoebea conſecrat iuuentus,
Ad numeros ſaliente chorda.

Io triumphe! iam duo candidis
Fluxere praeter ſecla iugalibus,
Aeuique inexhauſto barathro
Merſa latent: viget alma Iena.

Ceu

Ceu pressa grandi mole cacumina
Victrix in auras palma resuscitat:
Fundata lugubri sub astro,
Multiplicisque agitata raucis

Fati procellis fractaque cladibus,
Musea tempe stant viridariis
Superba, praelustrique fama
Aetheriis memorantur oris.

Intaminatis Pegasei specus
Fulgent tropaeis. Strata sagacibus
Armis, sub inuisa Mineruam
Barbaries veneratur vmbra.

Late serenos hinc radios vibrat
Exorta caelo lux sapientiae,
Blandoque virtutes amictu
Fertilibus spatiantur aruis.

Aeterne Princeps, firmaque supplicis
Columna mundi! numinis auspice
Cura celebratum Salanae
Palladium manet officinae.

Tuum perenni carminis alite
Nomen sonamus. Thure calent Tibi
Nitentque votiuis tabellis
Ac precibus sacra templa fumant.

POST

## POST ACTVM.

Titan, rotundo qui vaga ſecula
Motu volutas, aequore blandius
Emerge formoſasque terris
Sparge comas meliore flamma.

Ceſſent hiberni frigoris impetus.
Tumultuoſi vim Boreae fuget
Tepentis adflatus Fauoni,
Et croceam ſine labe pallam

Aër olympo rarior induat,
Dextrisque currant alitibus dies.
Lamenta curarumque fluctus
Nunc ſileant fremitusque vulgi.

Rident Mineruae dulciter otia.
Auguſta regnat pax Heliconiis
Antris Amaltheesque cornu
Laurigeris operatur aris.

Io! canoris in numerum cadunt
Lymphis Salani murmura Penei.
Vallis cachinnatur, nouoque
Rura micant recreata vultu.

Iam delicatis oppida fauſtitas
Bigis reuiſit. Purpureum viret
Aeuum, coronatumque gemmis,
Inſolito pluit imbre caelum.

O Stra-

Stagnant repleti nectaris amnibus
Ac melle vici. Profilit vndique
Demurmurantum balſamorum
Suaueolens per aprica; riuus.

Altis] vagatur, Theſpiadum ſeges
Criſtis. Honeſtum relligio caput
Oſtentat ignitosque crines,
Ac hilari mouet ora plauſu.

Expergefactis ad ſonitum lyris
Phoebus Salanae magnificum canit
Paeana felicemque ſortem.
Fatidicis reſonare votis

Auditur altus Caſtalidum chorus:
Excelſa faſtis Iena perennibus
Florebit et fauſtis anhela
Verticibus ſuperabit aſtra.

Sic fiet: Echo garrit: ab arbore
Ter laeta pennis plauſit auis: nuit
Iehoua, qui regnum Salanae
Praeſidibus bene mulcet alis.



PLAV-



# PLAVSVS VOTIVI EXTERORVM

## I.
## EPISTOLAE ACADEMIARVM EXTERARVM

### ALTORFINAE

Magna eſt, viri celeberrimi, Academiae veſtrae felicitas, vobisque quae dei ſummi eſt clementia, materies praebetur gaudio veſtro digniſſima. Neque vero vos ſolummodo fortuna veſtra iuſte pieque laetamini, ſed et amici veſtri totusque orbis litteratus, veſtrae laetitiae ſenſum habet, et in congratulandi officium excitatur. Quum enim haud vulgaris academiae veſtrae proſperitas ſit, eam denuo totius ſeculi viciſſitudines ſuperaſſe, et adhuc vigere et florere: quidni quoque amici veſtri, et inter hos etiam nos, qui ſingulari conuentionum et amoris foedere vobiscum iuncti ſumus, euentum hoc, vobis laetum bonumque, iure meritoque gaudentes, et ex animo gratulantes cognoſcamus? O quot plauſus ſplendidae illae feriae veſtrae, diesque feſti, in orbe erudito excitabunt, quum vbique fere ſint, qui recordentur,

ſe in celeberrima veſtra ſtudiorum vniuerſitate ad litteras ſcientiasque incubuiſſe, atque adeo felicitatis praeſidia nactos eſſe. Quod ad nos attinet, ita habeatis velimus, nos deo, omnis bonae cognitionis datori, et eruditarum ſedium ſtatori maximo, qui florentiſſimam academiam veſtram in hoc tempus inter varia magnaque pericula benigne ſartam tectamque præſtitit, ingentes gratias vobiscum pro hac eximia bonitate agere, et veſtrorum meritorum, honorisque veſtri cauſſa, nihil non velle. Vnde quoque pergratum nobis eſſet, honorificae inuitationi veſtra ex ſententia reſpondere, et aliquem ex ordine noſtro ad religionem ſollemnem, et caerimonias veſtras ſeculares ablegare, qui Ienae praeſens pia vota nomine noſtro ſolueret, et in tempus ſequens pro ſalute academiae veſtrae nuncuparet. Sed ipſi, viri celeberrimi, fautores atque amici longe aeſtumatiſſimi, intelligetis, nobis temporum rationem eſſe habendam, quae voluntatem noſtram impediunt. Vnde peramanter vos rogamus atque oramus, velitis ipſi ex illuſtri ordine veſtro aliquem deſignare, qui ſacris veſtris ſecularibus perſonam ablegati Altorfini gerere haud grauetur, eiusque obſeruantiae, pietatis et congratulationis munus benigne in ſe ſuſcipiat. Ceterum quod poſſumus, ſummo ſtudio veſtra cauſſa hic faciemus, et non ſolum veſtram promulgationis formulam, cum programmate, cuius aliquot exempla his litteris addidimus, publice affigemus; ſed etiam vna cum pube academica noſtra numen altiſſimum religioſiſſime venerabimur, vt vos ita laeti, ſecuri, et fortunati, inſtantes veſtros dies feſtos celebretis, vt rei memoria in ſecula eat; ac nouam annorum academicorum ſeriem habeatis fauſtam, et omnibus bonae fortunae numeris abſolutam, nullisque incommodis interruptam. Valete! Altorfii d. VI. Ianuar. CIƆIƆCCLVIII.

## ARGENTINENSIS.

GRATA mente veneramur inſigne humanitatis aeque ac beneuolentiae documentum, quo iteratum vniuerſitatis veſtrae iubilaeum proxime inſtans nobis ſignificandum duxiſtis. Cumque

que ea omnino ſit reipublicae litterariae conditio ac ſors beata, vt inter innumeras, quibus paſſim floret, ſocietates minores arctiſſimum mutui amoris vinculum vbiuis inducat, foueat, atque ſtabiliat, inde de veſtris litteris honoratiſſimis academia noſtra Argentoratenſis eo magis ſibi congratulatur, quo maior academiae veſtrae fama famaeque celebritas et olim fuit et hodienum eſt. Laetamur vero inprimis ludis eiusdem ſecularibus, quos raro exemplo iterata mox vice ipſa celebratura eſt: illud tantum dolentes, quod praeſens rerum facies vix patiatur, vt honorificae inuitationi veſtrae pareamus, atque ad vos ex noſtro conſortio ablegemus, qui publici non minus apud vos gaudii teſtes, quam noſtri erga academiam veſtram adfectus futuri fuiſſent interpretes. Nihil tamen impedit, quo minus pro eiusdem flore, ac incolumitate perenni pia iungamus vota, deum ſupplices rogantes, vt ipſam non tantum, tanquam virtutis atque ſapientiae ſcholam celeberrimam, verum etiam veſtrorum omnium de re litteraria optime merentium ſalutem, diutiſſime ſartam, tectam, atque illibatam conſeruet, quod ipſum ſincere precantur cet. Argentinae d. xx. Ianuarii A. O. R. CIↃ IↃ CCLVIII.

## BASILEENSIS.

Non mediocri vero nobis, pro eo ac par eſt, voluptati fuerunt litterae veſtrae, pridie calendas decembres huius ad finem vergentis anni ad nos datae, et in ſenatu academico noſtro, quem Regentiam vocant, recitatae, quibus et beneuolentiam veſtram, veſtrumque erga nos ſtudium cumulate declaraſtis, et ad obeunda vobiscum alterius academiae veſtrae a prima inauguratione ſua pariter, ac noſtra, ſtudiorum vniuerſitatem complexae, natalis ſollemnia, quarto nonas februarii proximo celebranda, humaniſſimis verbis inuitaſtis. Qua de re vobis primum omnium, ampliſſimi proceres, quam maximas agimus gratias, veſtrumque iſthuc amoris mutui ſtudiorumque coniunctionis teſtimonium, vt gratum ac iucundiſſimum nobis fuit, ita etiam per quam honorificum eſſe, intelligimus. Gratulamur vobis ampliſ-

ſimi proceres ac celeberrimi profeſſores, patriaeque veſtrae dulciſſimae, de tertii ſeculi academici anno nouo, quem vobis vniuerſis ac ſingulis fauſtum felicemque cum ſequentium longa ſerie a patre luminum adprecamur. Programma inuitatorium veſtrum, vti voluiſtis, quo loco rei dignitas poſtulabat, adfigendum curauimus. Intereſſe coram ſollemnibus veſtris, quum per anni tempus locorumque diſtantiam prohibeamur, animis certe ac votis et congratulatione noſtra intererimus, eademque plauſibus noſtris abſentes, proſequemur, cupimusque omnia, quae huc pertinent, vobis laete proſpere ac feliciter euenire. Bene autem ac ſapienter non ſecularium modo ſed et triumphalium ludorum adpellatione haec natalitia veſtra deſignauiſtis feſta, ſiquidem veritati ac ſapientiae in his ſacris litaturos vos nobis penitus perſuaſimus. Ecquae enim pulchrior laurea? ecquis triumphus iuſtior ac magnificentior eſſe poteſt et debet, quam is, quo de vanitate veritas, de ſtultitia ſapientia, ac de vitiis mortalium virtus triumphat, errorumque cohortes et vitiorum agmina ante currum agit? Redeant ſaepius haec ſecularia poſteris veſtris, florente perpetuo, ſicut adhuc floruit, inclyto athenaeo veſtro, ſtudiis, ingeniis, viris, ac ſempiterna litterarum gloria; fortunet ac ſecundet omnia praeclara, ac ſtudioſae iuuentuti ſalubria conſulta veſtra, et ad nominis ſui ſanctiſſimi gloriam, ac lucis euangelicae propagationem, bonarumque artium incrementum, ſapientiae omnis largitor ac parens deus dirigat, vosque, viri celeberrimi, non academiae ſolum veſtrae, ſed vniuerſae rei litterariae commodo atque ornamento incolumes, et omni proſperitatis genere cumulatos diu diuque conſeruet. Valete vsque noſtri beneuole memores, et paria a nobis officia, promtumque vobis quacumque in re gratificandi ſtudium, numquam non exſpectate. Baſileae d. XXX. decembr. CIↃ IↃ CCLVII.

# DVISBVRGENSIS.

Si rebus aliorum ſecundis gaudere generoſae mentis, ſi iisdem perpetuitatem et ſolidum adprecari tenorem pietatis eſt, vtramque nobis laudem ſine vllius forſan arrogantiae ſuſpicione ſperare licebit.

licebit. Id certe vt liceret, omnes diligentiae neruos semper intendendos, et quouis officiorum genere, quotiescumque facultas daretur, nobis allaborandum esse duximus. Non igitur dubitandum vobis est, viri excellentissimi, omnium scientiarum, sacrarum pariter et ciuilium, antistites celeberrimi, quin animos nostros insigni nuper laetitia perfusos esse senserimus, quum ex litteris vestris tanta humanitate refertis, tam sinceram simul erga omnes bonarum artium et disciplinarum, quarum splendore ipsi iamdudum enituistis, cultores beneuolentiam spirantibus et ante aliquod tempus ad nos delatis intelleximus, optatissimum illum diem vobis, vestroque illustri athenaeo imminere, quo bene auspicatos natales eius alteris iam secularibus sacris post tam longam ducentorum annorum seriem feliciter transactam recolere, deoque omnium bonorum scaturigini debitas iusta cum sollemnitate gratias agere, et easdem insignibus postea litterarum monumentis, ad vniuersae posteritatis memoriam velut incisis, testari possitis. Non exiguum quoque laetitiae nostrae pondus atque momentum hac litterarum vestrarum lectione adiectum fuisse fatemur, quod eae tristissimis his et exulceratis temporibus, vndique bellorum fragore aures nostras oculosque verberantibus, cuiusdam solaminis instar habere viderentur, et indicarent, nondum penitus cum sacrosanctis sapientiae et doctrinae domiciliis, academiis, in mediis his procellis ac tempestatibus actum, nondum, per dei gratiam, conclamatum esse; sed earum conseruationem et tutelam etiamnum summis hic illic principibus, cuiuis temporum difficultati heroica mentis altitudine fortiter obluctantibus, curae cordique esse. Huius certe magnanimae sollicitudinis ac munificentiae specimen in maximis musagetis, serenissimis illis Saxoniae ex Ernestina stirpe ducibus admirari, summisque praeconiis in caelum euehere par est, dum vobis, viri honoratissimi, vestraeque splendidissimae musarum sedi, inter ardua difficillimorum temporum negotia haec tamen otia facere pro incredibili sua clementia et benignitate dignantur, vt nunc altera vice Salanarum musarum originem, incrementa, et conseruationem secularibus sacris postridie calendarum februarii peragendis celebrare queatis. Agnoscimus hic praeterea tantorum tamque venerandorum principum

vestrorum mirificum in adserenda tuendaque defaecatae religionis et diuini cultus sanctimonia feruorem atque constantiam, ab immortalibus et sanctissimis heroibus Friderico sapiente, Ioanne constante, et Ioanne Friderico patiente, primis illis ac praecipuis renati euangelii auspicibus, recta in illos ipso quasi sanguine deriuatam, et numquam, vt speramus ac precamur, intermittendam. Has igitur ob caussas aliasque plures non possumus, excellentissimi tam felicis academiae proceres, viri et amici plurimum honorandi, quin vobis vestrisque bonis ex animo gratulemur, et vt ea vobis propria sint atque perpetua fusis ad deum immortalem pro vestra vestrique sacrarii salute precibus, sicuti nunc facimus et constanter facturi sumus, contendamus. Pro humanissima inuitatione vestra, cuius fructus dulcissimos nobis haec inamoena temporum nostrorum facies interdicit, gratias agimus et habemus maximas; transmissum vero programma tantae felicitatis vestrae testimonium perhibens, sicut voluistis, publicis academiae nostrae valuis vna cum litteris humanissimis adfigendum, ciuibusque nostris vt pietatem votis ominibusque et precibus pro vobis etiam absentes nobiscum declararent, calcar addendum curauimus, sicut adiecta his litteris admonitio nostra, publicis etiam typis expressa, et speciminis loco vobiscum communicata, vberius testabitur. Saluete plurimum et valete, nobisque fauere pergite, qui numquam non persistemus cet. Duisburgi ad Rhenum d. XXIII. Ianuarii CIↃ IↃ CCLVIII.

## ERFORDIENSIS.

In tam ancipiti scientiarum artiumque liberalium fortuna, quae iam, inter armorum strepitus, musis longe lateque tristem minitari cladem videtur ea felicitas contingit nostris temporibus, vt dies secularis academiae vestrae splendidissimae, festo sollemnique ritu prosequendus, incidat, omnesque musas nouo quodam solatio erigere videatur. Haec secularium celebritas, eo maiore nos laetitia perfundit, quo certius cognitum habemus, a splendore exoptatissimo vestrae illustris academiae, quam omnis propemodum Europa insigni colit veneratione, praecipuam vtilita-

vtilitatem accedere reipublicae litterariae. Hinc tantam vobis felicitatem non gratulamur ſolum; ſed immortales ſimul agimus atque habemus gratias, quod illius quoque participes, pro veſtra beneuolentia et fauore, nos eſſe cupiatis. Auguramur profecto, a prouida dei cura hanc inſolitam diei ſecularis laetitiam veſtris temporibus ideo eſſe reſeruatam, vt nomina veſtra, immortalitate digniſſima, eo maiore dignitatis fama futuris innoteſcant ſeculis, et a grata poſteritate praecipuo condecorentur honore. Viuant igitur tot illuſtria nomina, futuris canenda ſeculis; viuant tot merita, quae nulla vmquam delebit obliuio, nec vlla obſcurabit vetuſtas. Floreat illuſtris academia veſtra, tot maximorum virorum nutrix et mater fecundiſſima, nec vllas rerum ſuarum mutationes, niſi in maius meliusque, experiatur. Iterum iterumque hanc laetitiae ac dignitatis felicitatem vobis gratulamur, veſtramque fortunam noſtram eſſe cenſebimus. Etenim ea eſt bonorum indoles, eaque conſuetudo, vt aliorum ſalutem ad ſe pertinere, bonamque cauſſam communem eſſe exiſtiment. Non deerunt certe aliqui e noſtratibus, quibus eam ſpartam dedimus, vt praeſentes noſtrum ſtudium ac venerationem noſtram, vobis exponant vberius teſtesque ſint veſtrae felicitatis exoptatiſſimae. Valete ac fauore et amicitia veſtra nos proſequi ne deſinite. Erfordiae d. IX Ian. CIↃIↃCCLVIII.

# EIVSDEM ACADEMIAE.

Nec amicitiae ſane noſtrae, nec communi omnium reuerentiae atque amori, quo excellentiſſimos celeberrimae academiae ienenſis proceres noſtri omnes proſequuntur, ſatisfeciſſe vllo modo videremur, niſi viros quosdam e noſtratibus ad ſecularia veſtra delegare, ſicque conceptam animis laetitiam de felicitate veſtra prorſus inſolita, publice vobis teſtari ſuſtineremus. Certe, quotiescumque repetimus animo laetiſſimam memoriam de ſecularibus, veſtrae academiae illuſtri proxime inſtantibus; toties etiam hilaris gratulatio in noſtris ſurgere animis incipit, quod inſolita ea dignitas aetati tantorum virorum, tamque inſigni eruditionis laude longe lateque celebrium, ſit conceſſa ſic-

que effectum, vt meritis penes gratam posteritatem praecipuus statuatur honor, nominaque vestra immortalitati eo constantius celebriusque commendentur. Nostrae vero amicitiae et amoris interpretes delegimus D. CHRISTOPH. RVDOLPH. HENNE, elect. iudicii prouinc. et crimin. itemque facult. iurid. adsessorem et professorem iuris publici ordinarium; nec non D. SIGISMVNDVM LEBRECHT HADELICH, philos. et lingu. orient. professorem publicum et adsessorem philos. facultatis itemque societatis ienensis latinae et lipsiensis. lib. art. collegam, idque illis negotium dedimus, vt nostrum cultum et amorem magnifico domino prorectori, caeterisque, pro suo cuilibet loco spectatissimis honoratissimisque dominis, nostro nomine, nostraque auctoritate testari sustineant.

Datum Erfordiae, sub sigillo acad. nostrae, pridie calend. februar. CIↃIↃCCLVIII.

# ERLANGENSIS.

Non sine voluptate ex humanissimis vestris cognouimus litteris amplissimam panegyrin, quam iure meritoque ad diem 11 februar. orbi litterato censuistis indicendum. Intelligimus beneficii caelestis magnitudinem, quod academiam vestram per integra duo secula, per multa grauissimaque varii generis discrimina feliciter superata, non solum saluam; sed et, quod maius est, florentem deus T. O. M. conseruauit. Nec minus probamus et laudamus vestram pietatem, qua, sancte hilariterque concitati inter sacra bissecularia splendidissimo ritu celebranda, sollemnia vota, pro perennitate huius muneris diuini nuncupare decreuistis. Illud vero plane grato et obsequioso agnoscimus animo, quod nostram academiam in partes gaudii vestri vocare, et de nostra amicitia atque obseruantia confisi, panegyrin illam secularem per nos in his regionibus promulgari voluistis. En subiunctam obsequii nostri indicem, tabulam publice propositam, qua ciuibus nostris laetam academiae salanae fortunam significauimus, et de praeclaris illis visuque haud dubie dignissimis spe-

ctaculis

ctaculis non negligendis, eos quorum res excurſionem non poenitendam pateretur, monuimus. Et hactenus humaniſſima veſtra deſideria plane implere nobis licuit. Quod vero amplius eximiae veſtrae beneuolentiae documentum adieciſtis, nosmet ipſos, certe vnum et item alterum ex noſtro ordine, ad participanda natalitia academiae veſtrae gaudia, enixe inuitando; illud non niſi, quoad in noſtra poſitum eſt poteſtate, obſequioſa a nobis ſuſcipi poſſe mente, res ipſa declarat. Sane nec mittendi voluntas nobis omnibus deeſt, nec pluribus ex nobis proficiſcendi, et honorificam iſthanc legationem ſuſcipiendi; praeſertim iis, qui veſtrae academiae variis beneficiis ſe obſtrictos, non ſolum animo laeto recordantur, ſed et pio et grato profitentur. Sed dum alium alia negotia, otio itineris non breuiſſimi inimica, conſtringunt, omnes autem ipſa ὑπερβολη χειμα7ος, ne quidem copiis militaribus libera itinera relinquens, ab adeundis transmontanis ludis ſecularibus, quantumuis triumphalibus, cohibet, nihil in iſto rerum ſtatu nobis relinquitur, quam vt, animis praeſentes, piis votis ſecularia veſtra ſacra, non quidem quantum volumus, ſed quantum poſſumus, iſte quum venerit dies, adiuuemus. Accipite interim, fautores ſingulariter colendi, hancce qualemcumque obſtrictorum vobis noſtrorum pectorum teſſeram, pias nempe pro veſtra veſtraeque academiae celeberrimae perpetua incolumitate, fuſas ad deum preces, vt aeternus ille omnis noſtrae ſalutis fons et auctor, illos, qui nunc ſunt academiae ienenſis patres, fama et ampliſſimis meritis inclytos, ad ſeros vsque annos omni bonorum genere vlterius ornare velit; vniuerſam autem academiam ad ſera vsque ſecula ſartam tectamque, ac doctoribus non minus celeberrimis, quam ciuibus numeroſiſſimis florentem eſſe iubeat. Erlangae d. XXI Ianuarii CIϽ IϽ CC LVIII.

# FRANCOFVRTENSIS
## AD ODERAM.

Beati omnino cenſendi eſtis, quibus in communi propemodum germaniae luctu de turbato otio academiarum, immo peregrinitate armorum ad augendam inuidiam vltro paſſim admiſſa, feſtiua ſecularia, et, vt ſcribitis, triumphalia meditari liceat: et ſicuti compar erat, diuinum numen eximie laudare de centum annorum felicitate ſalua et incolumi, ita vobiscum in partes venimus feſtiuitatis veſtrae ſecularis haud vulgaribus encomiis caeleſtis praeſidii ornandae. Dominus laudandus in ſecula veſtris conatibus ſemper adſit et faueat, ac pro eo, quod eccleſiam, et commune publicum tot ornamentis elapſo ſeculo collocupletaſtis et extuliſtis, concedat vobis, et hic verſari in celebritate, et frui aliquando ſplendore illo fidelibus doctoribus promiſſo caeleſtium ſiderum! poſteritati autem noui ſeculi, ſicut vobis, paria incrementa ſufficiat, ad memoriam famamque nominis etiam in his terris extendendam et propagandam in ore et commemoratione omnium gentium. Quemadmodum autem ex elegantia veſtri erga nos adfectus et beneuolentiae ſingularem voluptatem cepimus: ita in eodem propoſito, quod tenetis, idem ſaxum vobiscum voluendi numquam ceſſabimus, veſtro autem poſtulato conuenienter, in valuis academiae noſtrae veſtrum hoc gaudium publicabimus, et ſtudioſis ad communia nobiscum vota dedicanda erimus auctores, de flore autem communi ienenſis ſtudii promouendo et in plura ſecula, imo aeuum omne ſpargendo ac deriuando aeternum numen pietate votorum noſtrorum ſollicitabimus.

Qvod deinde etiam praeſentiam vel vnius ex noſtro ſinu deſiderare videmini, agnoſcimus quidem vim ac pretium beneuolentiae veſtrae; ſed praeter incommoditatem et periculum iteneris, dum viae paſſim obſidentur infeſtae et diſcriminum plenae, etiam alia obſtant, quo minus pompae veſtrae intereſſe nobis liceat: parata autem officia in exorando deo pro conſeruanda ſalute veſtra tanto acrius excubabunt, et iuuentus noſtra academica ad ſimiles preces ac vota flagrantiſſima interuentu programmatis veſtri inflammabitur: vt placeat diuinae prouidentiae,

aeſtum

aestum irae suae a patria communi auertere et intentatum Germaniae periculum in sudum et tranquillitatem, Martis autem feram rabiem in segetem felicissimam oliuarum et amabilis concordiae antiquum prouentum commutare. Quo voto vos dimittimus, et de communi flore ac studio vigenti feruidissima vota, ad perniciem barbariae et impietatis iteramus etiam atque etiam, vosque omnes de obsequio nostro omni occasione vobis praestando, securos esse iubemus. Francofurti ad Oderam, die XVI. decembris CIↃIↃCCLVII.

# FRANEQVERANAE.

Redditae nobis sunt litterae, quas die XXX nouembris ad nos dedistis, adiectum deprehendimus programma, quod epistolae argumento conuenit. Ex iis perspeximus, vobis deliberatum constitutumque esse, celeberrimae vestrae academiae sacra secularia proximi anni mense februario sollemniter celebrare; qua caussa ducti his triumphalibus ludis vel vnum ex nostro senatu praesentem interesse desideratis. Quae quum intelligeremus beneuoli in nos animi certissima documenta, iuxta quoque multum facere arbitramur ad communium studiorum decus, nolite dubitare, amplissimi et eruditissimi viri, quin id laetissimi cognouerimus, magni enim aestimamus fauorem, amicitiam coniunctionemque vestram, honestissimum de nobis laboribusque nostris iudicium, praesertim vero singularem honorem, quo nos ornatos voluistis, quod et nostri senatus rationem habere volueritis. Esset illud nobis iucundum maxime, gaudia vestra festiuitatemque, vel per delegatum participare et in corona confluxuque nostri ordinis hominum, praesentem vestram felicitatem praedicare, pro futura vota precesque nostras profundere, si per occupationes academicas, quae isto tempore nos distractos tenent, liceret et locorum disiunctio etiam tarditatem non adferret consilio. Grates tamen vobis, quas par est, habemus maximas pro humanitate summa, qua in nos vsi estis, cuius memoriam inter nos intercidere non patiemur, conceptissimis verbis deum vene-

 rati,

rati; sua faxit prouidentia, vt noui seculi dies tantae laetitiae destinatus, vobis et academiae vestrae candidus exoriatur, seculumque illud, quod nunc auspicato initis, laetum, prosperum atque ex voto vestro et publico omnium decurrere sinat, almam vestram academiam praeclare hactenus de publico meritam conseruet et in plura adhuc secula stabiliat, locupletet auctioremque etiam et ornatiorem, si licet, efficiat: vos quoque, magnifice, amplissimi celeberrimique viri, quibus nos ad omne officii genus deuinctos profitemur, diu valere et florere iubeat ad rei litterariae singulare decus atque ornamentum, laboribus vestris affatim benedicat, iisque in hac vita defunctos in caelum transscribat. Caeterum, quod vobis latere nolumus, programma beneuole nobiscum communicatum ad valuas academiae nostrae adfigi iussimus. Valete. Franequerae die XX decembris CIↃIↃCCLVII.

# GISSENSIS.

Litterae vestrae, trigesimo nouembris, anni praeteriti, die signatae rectissime ad nos delatae sunt atque ex iisdem humanitatis et beneuolentiae plenissimis perspeximus, quanta vobis vestraeque academiae propediem instet sollemnitas. Nimirum significastis nobis, quod non sine suauissimo animorum motu legimus, ludos ad sacrorum secularium celebritatem dignissime amplificandam, seculares parari eosque, quales nec Roma vmquam viderit, triumphales; atque vos nunc pia cogitatione et cura ad id esse intentos, vt memoriam vestrae ante ducentos annos conditae inauguratae que, per diuinam vero numinis aeterni benignitatem adhuc optato florentis academiae, deuotis supremo euergetae mentibus, piis gratiarum actionibus et supplicationibus, publicam inter laetationem, iubila, dulcissimumque musarum concentum, praesertim vero academicis quibusdam actibus panegyricis aliisque ritibus ac institutis tali occasione vsurpari consuetis, iusto tempore recolatis. Praeterea intelleximus ex vestris gratissimis, nos insimul et Ludouicianam hanc studio-

ſtudiorum vniuerſitatem a vobis excitari humaniterque in celebrationis veſtrae academicae partem vocari. Nos vero aequo animo id quod petiiſtis facimus, in feſtiui illius gaudii communionem quam lubentiſſime venientes, votiuasque noſtras adclamationes eo promtius veſtris iungimus plauſibus, quo vehementius de flore academiarum conſtante, incorruptaque integritate laetamur, et quo maius oblectamentum intenſioremque voluptatem inde percipere ſolemus, quando cognoſcimus, inoffenſe a praeſtantiſſimis magiſtris eas artes ac litteras doceri, optimarumque rerum diſciplinas et praecepta tradi, quibus felicitas populorum maximopere fundatur atque confirmatur. Idem hoc a nobis poſtulat arctioris illius neceſſitudinis ratio, quae inter omnes academias intercedit, tamquam ſocietates ad communem hunc finem conſtitutas, vt optimae artes ac vtiliſſimae ſcientiae excolantur, propagentur, maioraque in diuini numinis honorem generisque humani commodum et emolumentum, capiant incrementa. Quemadmodum vero ſororio coniungimur vinculo, ita florens rerum veſtrarum conditio, decus illibatum, proſperitas et ſalus ad nos quoque pertinent, nobisque creare debent conſociationem laetiſſimarum feſtiuitatum. Tametſi autem hiſce muſarum ſacris vobis mox celebrandis intereſſe, prolixamque erga vos voluntatem et adfectum noſtrum coram teſtari vetant tum illud, quo disiuncti ſumus locorum interuallum, tum academici noſtri, quibus diſtinemur, labores; verum tamen animis votisque praeſentes erimus, quumque laetitiam pectore conceptam ore exponere non poſſumus, pro eo ac debemus, calamo ſaltem atque ſcriptione eamdem declarabimus. Gratulamur itaque vobis, viri celeberrimi, inſignem rei veſtrae felicitatem; gratulamur inclytae veſtrae academiae tantum honorem, tantam dignitatem ſaluam et intemeratam, proſperumque ac incolumen ſtatum, quo per praeterita ſecula gauiſa eſt, immo etiamnum diuina fauente gratia, admirabili et ſingulari modo, rariorique exemplo, gaudet. Faxit deus ter optimus maximus, qui omnis bonae ſcientiae ac ſapientiae fons, ciuitatumque academicarum ſummus praeſes et cuſtos eſt, vt hilaria veſtra ad votum agere feliciterque peragere poſſitis. Efficiat vobis exſpectatiſſimum illum ſecundum futuri menſis februarii diem, quo pia atque religioſa caerimonia nata-

lem

lem ſuum rurſus celebratura, nouumque ſeculum ingreſſura eſt celeberrima ienenſis vniuerſitas, diem gaudiorum et obleɛtationis pleniſſimum; procul abeſſe iubeat et auerruncet omnia mala aduerſa omnesque triſtes ac acerbos infortunii caſus. Largiatur vero et in poſterum muſis veſtris exoptatam tranquillitatem, placidam quietem et pacem; felix vobis ac dulce faciat otium; tueatur vos veſtramque litterariam ſedem omnipotentiae ſuae et benignitatis alis ab omni armorum circumſtrepentium impetu, finibusque veſtris fortunatiſſimam praeſtet ſecuritatem, turbulentiſſimis hiſce atque grauiſſimis, in quae aetas noſtra incidit, temporibus, quibus dirus Bellonae furor in miſeros mortales longe lateque graſſatur, quibus cruentiſſima innumerabili caede ac frequentiſſima Martis germanici praelia, rapidiſſime ſeſe excipientia, omnium oculis obuerſantur, ac horrenda illa, quae numeroſiſſimi exercitus, mutuo odio frementes, aduerſus ſe inuicem vibrant, tonitrua et hinc et illinc reſonant. Optime ſeſe habeant laetaeque maneant res veſtrae, his praeſertim diebus, quibus immanis ac tetra diſcordia, Europae gentibus paene in vniuerſum armatis, accenſis nunc et ardentibus facibus, ſtrictisque vbique gladiis humano generi duriſſimos infandosque labores, atrox damnum, immenſas aerumnas, miſerias ac mala creat, totque funeſtiſſimas clades iamiam intulit, et adhuc infert. Adſit ille ſupremus rerum humanarum moderator veſtro bonarum artium ſcientiarumque tam ſacrarum quam ciuilium celebratiſſimo domicilio in perpetuum ſua gratia et auxilio. Iubeat, illud ſtare ab omnibus aſperiorum viciſſitudinum, quibus hominum res et inſtituta facile franguntur ac dilabuntur, iniuriis illaeſum, ſaluum atque inconcuſſum; conſeruet clementiſſime florem illius conſtantem, honorem ac decus, per tot ſeculorum, quot hic terrarum orbis habebit, decurſum nequaquam imminuendum, ita vt nouis indies ornamentis et incrementis exſurgat praeſtantiſſima illa ſapientiae officina, in ſacroſancti diuini nominis gloriam, patriae veſtrae commodum innumerorumque aliorum hominum terrenam ac aeternam ſalutem. Benedicat vobis omnipotens caeleſti ſua benedictione, bonis omnibus vos, domos veſtras illuſtres, ampliſſimasque familias cumulet; impertiatur de largiſſimo vbertatis fonte, ita vt quouis proſpe-

prosperitatis genere nullo non tempore instructi sitis atque opulenti. Caeterum eas, quas simul ad nos transmisistis, publicas litteras typis exscriptas, quibus secularem triumphalium ludorum, ad designatum 11 februarii diem apud vos agendorum, sollemnitatem orbi erudito annuntiastis, in publico loco nobis sacro adfixas, prout rogastis, oculis ciuium exposuimus, vt iis quoque vniuersitatis vestrae adparatus festiuus et celebritas mox instituenda innotesceret simulque adpareret, quanti aestimemus vestram vestrarumque rerum incolumitatem ac splendorem. Valete. Dabamus Gissae, d. xx. Ian. A. R. S. CIↃIↃCCLVIII.

***********************************

# GOTTINGENSIS.

IVCVNDE et boni ominis instar per has Germaniae tenebras, accepimus primo nuncium de bisecularibus academiae vestrae ludis instituendis, tum mox insecutam inuitationem humanitate vestra dignam. Qui nos non communi tantum illo omnium litterarum atque honestissimorum studiorum vinculo vobis, fautores honorandi, coniunctos arbitramur, sed bonam partem dulci et bonae matri, ienensi academiae, iuuentutis nostrae debemus nutricia, libenter fecimus vt edictum vestrum loco solito non sine nostro plausu et cohortatione proponeremus, cuius rei testes, aliquot nostri programmatis exempla, his litteris adiunximus. Non desunt inter nostros, qui legationem honorandis ludis vestris cupide obituri erant, nisi his, quae solent detinere nostri ordinis homines, etiam alia impedimenta accessissent. Tanto deum rogamus ardentius, vt rata esse vota omnia, quae per hanc sollemnitatem pro perpetua felicitate academiae vestrae fundentur, propitio numine suo iubeat, horumque vos ludorum ad seram cuiusque senectutem non sine gaudio impletorum votorum meminisse. Gottingae, a. d. XVIIII. decembr. CIↃIↃCCLVII.

# GROENINGENSIS.

Quod si Romani, quamuis profunda gentilitiae superstitionis caligine mersi, ludos seculares, eucharisticos partim, partim votiuos, et in iis totidem patriae suae velut natales, optima ratione sibi concelebrandos existimarunt, vt testatum facerent, se rem romanam, et vrbis ac imperii incolumitatem, non suae magnitudini, sed soli deorum auerruncorum et sospitalium patrocinio transscriptum ire: quanto aequius, rerum publicarum christianarum, et in iis quoque academiarum natales, dei immortalis immortali beneficio repetitos, a christianis alta, et ex imo pulmone ducta voce, suo seculo, suae posteritati, immo toti orbi ad omnem memoriam impingi, et seculares paganorum ludos in iubilaeos sacros conuerti: ne, quae beneficia diuina bonitas exorsa fuit, ea humanus stupor interuertat, et ii miseri merito esse iubeantur, qui suae felicitatis nondum sunt capaces.

Ad laetissimum illum eumque decentissimum, quem vobis ex animo gratulamur, actum, quum vos accingitis, viri celeberrimi, pro singulari vestra erga nos beneuolentia et humanitate, litteris vestris ad nos nuperrime datis, nos nostramque academiam certiores reddere voluistis, de sacris academiae ienensis secularibus, mense februario proxime futuri anni sollemniter iterum celebrandis: addito apographo litterarum publicarum, quas vt loco publico consueto adfigamus, spe freti certissima a nobis exspectatis: quin et iuncta blandissima inuitatione, vt vel vnus ex nostro senatu eiusque iussu, ad euehendum in maius eorum splendorem secularibus academiae vestrae ludis, iisque triumphalibus praesens interesse velit. Quibus nominibus, vti magnas vobis debemus habemusque gratias, sic gratam nostram pro tantis sincerae amicitiae documentis mentem in eo testatam facere voluimus, quod programma vestrum publicum huius academiae valuis adfigere sine vlla haesitatione decreuerimus: quo vel sic saltim sacra academiae vestrae secularia omnibus huius academiae ciuibus reliquisque bonarum litterarum fautoribus innotescant, illique excitentur, ad vota sua pro academiae vestrae felicitate

tate ac flore nuncupanda. Quo minus autem quis e nostro senatu secularibus vniuersitatis ienensis ludis interesse queat, anni tempestas, temporum iniuriae et quotidiana nostra negotia faciunt. Quod vero praesentes facere non possumus, id absentes animo nostro praestare, minime recusamus. Quumque sacra illa secularia, non hostiis nec lectisterniis nec peruigiliis, nec caecis Andabatarum conflictibus, nec insanis bacchantium et lymphatorum paeanibus aliisque gentilitiis superstitionibus, celebranda sint: sed sincera beneficii accepti agnitione, grata commemoratione, et precibus pro longa et diuturna beneficii collati prorogatione: hinc preces nostras, partim euchatisticas, partim votiuas, vestris iungentes, deo ter optimo maximo gratias agere gestimus, quas possumus maximas, quod diuina sua benignitate florentissimam vestram artium liberalium palaestram, inter tot motus et turbines et orbis vndiquaque crepitantis ruinas, tot annorum, immo duorum integrorum seculorum, decursu, immotam et inconcussam constare voluerit: simulque supplicibus votis ardentissimisque suspiriis summum numen sollicitamus, vt vniuersitatem vestram litterariam per plura secula incolumem et floridam conseruet, ipsique perpetuo det doctores fidos, iuuentutem docilem, profectus vberes, halcyonia frequentia; sicque illa in seram vsque posteritatem sit constans diuinae gratiae sedes, perenne gloriae ipsius theatrum, diuini oculi pupilla, ipsiusque sanctitati sacra in perpetuum et dicata habitatio. Id quod ex intimo animi sensu vouemus. Groningae, d. XXVIIII. decembr. CIƆIƆCCLVII.

# GRYPHICAE.

Vere profecto veterum aliquis dixit: "vt ex studiis gaudium, sic ipsa quoque studia proueniunt ex gaudio", arctissimam mutuamque innuens, quae litteras inter et ingenuum animi gaudium intercedit, necessitudinem. Quid enim homini, huius saltem non indigno honore nominis accidere dulcius ac iucundius potest, quam admiranda, quae vbique in hoc vniuerso

obuia cernuntur, dei opera adſidua verſare contemplatione, eorum cauſſas inueſtigare et fines, atque comparatis hac demum induſtria muneribus ſuae aliorumque conſulere vtilitati. Immo tantum in doctarum ſtudio artium ineſt dulcedinis, vt vix alia quaeuis honeſtior, ſincerior, aut quae minus taedii admixtum habeat, voluptas facile reperiatur, ſine his autem vita, auctore Seneca, mors ſit et viui hominis ſepultura. Sicut autem litterae plurimum pariunt cultoribus ſuis delectationis et gaudii: ita ex ipſo quoque liberali gaudio atque erectae hilaritate mentis, velut ex amoenitate aëris flores, laetiſſime progerminare ſolent ac ſuccreſcere. Tantum pace vigent et otio, totum hominem et ſingulas ingenii vires adeoque pectus ſibi depoſcunt omni cura ac ſollicitudine vacuum, neque enim carmina modo, vt poeta habet, verum omnia generatim ingenii opera tantum

- - - proueniunt animo deducta ſereno.

Itaque merito vobis, viri toto orbe celeberrimi, gratulamur inclutae academiae ienenſis, quam vos ſingulari doctrinae meritorumque laude illuſtratis, ſeculare gaudium, quod vt exoptatiſſimum per ſe ad muſasque exhilarandas ſimul atque felicius prouehendas aptiſſimum eſt, ita, vt id quoque ipſum, vna cum ſingulis tantae laetitiae auguriis ac votis, proprium vobis, integrum nullisque Bellonae, quae iam pridem Germaniam proh! concutit ac deuaſtat, furiis labefactatum ſit, prouti fas eſt, ſincero ex animo vouemus. Vt vero in hanc, quam humaniſſimae litterae veſtrae excitarunt, communis gratulationis ſocietatem eo diligentius noſtri venirent ciues in ipſo ienenſis academiae die, non ſolum transmiſſum programma, tantae rei nuntium, vti mos iubet ex tabula publica exhibendum, verum orationem quoque, a TIMOTHEO CHRISTIANO GVILIELMO OWERKAMP, GEORGII GVILIELMI, collegae noſtri dilectiſſimi, FILIO, medicinae cultore perinduſtrio, praeuio nempe parentis, facultatis philoſophicae ſenioris ac decani celeberrimi programmate in auditorio ſollemni habendam curauimus: cuius etiam programmatis exemplaria nonnulla, vna cum iubilaei noſtri actis transmittimus. Quas idcirco laetitiae votorumque ſignificationes, a nobis quidem, nihil impedientibus armorum, quibus obſidemur, turbis, pie ſuſceptas vt aequi bonique conſulatis et nos ſolita beneuolentia,

lentia, nec non melioris adprecatione quietis complectamini, iugiter rogamus. Gryphiae, d. XXVIII. febr. CIƆIƆCCLVIII.

# HALENSIS.

Agimvs, quas possumus, gratias, quod secularia vota pro incolumitate et gloria illustris academiae vestrae futuro anno vobiscum communiter nuncupanda et nobis indicere haud dedignati fueritis. Certe singularem humanitatem vestram, et erga Fridericianam clara beneuolentiae documenta agnoscimus, quod super haec ad festiuam spectandam caerimoniarum pompam testem requirere placuerit ex senatu nostro, qui congratulandi officium publico nomine praesens suscipiat officiosissimamque Fridericianae erga vos voluntatem declaret. Adseueramus, viri celeberrimi, idque impensissime, non solum mutuam illam quae inter litteratos esse solet, studiorum et operarum consensionem, quae eruditorum rem publicam quasi communi aliquo vinculo coniungit, nos ad bene vobis precandum incendere, sed peculiarem omnino gloriae vestrae sensum efficere, vt quaeuis fausta feliciaque inclutae vestrae musarum sedi, omni bonae mentis adfectu, integerrime voueamus. Superbit Salana vestra inter plures Germaniae academias venerabili vetustate, ac id praecipuum habet, quod perdurauerit in pristino flore, nec vllo casu celebritas eius et apud exteros gratia imminuta fuerit. Exstitit semper inexhaustum litteratissimorum hominum seminarium, et egregiis in ornanda atque tuenda sacra et ciuili republica meritis illustrium virorum. Ostentauit omni aeuo immortalia praestantissimorum professorum exempla, quorum numquam colere et venerari memoriam desinet cultior orbis. Digne igitur agitis, quot tot decorum, tamque insignium beneficiorum, haud immemores, sub noui seculi academici ingressum, deo immortali gratias agere, ac pro futurorum temporum felicitate vota publica suscipere decreuistis. Gratissimum nobis officium imponimus, quando vestris votis nostra coniungimus, ac sincere precamur, vt in perpetuo flore et incolumitate academiam ve-

 stram

ſtram per ſecuturas aetates ſeruet deus, omnis ſapientiae ſtator, decora veſtra ſempiterna eſſe iubeat, nec vllam tempeſtatem de huius felicitatis poſſeſſione vos dimouere ſinat. Caeterum habebitis ex noſtratibus, qui praeſtituto tempore ſollemnibus veſtris interſit, virum perilluſtrem IOANNEM ERNESTVM FLOERKIVM, regis noſtri potentiſſimi conſiliarium intimum, academiae directorem et iuridicae facultatis ordinarium, olim collegam veſtrum, Fridericianae nomine ad vos ablegatum. Valete et copias eruditionis, quibus abundatis, explicate feliciter, et diu fauſteque melioris orbis exſpectationem ſuſtinete ac vincite. Halae Magdeburgicae, die XXII. decembr. anno CIↃIↃCCLVII.



# HARDEROVICENSIS.

RECTE accepimus, quas ad nos exaraſtis et dediſtis, litteras: laetamur ex illis diſcere, vos non ſola conſuetudine, ſed ſingulari humanitate et erga nos amore ductos nobiscum communicaſſe futuri gaudii publici et ſollemnium celebrationem. Non poſſumus ergo, quum dies ſecularis ſecundum veſtrae redit academiae et iuſtam paraturus eſt laetitiam, quin ſummas vobis agamus gratias pro communicatione illa nobis tam grata tam honorifica. Gratulamur vobis feſtum illud reuerſurum ſeculare. Speramus totis animis, non tantum proximo proximi anni februario tempus illud ſeculare feliciter vobis appariturum, ſed ſaepius academiae veſtrae illud rediturum; immo, donec haec mundi compages ſtabit, lyceum veſtrum peremnaturum, per totum orbem celebratum iri, et, quod feliciter facit, eruditionis lumen vndique et vbique ſparſurum. Quod rogaſtis, quam officioſiſſime praeſtitimus, et litteras veſtras publicas futurae ſollemnitatis nuncias loco publico conſueto adfigi iuſſimus atque ita amorem erga vos, quantum licuit, probauimus, dolentes, quod nobis tam felicibus eſſe non licet, vt vnum ex ſenatu noſtro membrum et collegam ad vos ablegare poſſimus, vtpote omnes neceſſariis laboribus retenti, hyeme praeterea longae viae

viae et armorum terrore. Deum optimum infimis et ardentissimis veneramur precibus et rogamus, vt vobis vestraeque academiae diem secularem instantem, faustum, felicem, serenum atque fortunatum esse iubeat, et vt vobis singulis atque vniuersis res omnes semper prosperae sint et gloria vestrae eruditionis et famae sit aeterna. Harderouici die XVIIII. decembr. CIↃIↃCCLVII

# HAVNIENSIS.

Accepimus laeti et gratulantes, vt pignus amoris et argumentum certissimum coniunctionis animorum, quae inter eadem professos sacra, easdem docentes bonas litteras, et, quamuis magno terrarum spatio diremtos, amicos eosdem et inimicos agnoscentes, esse debet indissolubilis, litteras vestras, humanitatis omnis plenissimas, III cal. decembr. anni superioris datas, non prius autem quam ante triduum nobis redditas. Caussa, vt remur, cursus tabellarii publici, tumultu belli, quae seculi est calamitas, omnia turbante, inhibiti, tarditas. Resalutamus itaque, tardius quidem, nullo nostro vitio, quam vellemus, pio enimuero gratoque pectore, votis ardentibus et omine felici secunda secularia academiae vestrae sacra, stato eodemque IIII. non. februarii die, cum ciuibus vniuersitatis nostrae, quantum in nobis est sancte casteque concelebraturi. Vni et soli deo, qui, exactis iam duobus seculis integris vestram academiam, nostram per annos CCLXXX. caeterasque emendatissimorum sacrorum salutares officinas, inter tot ancipitia hostium et haereticorum mala clementer seruauit ac sospitauit, gratias acturi maximas. Insimul vota eidem summo numini nuncupaturi: velit bonum et facile academiarum et scholarum, quaeque illis post deum immortalem innititur, ecclesiae purioris doctrinae, incolumem et florentem statum atque aetatem augere et prorogare. Praereptum iniqua tabellarii mora nobis tempus, longinquitas itineris, rigidior anni tempestas, infesta denique, belligerantium furore impotenti, qui vos etiam

etiam, quod dolemus, tetigit, Germania veſtra, vetat quemquam noſtrum ſecularibus veſtris intereſſe. Fidis autem precibus nemo noſtrum aberit; ſed vel abſentes celebritatem veſtram, vtinam inter belli ſtrepitus ſecuram! votorum conceptiſſimorum concentu ſecundabimus. Hauniae, d. v. cal. febr. A. CIϽIϽCCLVIII.

## HEIDELBERGENSIS.

Ex veſtris, quas nuper ad nos dediſtis, litteris, viri celeberrimi, ſummo cum gaudio intelleximus, nouum ſeculum iam effluxiſſe, ex quo veſtra per vniuerſum vrbem ampliſſima vniuerſitas, adſpirante diuina clementia, ab omni bellorum turbine et quibuscumque aliis calamitatibus illaeſa et libera vsque huc perſtiterit. Pro veſtra proinde ad hanc ſollemniſſimam proximo menſe februario a vobis celebrandam diei natalis feſtiuitatem habita humaniſſima inuitatione, gratias debita cum reuerentia agimus immortales, deum ter optimum maximum ſincero corde precantes, vt hanc omnium ſtudiorum matrem et magiſtram longe celeberrimam per plurima ſecula ex omni parte fortunatam florentemque conſeruet, vosque viros celeberrimos huic palaeſtrae diu praeeſſe iubeat incolumes, atque vt quoque non immerito noſtri ciues academici de hac ſollemni natali feſtiuitate congratulari potiſſimum poſſint, et ſimul haec a vobis mox celebranda ſollemnitas innoteſcat ſingulis ſtudiorum cultoribus, pro veſtro placito valuis academiae noſtrae litteras veſtras iamdudum adfigi curauimus. Valete de amicitia et adfectu noſtro perpetuo ſecuri. Heidelbergae ad Niccarum, die IIII. Ianuar. CIϽIϽCCLVIII.

## HELMSTADIENSIS.

Magnam nobis voluptatem attulerunt veſtrae litterae, quibus ſacrum ſeculare academiae veſtrae propediem celebrandum, cum multa humanitatis et beneuolentiae ſignificatione, nuntiaſtis. Etenim cum omni ſtudio rei publicae litte-

ratae

ratae felicitatem auctam et amplificatam cupimus, tum illustris athenaei vestri splendori, ob summa eius in bonas litteras et sacram religionem merita, prolixe fauemus. Itaque in societatem laetitiae vestrae libentes venimus et ferias seculares vobis, effusis in faustas adclamationes animis, gratulamur, eo magis, quod singulari dei beneficio in medio armorum strepitu et in hac temporum tristitia haec vobis otia atque haec gaudia concessa sunt. Sentit enim hoc tempore Germania, sentit ipsa Saxonia calamitatem fundi sui, bello ardente funestissimo, cuius terrore ipsae adeo musae passim percelluntur, vt vix respirare liberius, nedum effusiori se laetitiae dare audeant. Sed haec academiae vestrae quasi propria est felicitas, vt rebus aduersis eniteat magis, atque ex his opes et incrementa ducat, quippe quae ipsa initia sua in tristissimi belli exitu habuit et posthac diuino septa praesidio in variis rerum discriminibus non durauit modo, sed maiore etiam splendore et celebritate aucta est. Vnde iam faustissimum omen capimus, certoque auguramur, fore, vt, quae nunc in tanto plurimarum gentium metu festis ipsa gaudiis exsultat, academia vestra, eadem porro per aduersos casus et infestas rerum vicissitudines innoxia et florens enitatur decusque suum ad plurima secula illibatum transmittat. Certe omnes sincere optamus et precamur, vt deus, ter optimus, maximus, qui academiae vestrae has seculares gratulationes indulsit, eidem perpetuitatem aeternitatemque praestet, et litterarum studia, vestris adhuc laboribus excellenter adserta, in nobilissimo hoc musarum sacrario ad omnem posteritatem felicissime florere et celebrari iubeat. Quae vota pro salute athenaei vestri cum ipsi suscipimus absentes, tum vero praesens interpretabitur collega noster amicissimus, quem, quod ita fieri voluistis, ad officium sacri secularis vestri nostro nomine peragendum delegauimus, vir summe reuerendus atque excellentissimus, IOANNES ERNESTVS SCHVBERTVS, abbas ad lapidem sancti Michaelis, s. s. theologiae doctor et professor in hac academia ordinarius. Eum igitur, testem officii et obseruantiae erga vos nostrae, vt benigne accipiatis et sollemnia sacra, quae adparantur, salui hilaresque celebretis, id est, quod summopere optamus. Helmstadii, die XIIII. Ianuarii CIↃ IↃ CC LVIII.

# KILONIENSIS.

Grato agnoſcimus animo, quod proxime ad nos datae litterae beneuolentiae veſtrae praedes atque indices exoptatiſſimum nobis attulerint nuntium, vos caeleſti adſpirante gratia, diem academiae veſtrae natalem, altero vertente ſeculo ſollemni ritu celebraturos. Inſtituto huic laudum pleniſſimo adclamamus. Ciues etiam noſtros, ſuaſu veſtro ad gratulationis officium academiae veſtrae tribuendum ex tabula publica inuitabimus. Idem officium etſi, ex voluntate veſtra, vnus ex ſenatu noſtro coram non exſequetur; ad vnum tamen omnes veſtris plauſibus noſtros iungemus plauſus, et vota communia pro ſalute et felicitate academiae veſtrae nuncupabimus concordiſſime. Faxit ſummum numen, vt ciuitas veſtra litterata, ſcientiarum ac virtutum ſacrarium, doctorum ſuorum gloria et ciuium frequentia et nominis celebritate ſequentibus ſeculis viriditate haud amiſſa floreat diutiſſime. Kilonii, die XII. Ian. CIƆIƆCCLVIII.

# LIPSIENSIS.

Rem dignam feciſtis non modo humanitate veſtra, ſed etiam noſtro in vos veſtramque academiam animo, quum veſtra nos laetitia impertiiſtis, atque in eius ſocietatem et ad concelebranda ſecularia ſollemnia, litteris publice miſſis vocaſtis. Nam profecto mirifice fauemus academiae veſtrae, tot cum hac noſtra, religionis, litterarum, atque etiam patriae communis vinculis coniunctae, et veſtra maiorumque veſtrorum in religionem et bonas litteras merita et praeclare intelligimus et amamus vehementer. Sed cum ſemper veſtra nobis felicitas iucunda fuerit, tum vero ſuauiſſimo laetitiae ſenſu adficit animos noſtros hoc tempore, quo nihil prope aliud nobis, quum lugere conceſſum eſt, verſantibus in ruinis patriae cariſſimae et noſtrae etiam academiae mala in dies adgrauari cernentibus. Quo vehementius optamus, vt deus illam veſtram vobis felicitatem perpetuam eſſe iubeat, porroque faueat praeclaro operi ſuo ac mune-

muneri, quod etiam amabilius nobis facit principis magni, et de religione puriori immortaliter meriti, cogitatio, per quem illud patriae atque ecclesiae concessit. Quam vellemus vero, hanc nobis facultatam dari, vt mittere ad diem possemus, qui nostra vice tantae vestrae gratulationi interesset. Sed nec ignoratis, nec, vt speramus, non doletis, eam esse omnium in his terris perturbationem, vt vix quidquam in hoc genere vobis polliceri liceat. Itaque rogamus vos, vt de vestra aliquem ciuitate deligatis, qui inter illam caerimoniam academiae nostrae personam sustineat, vtique nostras pro huius nostrae academiae salute in his tantis miseriis supplicationes vestris etiam precibus apud deum adiuuetis. Valete. Lipsiae, idibus decembr. A. C. CIↃIↃCCLVII.

# LVGDVNENSIS APVD BATAVOS.

Litterae perhumanae, quas ad rectorem magnificum et senatum hunc dedistis d. XXVIIII nouembris huius anni, studii vestri erga nos, sincerique erga academiam nostram amoris testimonium praebent amplissimum; pro quo, dum grates vobis persoluimus maximas, propensissimi quoque animi nostri erga vos summaeque aestimationis monumentum perpetuum ponere etiam atque etiam cupimus: nam, quod celeberrima ienensis academia alterum ab erectione sua seculum feliciter videat impletum, toto pectore laetamur, vobisque et bonis omnibus, quotquot artes colunt, et humanitatis studium cordi est, adfectuosissime gratulamur: vtque in propagandis academiae vestrae diuturnitate et commodis propitium habeatis numen supremum, oramus supplices. Vtut tamen ad vos nostra sit animi propensio et quantumuis eam palam testari, optamus, quum sacra vestra secularia incidant in illud anni tempus, quo varias ob rationes nobis ab academia abesse non liceat, nemo nostrum, quod dolemus, festis ludisque secularibus academiae vestrae intererit, sed quod solum nunc potuimus, perlibenter fecimus, curantes, vt exemplum programmatis vestri in foribus atque ingressu aca-

demiae nostrae conspectui publico pateret. Valete, viri clarissimi atque excellentissimi et vt idem caeli fauor post hac adesse vobis velit, contingatque academiae vestrae annis plures tales epochas adiici, ardentibus votis precamur! Lugduni Batauorum, d. xx. decembris. CIƆIƆCCLVII.

## MARBVRGENSIS.

SCHOLAS et academias, bonarum artium officinas, tristissimis belli temporibus, quum passim locorum, regiones et vrbes vastentur, singulari dei prouidentia conseruari, et si quid forte detrimenti ceperint, maiori tamen postea splendore iterum refulgere, tot veteris et recentioris aeui exempla comprobarunt. Vel hoc ipso tempore, quo totus fere orbis terrarum germanicus ardet bello, ita benigne deus egit vbique locorum cum musis, vt nullum non solum damnum, sed singularem ipsorum belli ducum fauorem et protectionem expertae sint, quo tranquille et tuto res suas agere potuerint. Testis est huius rei academia vestra, patres conscripti, quae dei, ter optimi, maximi, beneficio non solum funestissimo isto Germaniae tricennali bello aliisque rerum vicissitudinibus, in hunc vsque diem conseruata; sed his quoque turbulentis belli temporibus sarta tectaque permansit, quid? quod post memorabilem illam de Gallis nuper in finibus vestris reportatam victoriam, pacatiorem et tranquilliorem rerum statum nacta, nunc nouam spem concipere potest, fore, vt, remoto longius a vobis bellorum strepitu, ludos seculares, sub diuini numinis protectione, laeta triumphansque celebrare possit. Sane deus vobis haec otia fecit. Quare vestrae sub finem superioris anni ad nos, vna cum programmate transmissae litterae, quae luculentum huius diuinae prouidentiae documentum prae se ferunt, quibusque ad academiae vestrae secularia sacra mox celebranda, beneuole nos inuitare voluistis, mirificam nobis attulerunt laetitiam. Proinde vobis, magnifice domine Prorector, ceterique viri excellentissimi

pro

pro honorifica illa ſignificatione et inuitatione gratias agimus maximas: haec vobis a ſummo numine, inter armorum ſtrepitus, conceſſa otia, felicitatemque ſecularem ex animo gratulamur et fauſta omnia adprecamur. Programma veſtrum publico in loco, vt petiiſtis, adfixum ciuibus noſtris expoſuimus. Sed praeſens temporum noſtrorum conditio non patitur, vt adfectum noſtrum per vnum ex ordine noſtro, ſicuti rogaſtis, ad vos ablegandum, teſtari, veſtrisque ſollemnibus praeſentes intereſſe poſſimus. Communem tamen eam veſtram laetitiam exiſtimamus; abſentesque pro tanta et tranquilla feſti ſecularis celebratione, rerumque omnium felici ſucceſſu, pia vota nuncupabimus. Prouida dei, ter optimi, maximi, cura ſeruet porro academiam veſtram, eamque ſemper praeſtantiſſimorum virorum cum doctorum tum diſcentium copia ornatam foueat et complectatur, vt ex illa innumeri prodeant doctiſſimi viri, qui eccleſiae dei et reipublicae vtilitati ſint et ornamento. Seruet quoque munificentiſſimos eius nutritores, ſereniſſimos principes, eosque in ſeros annos ſoſpites florentesque praeſtet. Ita vouemus deumque veneramur, vt votis noſtris veſtrisque mox inſtituendis ſupplicationibus clementiſſime adnuat. Marburgi, ipſis nonis ianuariis, CIↃIↃCCLVIII.

✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤

# REGIOMONTANAE.

Si vobis, viri excellentiſſimi atque ampliſſimi, gaudium, quod, reſignatis et perlectis litteris veſtris, die XXVIIII nouembris a. p. ad nos datis, coram explicare liceret, rueremus in amplexus veſtros et dextras dextris iungentes, feſtiuae ludorum ſecularium celebrationi, exquiſitis elogiis et votiuarum adclamationum formulis adplauderemus. Quum vero locorum interualla, rigidae hyemis incommoda et ardentes in Germania cruenti belli faces propoſitum noſtrum retardent et litterariae ſollemnitatis veſtrae ſeriem oculis vſurpare non permittant; impenſe vobis, interprete calamo, aperto tamen pectore gratula-

 mur,

mur, quod academia veſtra ſecularem natiuitatis ſuae memoriam futuro menſe celebrare et exhibita ſibi a ſupremo numine et ſereniſſimis nutritoribus per ducentos annos beneficia longo ordine recenſere conſtituerit. Eſt ſane ingens et nunquam ſatis praedicanda dei benignitas, quod muſarum veſtrarum tecta, horrenda Martis fulmina non tetigerint, ſed praeſtantiſſimum, quod eruditione veſtra ornatis, ſapientiae domicilium, inter funeſta aliarum vrbium excidia, induſtria et doctorum claritate ſe extulerit. Nemo vero magnitudinem beneficii huius magis intelligit, quam qui triſtia in vicinia naufragia conſpexit, et inter ſaeuientes aduerſae tempeſtatis procellas in naui litteraria ſecure vixit et ſine vlla animi perturbatione, ſuauiſſimas ſapientiae delicias ore ac ſcriptis aliis commendauit. Tanto ergo magis, vobis, propria experientia edocti, felicitatem veſtram gratulamur et ciues etiam noſtros ad perſoluendas diuino numini, pro conceſſo vobis munere, deuotiſſimas gratiarum actiones, adfixo tabulae publicae programmate, prouocabimus. Faxit et ſupremus academiarum conditor et defenſor, deus, vt litteraria ſedes veſtra ſemper floreat et in fructuoſiſſimo hoc ſeminario politiſſimorum ingeniorum copia felici ſucceſſu creſcat. Largiatur diuinum numen, vt omnis, qui aetatem ſuam in muſarum veſtrarum officina, vel litteris excolendis vel ſapientiae praeceptis tradendis occupant, feliciter viuant et in patriam omnemque orbem ex ſinu veſtro properantes, collectas, ſub prudenti docentium ſuorum moderamine, opes, in publicos vſus conuertant, neque vnquam matris ſuae, academiae ienenſis, ex cuius vberibus dulciſſimum ſapientiae lac traxerunt, memoriam deponant. Valete viri, omnibus ingenii dotibus inſtructiſſimi, et academiam noſtram, vt nos veſtram amamus, amare pergite. Regiom. Boruſſ. die III. Ianuarii, A. N. C. CIƆIƆCCLVIII.

## RINTELIENSIS.

VT litteris, ad vos a. d. XVIIII cal. ianuarii publice datis, promiſimus, ſi deus vitam viresque largiatur, fore, vt ſacra vobiscum, ſtato tempore, ſecularia celebremus: id negotii

tii datum est oratori nostro: qui consentientibus et adplaudentibus cunctis, pro illustris academiae ad Salam vestrae communi salute ac flore maximo perenni, publico nomine, vota quam sollemnissime suscepit atque soluit. Confestim huius adclamationis votiuae typis impressae ad vos exempla iam aliquot veniunt: quae, quum splendoris iustique ornatus prorsus nihil praeseferant, de amore saltem sincero communi omnium studio, ac pietate, inter mille vestratium gaudia, testari queant. Nec enim alio nomine cuiquam placere cupimus: atque sumus iam satis superque de oratorum, apud vos triumphalibus ludis, et copia, et eloquentia commendatissimorum, cura singulari eorumdemque persona dignis, id est praestantissimis, operibus persuasi. Supplices nos deo factos, sufficit, ienenses et nunc, et posthac diu quam felicissimos esse iubeat: idemque precari numquam desinemus, vt vobis simul omnibus, atque per vos vniuersae etiam iuuentuti studiosae, prospera quaeque, et seculo nouo dignissima contingant. Laetos ac fortunatos, ad extremam vsque senectutem, per omnem vitam vos esse, non nunc minus atque semper, et priuatim et publice optamus. Valete. Rintelii, a. d. III. non. februar. CIↃIↃCCLVIII.



# ROSTOCHIENSIS.

GRATISSIMVM nobis accentissimumque fuit istud fauoris vestri amicitiaeque signum, quo in publicae celebritatis vestrae secularis partem nos venire non solum, verum et ex ordine nostro praesentem iisdem aliquem interesse, beneuole voluistis; id quod litterae vestrae, eaeque humanissimis conceptae verbis, prolixius nobis exposuerunt. Etsi vero vel inuitos nos illubentesque communis Germaniae perturbatio et seculi nostri calamitas a praesenti sollemnitatis vestrae gaudiique consortio arceat, vt loci distantiam nunc praetereamus; attamen vota nostra vobis, viri celeberrimi, et de scientiarum incremento optime merentes, lubentissimi offerimus atque singularem illam diui-

diuinam prouidentiam, quae tertium iam feculum aufpicari, vtinam feliciffime, vos finit, veneramur, infignem hanc fortunam obferuanti animo vobis gratulati, vtque perpetuitas ifti atque conftantia obtingat, precibus deum exorantes deuotiffimis. Atque pia ifthaec vota, non, quod moris ita eft, fed intimo in litterarum commodum veftraeque, quae magno iftis praefidio eft, celeberrimae academiae falutem ducti adfectu, perfoluimus, vtque rata fint deo acceptaque fperamus confidimusque. Vocauimus praeterea, quod officii noftri ratio exigebat, in hanc congratulationis precumque focietatem cunctos litteratae noftrae reipublicae ciues, dum quod amice transmififtis publicum programma veftrum valuis collegii noftri adfigi, ficque omnium excitare pietatem votaque pro veftra falute curauimus. Quo ipfo fi beneuolam veftram in nos voluntatem deriuauerimus, id quod ingenua veftra nobis pollicetur humanitas, et propterea gaudebimus, perennemque falutem, inclutae Salanae veftrae diuino numini ardentius nunquam non commendabimus. Valete, viri, magnifice et celeberrimi, et fauere pergite, quidquid ad augendam beneuolentiam veftram conducere poteft fummo femper ftudio fufcepturis. Roftochii, XVI. cal. februarii A. R. S. CIↃIↃCCLVIII.

※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※ ※

# TVBINGENSIS.

SVMMA cum voluptate, humaniffimas, quas die XXVIIII nouembris menfis, anni elapfi, fcriptas ad nos dediftis, accepimus litteras, exoptatiffimae, quae altera iam vice paranda vobis erat, follemnitatis fecularis nuncias, veftrique in nos, quos ad gaudiorum communionem vocare voluiftis, et fauoris et amoris teftes luculentiffimos. Quemadmodum femper is nobis fuit animus, vt pro arctiffima, quae inter academias intercedit neceffitudine, reliquarum quoque fortuna, fiue profpera fiue aduerfa, perinde ac noftra commoueremur: ita non potuimus non eo maiorem ex fingulari, quae vobis iterum iam obtin-

obtingit, felicitate, capere laetitiam, quo insigniora vestrae academiae in rem christianam et litterariam omnem sunt merita. Quapropter summa cum alacritate in gaudiorum vestrorum consortium ruimus, neque solum ludos, quos celebratis, seculares et triumphales, ex animo vobis gratulamur, sed et votis, quae pro perenni vestrae academiae flore et incremento rite nuncupastis, pia mente nostra iungimus vota. Faxit supremum in caelis numen, cuius singulari praesidio res publica vestra litteraria per integra duo secula inconcussa stetit et fortunata, vt ad vltimum rerum humanarum terminum vsque vigeat perennetque; vos vero, qui academiam vestram et litterarum studia iam ornatis, viri celeberrimi, prosperrima fatorum serie vtamini quam diutissime. Quod petiistis a nobis, vt litteras vestras publicas, quibus vniuerso orbi litterario secularem vestram sollemnitatem significastis, ipso, quo instituenda esset die, adfigi iuberemus publice, fieri curauimus lubentes, et pro officii ratione, eoque neque sic satis defunctos nos esse rati, ad vestram istam sollemnitatem, in nostra quoque academia reddendam splendidiorem, decreto sanximus, vt, quum festus is esset dies, sequenti die publica instituta panegyri, orator haud infacundus iubilarem vestram laetitiam celebraret, vobisque publico nomine bene precaretur, isque actus sollemni ritu, programmate publico typis exscripto, cuius exemplaria heic adiunximus, indiceretur. Quominus autem amicissimis vestris precibus, vt per legatos vestris ludis interesse velimus, adnuere nobis licuerit, obstiterunt multa, nec est etiam, cur tam longe a vobis dissiti, et hac maxime tempestate, pluribus nos purgemus. Atque sic vos, viri celeberrimi, etiam atque etiam valere iubemus. Tubingae, d. VI. febr. CIϽIϽCCLVIIII.

# VITEBERGENSIS.

Perofficiose ac peramanter, quae vestra est humanitas, fecistis, quod ad secularem nos ludorum, quos indicitis, sollemnitatem inuitare, et in tantae laetitiae societatem, ista rogandi elegantia et beneuolentiae significatione, vocare voluistis.

Ea vero neceſſitudo, quam inter religionis et ſapientiae cultores officii ratio conſtituit, quum apud vos, vti vel hinc adparet, tantum valeat; non poſſumus non laetari hoc, quem tribuitis, honore, et tam propenſae voluntati, quam accipimus, mutuam paremque reddere, ac fortunae publicae litterarum vota nuncupare; idque non ob eas magis cauſſas, quas cum aliis communes habemus, quam ob proprias pluresque illas, quibus vobis deuincimur. In his vt primum ſane religioni locum deberi, palam eſt; ita huius munera et incrementa ſtabilia, quae ab immortali deo piis precibus impetrentur, et pro ſacrorum communione et pro ſtudiorum coniunctione, religioſae coloniae, in quam maiores veſtri hinc fere a purioris doctrinae amantibus principibus deducti ſunt, precamur. Quod igitur ludos triumphales ad condendum rite alterum ſeculum adparatis; quod bonum, fauſtum, felix fortunatumque ſit, optamus, vt ſemper victricia geratis illa caeleſtia diuinorum oraculorum arma, quae ſola D. LVTHERVS verae religioni ad iuſtam piamque ſui defenſionem concedenda cenſuit, vt in binis eius litteris, ad IOANNEM FRIDERICVM, principem ſereniſſimum, auctoremque diuinae et humanae ſapientiae inſtituendi huius, quod incolitis, domicilii ampliſſimi, datis, apud Hortlederum legimus. Ita porro proſpera eorum contingat ſucceſſio, quorum ſanctis laboribus rei chriſtianae inter vos incolumitas et ſalus ſteterunt, et diuina prouidentia illa ſua pignora, quae cuſtoditis, in dies augeat, perpetuoque conſeruet! Addat largitor atque munerator deus reliqua egregiarum artium decora vniuerſa et ſecuritatis firmiſſima praeſidia, quorum ope veritas victrix ſuam arcem tropaeis atque monumentis exornet ſempiternis, e quibus ſeri poſteri titulos virtutum meritorumque veſtrorum cognoſcant! Et vt praecipua quaeuis iura immunitatum honorumque, FERDINANDO, ſummo imperatori et immortalem aequitatis ac moderationis gloriam adepto, debetis, ſanctiſſime inde ſemper ab auguſtiſſimis ſucceſſoribus, quorum maieſtate nil melius venerabiliusque in terris ſol adſpexerat, conſeruata: ita horum diuturnitatem ac perennitatem deo adſiduis precibus commendabimus. Idemque FERDINANDVS, quod diſturbari a ſecius animatis capta pacis religioni dandae in comitiis conſilia paſſus

non


non erat, ſed ipſe medius, atque internuntius propemodum, labantes iam animos continuerat; quantum, primus amplificator veſtra et libertatis et commodorum, ſi modo bene memores recte rem putaueritis, omen firmauerit, atque noſtris votis praeluxerit! Caeterum, quod noſtrum quemdam nomine publico ad vos legari cupiſtis, in eam, quam par eſt, partem accipimus, vt nouo tam inſignis veſtrae voluntatis argumento honorisque, quo adficimur, indicio ſit. Lubentes tam blandae inuitationi pareremus, et ad ſocianda gaudia atque vota plures parati forent; niſi tam horridis reipublicae tempeſtatibus iactatorum cuiquam, vel temporariae excurſionis cauſſa, academiam, tot detrimentis ob infanda mortis ſpectacula adfectam, deſerere, nunc vix integrum eſſet, et in hac ſtatione officii multae atque grauiſſimae cauſſae quemque retinerent, donec a deo vnice liberatis reſpirandi libertas pro eo, ac vel LVTHERI ex praeceptis confidimus, dabitur. Itaque hanc vnam excuſationem vt pro aequitate illa et humanitate animorum adeo durae neceſſitati relinquatis, enixe rogamus. Quod tamen alias fieri meminimus, vt cuidam veſtro e ſenatu, ſi ita videbitur, facta hoc ad ipſum poteſtate, noſtram perſonam imponatis, et elegantiae et humanitatis veſtrae ſpe oramus. Programma vero et loco publico propoſuimus, et id ciuibus noſtris commendauimus, vt qui veſtras nobis conſeruari voluntates, et iſtam coniunctionem durare quam diutiſſime cupiamus. Vitebergae d. VIII Ianuar. CIƆIƆCCLVIII.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻


# GYMNASII LVBECENSIS.

VINCVLVM, quod dudum fuit, hodieque eſt, muſas ienenſes inter ac lubecenſes, facile nos excitauit ad candorem noſtrum vobis documento publico declarandum. Gauiſi eſtis raro contingente felicitate, qua poſt exacta duo ſecula iubilaeum academicum ex voto potuiſtis celebrare; quae fortuna veſtra nobis quoque laetandi dedit occaſionem. Teſtus ſit commen-

tatio hoc consilio in lucem edita, posteritatem etiam edoctura, quod non sine voluptate perceperimus sollemnitates vestras iubilaeas feliciter ad finem perductas. Gratulamur vobis easdem, sincerissimisque mentibus gratulamur, et, vt posteris quoque, stante porro et florente academia, eueniant, in votis habemus. Date vero veniam audaciae, qua vobis offerimus, quae vestra sunt, siquidem e thesauro memorabilium, quae Salanae academiae laudem et gloriam conciliant, depromta exhibemus. Sunt nimirum ienensia, quae ad vestram pertinent academiam, cuius quum vos sitis lumina, immortaliterque de eadem promeriti, iure vobis illa potestis vindicare. Non dubitamus igitur, quin vestra, i. e. serena fronte ea sitis accepturi, nostraque in voluntate nihil desideraturi. Supremus rerum arbiter, deus o. m. vos, fautores summopere colendi, ea instruat, ornet, beet prosperitate, quae cum ipso demum vitae, ad serissimos annos perdurantis, fine terminetur, academiamque vestram conseruet florentissimam. Lubecae, d. VIII febr. CIↃIↃCCLVIII.



PRO-



II

# PROGRAMMATA ACADEMIARVM

IN HONOREM

SACRORVM SECVLARIVM IENENSIVM

PVBLICE PROPOSITA

## PROGRAMMA ALTORFINVM

NVLLAM rempublicam ſine litterarum et ſcientiarum praeſidio fortunatam eſſe poſſe, ipſamque hominum vitam ſine cognitionis luce in craſſis tenebris verſari, atque magna ſinceriſſimi gaudii parte deſtitui, nemo, niſi, culpa ſua, a litterarum conſortione alienus, infitietur. Licet enim haud defuerint, qui qualicumque ſua cognitione abuſi ſint, et ingrati aduerſus litteras, eas plus incommodi quam commodi rebus publicis adferre cum non nulla loquendi copia adſeuerarint, et in primis animi virilis et fortitudinis neruos elidere, cenſuerint, haud tamen impune perduellionis rei in muſarum iudicio fuerunt, ſed merito ſuo ex Parnaſſo praecipitati, improbabilium ſententiarum ſuarum quisquiliis operti iacent. Quis enim eſt, aut fuit, aut erit, cuius animus ad perſpicientiam et inuentionem veri, eiusque haud retruſi et abditi, aptus eſt, qui non videat, ſingularia maximaque eſſe bona, quae doctrina rei communi, omni tempore, ſiue alma pace, ſiue horrido bello, largitur? An obfuit Moſi, Salomoni, Danieli, viris diuinitus inſpiratis, aut ſi nos alio vertimus, Auguſto, Antonino philoſopho, aliisque, doctrina, in

rebus publicis prudentiſſime adminiſtrandis? An imbellis Dauides, quod eruditus fuit? An timidi fuere Alexander M. Iulius Caeſar, Auguſtus, Carolus M. et aetate his ſuperior, Xenophon, quod eorum doctrinam atque eruditionem adhuc ſuſpicimus? Quocirca mirum non eſt, ſummum numen, litteras, tamquam rem humano generi valde neceſſariam, vtilem et delectabilem, clementer conſeruare, atque etiam duris temporibus tueri. Hinc quoque ſapientiae et ſcientiae ſacraria ſub dei tutela eriguntur, ſtant, et permanent. Noſtis, ciues academici, ad quod celebritatis faſtigium libera fama academiam ienenſem euexerit, et quam ſedulo ibi bonae omnis generis ſcientiae diſcantur et colantur. Noſtis quoque academiam hanc his temporibus terrorum bellicorum, quos ira diuina Germaniae immiſit, haud plane immunem fuiſſe. Sed dei praepotentis bonitas atque prouidentia eam inter ipſum Bellonae terribilem ſonum atque flagella clementer ſeruauit, eique iam ſancta hilaria ſuppeditat. Duo praeſtantiſſima haec ſtudiorum vniuerſitas iam exegit ſecula, et in limine tertii ſtat. Quod inſigne beneficium diuinum, vti ex adfixo hic programmate ienenſi intelligitis, die ſecundo februarii, pie ſancteque celebrare inſtituet. Nos pro conſociationis et amoris foedere, quod academiae ienenſi cum altorfina intercedit, deum immortalem multis precibus quaeſumus, vt pro ingenti ſua bonitate ſub praeſidio sereniſſimorum Saxoniae ducum, ſtirpis Erneſtinae, ei non ſolum dies feſtos intemerati gaudii pleniſſimos concedere, ſed etiam eam in pulcherrimo flore ſuo, perpetuo, ac futuris ſeculis aequaliter, conſeruare velit! Vos itaque, ciues optimi, quae virtus veſtra eſt, in partem votorum et precum noſtrarum venite, et ob commune litterarum vinculum, pro gaudio feſto, et conſtante ſalute inclutae academiae ienenſis, deum ſummum precamini, eumque ſtudioſiſſime rogate, vt is breui perdentia bella cum laeta pace benigne commutet! Altorfi, d. VIII. Ianuar. A. O. R. CIƆIƆCCLVIII.

PRO-

# PROGRAMMA DVISBVRGENSE.

INTOLERABILIS prauorum hominum et publicae salutis negligentium consuetudo est illa, si luctuosis belli temporibus omnium rerum confusioni, morumque et institutorum corruptelis colorem aliquem, vt opinantur, daturi vulgare illud et tritum vetustate prouerbium, quo *leges inter arma silere* dicitur, petulanter et sine ratione vsurpant. Veteres enim sanctissimi illi homines, morum vitaeque disciplinam prouerbiis complecti et propagare consueti, eo sane dicto non quid fieri debeat, aut quid ius fasque requirant, indicare voluerunt, sed quid violentorum hominum et omnis aequitatis expertium temeritate fieri soleat; dum arrepta in communibus calamitatibus occasione se contra leges ac priuilegia, contra saluberrima omnium gentium ac nationum statuta in patriae totius perniciem impune grassari posse sibi persuadent, arietatis scilicet omnis ordinis antiqui ac disciplinae repagulis. Eadem fere artium quarumuis et musarum, quae legum, tali tempore conditio est. Nam et harum modulatissimis cantibus ac citharis horrenda tubarum et lituorum raucedine non raro silentium imponi, omnisque simul doctrinae ac sapientiae exercitiis iustitium indici videmus, quando iuxta vetus illud Ennianum *spernitur orator bonus, horridu' miles amatur.* Neque id tamen ita necessarium est, aut perpetuum, praesertim si nobis cum hominibus magnanimis et praecordia de meliore luto ficta gestantibus res sit, vt non multa exempla contrarium testantia et reperta olim fuerint et etiamnum reperiantur. Inter ea non immerito praedicandam, votisque nostris et bonis ominibus prosequendam habemus illam illustris Salanae academiae, quae Ienae in Saxonia per ducentos iam annos egregie floruit, felicitatem; qua in mediis bellorum fluctibus totam fere Germaniam inundantibus potita originis suae memoriam recolere decreuit, alteris iam secularibus sacris sollemniter annunciatis, quae non sine insigni serenissimorum Saxoniae ducum, Ernestinae stirpis, indulgentissimorum illius academiae conseruatorum munificentia die 11 proximi mensis februarii celebrabuntur. Huius laetitiae cum nos etiam grauissimi celebris istius prytanaei patres voluerint esse participes, ecce

ecce vobis, ornatiſſimi academiae noſtrae ciues, humaniſſimas tantorum virorum litteras vna cum programmate miſſas, et quid a nobis vobisque exigant, indicantes. Sic autem ſe habent:

* * *

Animaduertitis facile nobiscum, ciues ornatiſſimi, quid noſtrarum ſit partium, quid pietatis et officii, tantorum virorum dignitati ac meritis per totam non modo Germaniam, ſed potiſſimam etiam Europae cultioris partem ſe diffundentibus debiti, ratio poſtulet, imo quid academiae ipſi, tam diuturno tempore iam florenti, et a primis praecipuisque inſtauratae purioris doctrinae in Saxonia promotoribus, eorumque filiis ac nepotibus ſereniſſimis conditae iure praeſtari debeat. Agite itaque, abdicatis omnibus inanis et vanae laetitiae ludibriis, ſerio tantae ienenſium, optimorum cuiusuis eruditionis ac ſapientiae antiſtitum, felicitati ex animo gratulemur; pro eorum vlteriore felicitate et ſucceſſibus vota precesque concipiamus. Sic aequitas, ſic commune ac mutuum humanae ſocietatis vinculum, ſic creperis his ac periculoſis temporibus conſeruandae purioris doctrinae pondus ac momentum, ſic ipſa denique artium et muſarum ſe mutuo complexantium comitas et dulcedo requirunt. Valete. Duisburgi, d. XVI. Ian. CIↃIↃCCLVIII.

# PROGRAMMA ERFORDIENSE.

INTER tot lugubres armorum, per vrbes agrosque graſſantium, ſtrepitus, et Martis vndiquaque ſaeuientis vehementiam, ea contingit felicitas noſtris temporibus, vt Gerana noſtra, quae hucvsque moerore ac luctu paene ſuppreſſa, triſte muſarum periculum lacrimauerat, nouo celeriter erigatur ſolatio. Iam caput laetius attollit, et frontem explicare ſerenam, vultumque induere gaudia teſtantem, laeta properat. Scilicet ad ſecularia, feſto ſollemnique ritu proſequenda, ſororis ſuae, illuſtris academiae ienenſis, tot virorum doctiſſimorum nutricis, nuper litteris fauore pleniſſimis, fuit inuitata. Hinc gratulabunda exſurgit,

et,

et, omnem deponens formidinem futurae ſcientiarum calamitatis, laetitiae potius ita indulgendum cenſet, vt non, niſi ad plauſum et gratulationem, omnes adhortari videatur. Etenim proximorum quorumque ſalutem et ſecundam fortunam, ad nos magnopere pertinere, noſtrisque prodeſſe vſibus, iure meritoque putandum eſt. Praeterea vero ea eſſe ſolet muſarum indoles, eaque conſuetudo, vt aliorum felicitatem, aeque ac ſuam, aeſtiment, bonamque cauſſam communem eſſe cenſeant. Quid? quod ſcientiarum artiumque honos, ſplendor et incrementa, laeta grataque eſſe debent omnibus, qui norunt, quantum interſit ad communem omnium felicitatem vtilitatemque promouendam, vt illae ab hominibus aeſtimentur, colantur, promoueantur. Largam illae ſegetem ſpargunt, ex qua omnis omnium proſperitas ſuccreſcit, et, velut opima meſſe, colligi poteſt. Vah! quam caeca nocte premuntur, quanta barbarie, et quam atroci morum aſperitate laborant illae gentes, in quibus ſcientiae, humani generis decus atque ſolatium, nec reperiuntur, nec honorantur! Quanta vero felicitas, quanta dignitatis lux, quantus magnificentiae ſplendor ſtatim elucet a populis illis feliciſſimis, qui artibus excultum pectus habere, vt cum poeta loquar, allaborauerunt. Teſtis Germania tot barbarorum antea, quam nunc doctorum virorum fecundiſſima genitrix. Teſtes praeterea omnes populi, qui a primis inde temporibus, quoad longiſſime poteſt mens noſtra reſpicere, et memoriam repetere vltimam, degerunt aetatem.

Quemadmodum vero honos artes alit, earumque promouet ſucceſſus: ſic eaedem repente conſidunt, et e priſtino dignitatis faſtigio prolabi conſpiciuntur, niſi iuſtum illis pretium ſtatuitur. Hinc eſt, quod comprobemus publice ac veneremur laudabile inſtitutum, tot maximi nominis virorum, quibus academia ienenſis merito ſuperbit; vtpote qui, breui tempore, ſecularia academiae ſplendidiſſimae, feſto ſollemnique ritu celebrare, conſtituerunt. Certe laudanda haec celebritas, digna eſt, de qua et noſtra laetetur academia, et quam omnis olim poſteritas, pia recolat veneratione. Quum enim ſcientiis bonisque artibus, quarum officinae ſunt academiae, dignus ſtatuitur honos: tum omnibus ſtimulus additur et incitamentum, eas colen-

di diligentius, siue, quod idem est, promouendi communem omnium felicitatem, quae artibus comes est et quasi pedissequa. Forte haec insolita festi secularis sollemnitas eam ob caussam, a prouida dei cura, nostris temporibus fuit destinata, vt, in tam ancipiti scientiarum fortuna, non omnes solum musae quoddam haberent solatium; sed vt memoria simul tot virorum immortalitate dignissimorum, quibus Iena laetatur, per omnem seculorum venientium perennitatem, celebrius innotescat, ac praecipuo condecoretur honore. Merito igitur illis hanc dignitatis felicitatem congratulamur, omnibus proceribus, ciuibusque academicis palam facientes, 11 februar. Ienae diem secularem festo ritu celebratum iri. Apud Romanos veteres, teste Liuio, ea inualuit consuetudo, vt, instante ludorum secularium sollemnitate, per omnem Italiam mitterenter praecones, qui omnes ad ludos inuitarent, quos nemo adhuc spectasset, nec vmquam spectaturus esset. Nos spe freti sumus certissima, fore, vt ad tantam diei sollemnitatem complures accelerent, dumque communes laetitiae plausus augent, inuidendae huius felicitatis testes sint gratissimi. Datum Erfordiae, sub sigillo rectorat. ipsis nonis ianuariis CIↃIↃCCLVIII.

# PROGRAMMA ERLANGENSE.

Qvvm non solum ea, quae semel, sed et ea, quae rarius fiunt, splendide fieri par sit, bene ac sapienter amplissimus senatus illustris academiae ienensis constituit, adpropinquantem ducentesimum academiae suae natalem, omni caerimoniarum, quae sanctioris omnisque humanioris doctrinae antistites deceant, genere celebrare. Magnum vtique est non solum societatis litterariae decus, sed et magnum dei beneficium, post superata duorum seculorum discrimina, stare adhuc saluam atque inconcussam. Quam felicitatem iis, qui inclutam academiam ienensem nunc ornant, doctoribus eo libentius et impensius gratulamur, quo plures in nostro ordine sunt, qui haustae olim ex salanis fontibus vberrimae doctrinae memores non solum humanitatis, sed

et

et quasdam pietatis partes ſibi hac tempeſtate incumbere non ignorant. Sed nos omnes, niſi ipſa fama illius emporii litterarii ſatis moneret, tamen ad communem laetitiam participandam excitarent humaniſſimae ampliſſimi ſenatus litterae quas, vna cum programmate iubilaeo veſtris, ciues, exponimus oculis. His enim, vt cernitis, hoc maxime et amiciſſime a nobis flagitant, vt iſtius diei natalitii laetitiam et votis noſtris, et conuocandis, immo mittendis ſpectatoribus adiuuemus. Non deerimus, quantum res ipſa et rerum ſtatus patietur, amicae petitioni: interea id, quod maxime in promtu eſt, promtiſſime praeſtituri, ſollemnia ſecularia in academia ienenſi ad diem II februarium anni proxime inſtantis celebranda hacce tabula vobis denunciamus; vt ſi qui erudita illa atque pia ſpectacula coram oculis vſurpare e re ſua eſſe duxerint, mature quid ſibi faciendum ſit, decernere apud animum poſſint. Faxit deus, vt ex omnibus euangelii luce radiantibus academiis ad ſera vsque ſecula quotannis prodeant frequentiſſima doctiſſimorum virorum examina. P. P. Erlangae, d. XVI. decembr. CIƆIƆCCLVII.

# PROGRAMMA GRYPHICVM.

QVOD

SVPREMVS

ACADEMIARVM STATOR AC CONSERVATOR

RECTORE ACADEMIAE GRYPHICAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

ADOLPHO FRIDERICO IV

DVCE MEGALOPOLIS REGNANTE

PRINCIPE VANDALIAE, SVERINI ET RACEBVRGI, COMITE SVERINENSI

TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DOMINO ETC.

SVECICI SERAPHINORVM ET POLONICI ALBAE AQVILAE ORDINVM EQVITE AVRATO

REIPVBLICAE SACRAE PARITER AC CIVILI ET LITTERARIAE

PROFICVVM ESSE IVBEAT

# IENENSI ACADEMIAE

DIVINIS SVB AVSPICIIS
PVRIORIS RELIGIONIS AC DOCTRINAE ERGO
BINA ANTE SECVLA CONDITAE
ET
QVAE PRAEPOTENTIS NVMINIS EST BENIGNITAS
MIRVM IN MODVM
INTER TOT DISCRIMINA RERVM ET BELLONAE TVMVLTVS
ADHVC CONSERVATAE
QVVM
QVAE SINGVLARIS EIVS EST FELICITAS
SACRA BIS SECVLARIA
ALTERO FEBRVARII DIE
QVA PAR EST SOLLEMNITATE INSTRVERET
PERANTIQVA
POMERANORVM GRYPHICA
LITTERATA RESPVBLICA
TRISECVLARIVM SACRORVM SVORVM FESTIVITATIS
ANNO REPARATAE SALVTIS CIↃIↃCCLVI
ALTA PACE CELEBRATAE
NON SINE VOLVPTATIS
GRATIQVE ERGA DEVM ANIMI SENSV
LAETA MENTE RECORDANS
SIMVLQVE
INCLITAE SALANAE MVSARVM SEDI
QVAE
PRO AMICISSIMA INTER ACADEMIAS CONSVETVDINE
IDEM
QVOD IAM POSTVLAT HVMANITATIS OFFICIVM
SECVLARIBVS ACADEMIAE GRYPHICAE SACRIS
TERTIVM RECVRRENTIBVS
PRAESTITIT
BENE CVPIENS
ID SIBI OMNINO DATVM ESSE CREDIDIT

VT
OB ARCTISSIMVM
QVOD SAPIENTIAE ET VIRTVTIS CVLTVS IVNXIT
IDQVE INDISSOLVBILE
AMORIS
INTER ACADEMIAS EARVMQVE DOCTORES
VINCVLVM
CONGRATVLANTIVM PLAVSVS AVGEAT
ET
MORE INTER ACADEMIAS RECEPTO
IN MVTVI GAVDII DVLCISSIMAM VENIAT SOLLEMNITATEM
QVAM OB CAVSSAM
LITTERAS NON SOLVM PVBLICAS
TANTAE SOLLEMNITATIS NVNTIAS
LOCO PVBLICO CONSVETO ADFIGI IVSSIT
SED ETIAM VT EO MAGIS
IN MVTVAE LAETITIAE SOCIETATEM IRE LICEAT
FAVSTISQVE QVAE IBI EDVNTVR ACCLAMATIONIBVS SE IVNGAT
TERTIO FEBRVARII DIE
IN ACROATERIO MAIORI
HORA DECIMA
ORATIONEM
FESTO HVIC DIEI CONVENIENTEM
DE
NONNVLLIS CIRCA IENENSEM ACADEMIAM
PRAECIPVE MEMORATV DIGNIS
FILIVS MEVS
TIMOTHEVS CHRISTIANVS GVILIELMVS OVERKAMP
PHILOS. SCIENTIAEQVE SALVTARIS STVDIOSVS
HABEBIT
AD QVAM BENEVOLE AVSCVLTANDAM
VTQVE SIMVL
PERTVRBATIS HISCE TEMPORIBVS
VOTA CALIDISSIMA PRECESQVE
QVAS NECESSE EST
INTENSISSIMAS
PRO REGIBVS AC PRINCIPIBVS
ACADEMIIS ET SCHOLIS

 EARVM-

EARVMQVE FLORE ET INCOLVMITATE
CONCIPIANT FVNDANTQVE
SAGO EXCELLENTISSIMOS
TOGAQVE CLARISSIMOS VIROS
QVOS GRYPHISWALDIA AMBITV SVO COMPLECTITVR
SPECIATIM VERO
MAGNIFICVM ACADEMIAE DN. PRO-RECTOREM
REGII DICASTERII GENEROS. DN. DIRECTOREM
CVM RELIQVIS VTRIVSQVE COLLEGII PROCERIBVS
CAETERAQVE HVIVS VRBIS COLLEGIA
CIVILIS AC ECCLESIASTICI ORDINIS
ILLVSTREM DENIQVE AC GENEROSAM NOBILISSIMAMQVE
CIVIVM ACADEMICORVM CONCIONEM
VT GRATIOSA ILLVSTRI AC HONORIFICA
PRAESENTIA SVA
ACTVM HVNC SPECTATIOREM AC SPLENDIDIOREM
REDDANT
REGI QVOQVE PATRIAE ET CVNCTIS VNIVERSITATIBVS
FAVSTA QVAEQVE PRECENTVR
QVA PAR EST SVBMISSIONE OBSERVANTIA AC HVMANITATE
GEORGIVS GVILIELMVS OVERKAMP
LL. OO. PROF. REGIVS ORDINARIVS
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE SENIOR ET HOC ANNO DECANVS
INVITAT ROGATQVE.

---

P. P.
GRYPHISWALDIAE
IPSO PVRIFICATIONIS MARIAE FESTO
DIE II. FEBRVAR. A. AE. CHRISTIANAE CIϽIϽCCLVIII.
SVB SIGILLO ACADEMIAE.

❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊ ❊

# PROGRAMMA KILONIENSE.

Qvod procul dubio haud obſcuro ſermone ad vos, cariſſimi ciues, delatum eſt, id non poſſumus quin publice nunc declaremus. Non poſſumus, quin vos faciamus certiores, laudatiſſimam diſciplinarum ſacrarum et ciuilium officinam, ACADE-

MIAM

MIAM IENENSEM, quae per bina nunc floruit fecula, natalem fuum proximi menfis februarii die altero, adnuente fummo numine, follemni ritu concelebraturam. Quid ad dignationem fuam conuenientius, quid ad celebritatem nominis fui gloriofius poterit fufcipere? Confilii huius inftitutique rationem fummopere probandam, et honorifice praedicandam, celebratiffimi ciuitatis illius litteratae doctores proxime nobifcum communicarunt. Vna nos participes fecerunt programmatis fui nuper diuulgati: quod ex eorum voluntate ante oculos veftros, aeftumatiffimi ciues, nunc exponimus, et ad communionem gaudii, et ad vota pro incolumitate et falute academiae ienenfis nuncupanda vos prouocamus. Vouete nobifcum, vt nulla calamitate publica adfligatur, et fortis acerbioris minas, et aduerfitatum turbines, et temporum iniquitatem haud fentiat; fed rerum omnium maxime expetendarum adfluentia cumulata altius indies efferat caput. Vouete nobifcum, vt dies academiae ienenfis natalitius confequentibus feculis candidior femper et ferenior, et fine vlla nubecula feliciffime illucefcat. Kilonii, d. XXVIIII. Ianuar. anni CIϽIϽCCLVIII.

# PROGRAMMA TVBINGENSE.

INTER fufpiria et gemitus, quibus omnes dulciffimae Germaniae noftrae prouinciae, vel grauiffimas belli calamitates paffae, vel eas extimefcentes et adflictarum triftiffimam fortem miferantes, perfonant, minus quidem, vt videri poffet, opportune, at iufte tamen, neque reluctante animo, ad laetitiam et gaudia vos excitamus. Secularem enim follemnitatem laetabunda inftituit amiciffima nobis et de litterarum ftudiis non minus quam de puriorum facrorum cuftodia et propagatione infigniter merita mufarum fedes, academia Salana, et pro arctiffimo, quod inter omnia bonarum artium emporia intercedit, vinculo, ad plaufuum fuorum et tripudiorum confortium nos vocat longe iucundiffimum. Neque vero haec prima eft, quae ipfi contingit, felicitas, vt integram centum annorum periodum emenfa inconcuffam,

ſam ſe et florentem videat, ſed altera iam vice ſeculares ludos inſtruit, et tertium ingreſſura ſeculum pia concipit vota. Nemo ex antiquorum auctorum lectione adeo hoſpitem retulit animum, quin ſciat, quanta cum pompa et quanto cum apparatu feſtum egerint et celebrarint ſecularem annum veteres romani, quippe quibus ſollemne fuit, omnis generis expiationibus, ſacrificiis, peruigiliis, ſumtuoſiſſimos quoque ludos adiungere. Nolumus in hunc campum excurrere, quem haud pauci doctiſſimorum virorum iam peragrarunt, qui data opera hanc ſpartam ornandam ſuſceperunt, inter quos ONVPHRIO PANVINIO et PETRO TAFFINO primariam deberi laudem, nemo forte eſt, qui eat infitias. Quamuis autem eorum et induſtria et perſpicacia ſumma nihil fere non perveſtigatum, intactum nihil reliquerit: tamen negare haud poſſumus, nos in ea verſari opinione, vt in hoc argumento et maxime in eo, quod ad carmen ſeculare veteribus vſitatum pertinet, ſpicilegio alicui locum adhuc eſſe cenſeamus. Perſuaſum autem habemus, nihil nos ab inſtituti noſtri ratione alieni facturos eſſe, ſi de carmine veterum romanorum ſeculari nonnulla praefati fuerimus.

Arbitrariae religionis partem habitum haud fuiſſe carmen ſeculare, vel ex eo iam intelligitur, quod notiſſima Sibyllae carmina, quibus vniuerſa haec ſollemnitas nitebatur, hunc quoque ritum iniungant, quae prout a ZOSIMO recitantur, hac de re ſequentem in modum pronunciant:

———, *ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι*
*Παιᾶνας, κόροις κόρησί τε νηὸν ἔχοιεν*
Ἀθανάτων-

Notum porro eſt, cantari illud debuiſſe a ter nouenis pueris totidemque puellis, iisque et patrimis et matrimis, quorumque parentes confarreationis ritu matrimonium iniiſſent, quod ipſum Sibyllini carminis verſus inſequentes, neque a nobis, ne nimis prolixi ſimus, exſcribendi, ſatis ſuperque docent. Confirmat id quoque, cuius vix meminimus, ZOSIMVS, qui carmen illud tertio demum die et in aede quidem Apollinis Palatina cantatum fuiſſe addit, quando lib. II hiſtoriae nouae ita loquitur: *die tertio in Apollinis aede Palatina ter nouem illuſtres pueri cum totidem virginibus, omnes vtrimque florentes, hoc eſt, qui ambos parentes ſuperſti-*

*perſtites habent, hymnos et paeanas graeca romanaque lingua canunt, quibus ſubiectae Romanis vrbes ſeruantur.* Conſtare vero ex his poteſt, ex Paeanum genere, adeoque celebrandis deorum laudibus, votisque pro imperii incolumitate nuncupandis, deſtinatum fuiſſe carmen ſeculare. Neque huic aduerſatur, quod ACRON, vetus HORATII interpres notauit, *ſecularis carminis duplicem deuotionem fuiſſe, alteram pro ſedanda aut vitanda peſtilentia, alteram pro certo et conſtituto numero annorum,* cum hoc nihil aliud dicat, quam carmen ſeculare adhibitum fuiſſe, cum ad omne malorum genus auerruncandum, tum ad reipublicae perennitatem ſtabiliendam atque confirmandam, quod ita ſe habere, elegantiſſimum et immortali, qua gaudet, laude digniſſimum HORATII carmen ſeculare AVGVSTI iuſſu confectum et Epodon libro adnexum luculentiſſime demonſtrat. Quis enim eſt, cui non in oculos incurrat huius carminis deuotio pro vitanda peſtilentia, quum poëta ſic canit:

*condito mitis placidusque telo*
*ſuppplices audi pueros Apollo.*

licet plerique interpretum horum verborum neruum vel aſſecuti non ſint, vel negligentiores notare omiſerint? Et quis negabit, alterum deuotionis genus per integrum carmen vbique eſſe conſpicuum? Non eſt igitur, cur quis exiſtimet, quod viſum fuit TAFFINO, ſeculare carmen cum iis, quae ludis Apollinaribus recitari ſolebant, confudiſſe ACRONEM. Sed alia ſeſe nobis offert quaeſtio, in qua reſoluenda pariter calculum noſtrum adiicere haud poſſumus celeb. PETRO TAFFINO, num praeter illud Horatianum carmen ſeculare, cuius vix mentionem fecimus, etiam reliqua duo huius poëtae carmina, quorum alterum Odar. Lib. I. od. XXI. alterum vero Lib. IIII. od. VI. occurrit, et carmen ſeculare, quod a CATVLLO conſcriptum legitur, veri nominis ſecularia carmina ſint habenda? Licet enim, quod ad CATVLLI carmen adtinet, a TAFFINO neutiquam diſſentiamus, et facile largiamur, hunc vatem ſecularibus ludis interfuiſſe nullis, odamque iſtam numquam fuiſſe recitatam et pro mero ingenii foetu habendam eſſe: licet porro defendendum iam haud ſuſcipiamus, quod in ANTONIO MANCINELLO forſan minus recte reprehendit, qui priorem illam odam non ſecularium ſed Apollinarium

ludorum occasione confectam fuisse contenderat: in eo tamen adstipulari viro doctissimo non possumus, quando tria illa Horatiana carmina eodem habet loco, et eiusdem indolis ac naturae fuisse pronunciat. Quo certius enim est, nobilissimum illud carmen, libro Epodon adiectum, eo fine Augusti iussu conscriptum, vt in ludis secularibus ab hoc imperatore editis veteri ritu caneretur, cantatumque fuisse: eo minus quoque dubitari potest, reliqua duo carmina, quorum illud a Paeanis genio prorsus, hoc sub finem maxime abludere, vtrumque vero magis rationem, qua Paean sit canendus, praescribere, quam cantionem sollemniter recitandam sistere videtur, diuersae omnino formae, neque ad eumdem vsum fuisse accommodata, licet has odas Paeanis illius secularis occasione scriptas fuisse non diffiteamur. Facile quidem adduci possemus, vt credamus, prius quoque istud carmen, lib. I. od. XXI. exstans, Paeanis loco publice recitandi habendum esse, si ponere liceret, duplicem illum puerorum puellarumque chorum alternis vicibus et ad antiphoniarum modum sibi respondisse, qua ratione hymnum istum ita cantatum fuisse nobis persuaderemus, vt pueris canere exorsis: *Dianam tenerae dicite virgines*, puellae regessissent: *Intonsum pueri dicite Cynthium, Latonamque supremo dilectam penitus Ioui*, pueris deinde sequens, puellis vero duo vltima tetrasticha sibi inuicem occinentibus. Et haec profecto ratio carminis huius, si cantatum fuisse statuatur, recitandi, licet a nemine, quod nouimus, sic exposita, adeoque nulla auctoritate munita, facile tamen magis se probabit, quam quae placuit TAFFINO, qui *in opere historico, chronico et critico de anno seculari veterum romanorum*, IOAN. GEORG. GRAEVII *thesauro antiquit. roman. tom.* VIII. *inserto pag. 565.* ita rem explicat: *Inprimis ode* XXI. *lib.* I. *quam probauimus esse carmen seculare, hoc diuersum ab altero carmine seculari habet, quod in ea chorus puerorum ac puellarum taceat, atque poëta quasi choragum agens, alloquatur chorum, adhortetur puellas, vt Dianam, pueros, vt Apollinem laudibus celebrent. Puto vero, dum Poëta illos alloquebatur, totum chorum gestibus et motibus ea, ad quae facienda inuitabantur, expressisse; subinde vultus precantium, subinde alios assumsisse. Imo suspicari posset quispiam, eos eius verba paucis mutatis secutos fuisse et repetiisse, vel certe laudes quasdam consuetas cantasse.* Quae an non ad-

mo-

modum ſint dura et contorta, aliis diiudicandum relinquimus. Quamquam vero is, quem indicauimus, hoc poema recitandi modus nihil continet, quod vero non ſit ſimile, et ſua forſitan etiam facilitate ſe commendat: non tamen deeſt, quod impediat, quo minus in eo acquieſcamus. Fuerunt quidem, qui in primario quoque carmine ſeculari choros alternantes admittendos eſſe cenſuerunt, et hi quidem primam ſecundamque ſtropham ſapphicam huius carminis ab vtroque choro ſimul cantatam fuiſſe contendunt, tertiam puerorum, quartam quintamque puellarum, ſextam vero et ſeptimam atque octauam vtrique iterum choro tribuunt, nonae prius diſtichon puerorum, poſterius vero puellarum choro aſſignant, ſequentibus ſex ſtrophis denuo communi vtriusque chori concentui adſcriptis quatuorque reliquis ita inter choros diſtributis, vt priores duae a pueris, ſequens autem a virginibus, et vltima denique ab vtrisque recitatae fuiſſe perhibeantur. Sed, vt verum fateamur, vnicum obſtat, quo minus ingenioſae huic explicationi ſuffragium noſtrum adiiciamus, adeoque nec de priore carmine latam ſententiam ratam habeamus. Neque illud lenioris momenti nobis eſſe videtur, cum ex ipſo carmine Sibyllino ſuperius iam excitato petitum ſit, vtpote in quo verſus iam allegatos ſequentia verba excipiunt:

——— Χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν,
καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς.

Quum enim haec verba clare definiant, puerorum puellarumque choros ſeorſum eſſe inſtituendos, quod omnino omnes antiphonias excludere videtur, et notum ſit, quanta cum ſuperſtitione religioſa eiusmodi praeſcripta ſecuti ſint veteres, vixac ne vix quidem haec ſententia firmo niti fundamento dicetur, niſi forte quis eam chori vtriusque ſeparationem indicari ſtatuat, quae mutuos et reciprocos cantus haud reſpuat, quod nec affirmare cum fiducia nec negare audemus. Quidquid vero huius ſit, et ſi detur etiam, tria haec carmina et ſecularia et, vt canerentur, ſcripta fuiſſe, tanta tamen inter illa duo et hoc poſterius, quod libro Epodon ſubiectum eſt, obſeruatur differentia, vt nulli dubio ſit locus, hoc ſolum ſiſtere nobis ſollemnem illam precationem, qua ex praeſcripto carminis Sibyllini ſecularia vota nuncupari debebant,

 reli-

reliquis forſan minori cum ſollemnitate adiectis, licet nobis planum haud ſit, qua ratione id, quod l. IIII. Od. VI. habetur, cani potuerit publice.

Praeter haec vero, quae hactenus de carmine ſeculari diſputauimus, plura alia addi potuiſſent ad idem pertinentia argumentum. Sed redeundum eſt in viam. Non enim id agimus, vt lectorum animos disquiſitionibus ſubtilioribus et longius petitis paſcamus; verum vt ad iubila et plauſus excitemus mentes, quum hodierna haec lux Salanis muſis adeo laeta et auſpicata noſtram academiam non poſſit non etiam puriſſimo et profundiſſimo gaudii ſenſu perfundere. Vti vero feraci illi optimorum ingeniorum matri et formatrici hanc ſuam auſpicatiſſimam ſollemnitatem fauſtiſſimis acclamationibus gratulamur, ipſique bene precamur: ita omnes etiam, quotquot bonis litteris fauent, et iis colendis animum adiiciunt, in partes gaudii et votorum vocamus, vt nobiſcum ſupremum in caelis numen venerantes, pro illius vniuerſitatis incolumitate, perenni flore et indies maiori incremento pias fundant preces. Quo vero luculentius appareat, quanti hanc noſtram ſororem, ienenſem academiam, faciamus, et quantopere ipſi bene cupiamus, peculiarem quoque ſollemnitatem inſtitui curauimus, quae craſtino die hora decima ante meridiem adornabitur. Prouinciam autem dicendi et publico nomine vota nuncupandi in ſe ſuſcipiet elegantiſſimi ingenii iuuenis *pereximius atque praeſtantiſſimus dominus* AVGVSTVS FRIDERICVS BOECK, *Stuttgardianus, magiſterii philoſophici candidatus et illuſtris, quod heic floret, ſeminarii theologici ſtipendiarius*, qui *carmine heroico latino* ienenſis academiae ſecularia feſta celebrabit. Non dubitamus fore, vt omnes bonarum litterarum fautores et cultores ſplendidam hanc panegyrin ſua praeſentia ſplendidiorem et frequentiorem reddant, ſicque ſuum in litterarum ſtudia amorem demonſtrent, quod vt faciant perenixe rogamus. Perſcriptum Tubingae, publice ſub ſigillo rectorali, ipſo feſto purificationis Mariae, Anno CIↃIↃCCLVIII.

PRO-

# PROGRAMMA VITEBERGENSE.

Inter omnia instituta, quibus res christiana deuincta est, quibusque et ad religionem et ad humanum ciuilemque cultum Europae populi perducti sunt, nullum maiore aestimatione dignandum reperias, quam tot passim constitutas academias, e quibus diuinae et humanae sapientiae studia effloruerunt. Notum est de illis LVTHERI iudicium, qui non aliunde in magnam illam dei familiam, cuius multiplicia sint ministeria, maiores vtilitates proficisci statuit. Et sanctitas certe earum tanta est, vt non minus, quam templa et res sacrae, ab iniuriis iure gentium defendantur: quod non ex immunitatibus solum, quibus antiquitus gaudent, nec spoliari possunt, quamdiu publicis legibus relinquitur locus; sed ex omnium quoque, qui nondum humanitatem exuerunt, liberis sententiis moribusque apparet. Vnum Paulli Piasecii exemplum ponemus, qui in suis commentariis rerum per Europam gestarum, cedro dignis illis ob candorem, nisi in rebus religionis, et ob iudicium, ipse pontificius et episcopus Praemisliensis, ad A. C. CIↃIↃCXXV. grauiter et cum indignatione notare iniquitatem romani pontificis non dubitauit, quod is suis mandatis academiam cracouiensem in gratiam sodalium Ignatianorum oppugnauerit. Quare augustissimorum e domo austriaca imperatorum in Germaniam meritis, quorum neque iniri numerus, neque satis praedicari magnitudo potest, id quoque adnumerandum erit, quod in honore studiis litterarum habendo et fauendo academiis vinci sese a nullo summorum principum passi sunt. Ne diuersorum quidem sacrorum respectus impedire istam in honestas artes voluntatem poterat, vbi consulendi publicae vtilitati occasio se dedisset. Persecuti dudum alii digno has laudes praeconio sunt, quorum e copiis nunc nihil decerpere vacat. Quod tamen singularis prorsus exempli est, hic omittere vix deceat: non ab aliis vllis principibus tot homines eruditos, solam ob litterarum commendationem, iura nobilitatis accepisse. Non praestita diuturna ministeria, non gesta ex imperatoria vtilitate res publica, non fortunae splendor, non reliqua, quibus propriae ad benefaciendum caussae insint, saepius apud tam magnanimorum augustorum clementiam pro-

 fuere,

fuere, quam claritas studiorum; quibus excellentes homines ob hoc solum, quod de genere humano in commune praeclare mereantur, oblata fere nec ambita, tanta ornamenta tenuerunt. Vidit ipsa Viteberga tales Leyseros, Bergeros, aliosque; ne per externa longius eundum sit. At hoc parum fuerat, nisi semper in diplomatibus mirae amoris litterarum notae sacrum aliquid, verendumque, et illa cogitationum sublimitate dignissimum, spirarent; et ipsa concessa nobilitatis insignia, quibus exornati ad progeniem suam meritorum memoriam transmitterent, satis indicio essent, quibus artibus haec praemia sint tributa. Est in manibus nostris apographum diplomatis, quo A. C. CIƆIƆXXXXI. Carolus V. GEORGIO SABINO Ratisponae, cum eo Ioachimum Brandenburgicum comitatus fuisset, nobilitatem, vt quo optimo iure, ipsi nimirum posterisque eius, contulit: quod Theoph. Sigefr. Bayerus, sollers quondam rei litterariae inuestigator, cum Regiomonti, ante susceptam professionem Petropolitanam, ageret, ex autographo descripsit. In illo, cuius fidem satis Bayeri nomen tueatur, praeter omnia illa, quae diximus, benignitatis argumenta, insignium descriptio vt memoretur, ipsa quodammodo postulare est visa: tam plena humanitatis et gratiarum prope manu picta est illa. Verba sunt: PORRO AD HVNC EQVESTRIS ORDINIS GRADVM ADDIMVS TIBI ETIAM INSIGNIA, QVIBVS NOBILITAS TVA LATIVS INCLARESCAT, VIDELICET CLYPEVM CAERVLEVM ET IN EO PEGASVM CANDIDVM, EX NVBIBVS VOLANTEM, ALIS IN ALTVM PORRECTIS. GALEAM VERO CANCELLATO ORE, QVALIS SOLET ESSE NOBILITATIS NON POSTREMAE, ET IN GALEA ALIVM PEGASVM CVM NVBIBVS SIMILI FIGVRA, QVA EST IN CLYPEO. POSTREMO PARERGA, QVIBVS CLYPEVS ET GALEA TEGITVR, DISTINCTA DVOBVS COLORIBVS, CAERVLEO ET ALBO, QVEM AD MODVM HAEC OMNIA EXACTIVS PICTORIS INGENIO AC MANV DEPICTA IN MEDIO PRAESENTIVM CERNVNTVR. ID VERO INSIGNE APTE CONVENIT HOMINI, NON IGNAVO, SED AD GLORIAM EXCITATO, CVI EST VIRTVTE EFFICIENDVM, VT ALIOS OMNES TANTVM POST SE RELINQVAT, ANTE CITOS QVANTVM PEGASVS IBAT EQVOS. NOS IGITVR ET ILLVD IPSVM INSIGNE TIBI, ET HEREDIBVS TVIS TRADIMVS, PERPETVVM VIRTVTVM TVA-

TVARVM MONIMENTVM, QVO AD VIRTVTEM ET GLORIAM POSTERI TVI INCITENTVR. Vt vero imperator maximus apertam ſacrati pectoris fidem honori SABINI dat, et iſtam carminum felicitatem, cum aliis egregiis artibus, pulcherrima imagine ſui ſenſus dignatur! Nihil hic translatitiae indulgentiae; nihil, niſi ad proprias viri, quem vltro ornatum velit, laudes adcommodatum; nihil, quod non magnitudinem animi, qui litterarum decus in ſummis Germaniae bonis ponat, prolixe declaret. Adde, quam ſollicito et pleno curarum tempore Carolus ab ipſa re publica tantiſper, dum priuatum ad hominem, cumque externum, et diuerſarum in religione partium, reſpiceret, oculos dimouerit. Quis autem ignoret, ſumma SABINI triennio circiter poſt, cum Regiomonti academia conderetur, cui et iura et immunitates ipſe impetrauit, quamque primus ſummo magiſtratu, plures per annos continuato, praeditus, rexit, eminuiſſe merita? Quis effectum inde tantis hominum eruditorum honoribus neget, vt incenderentur omnium animi ad incumbendum in litteras, ipſis militiae dignitatibus et aliis ſplendidiſſimis miniſteriis exaequatas; ex quo praeſertim tot nouae per imperium noſtrum academiae inſtituerentur, ex mente plane Maximiliani Augusti, qui A. C. CIϽCCCCXCV. in comitiis Borbetomagenſibus eius rei principibus auctor erat factus, cuiusque ſucceſſorum clementia inde numquam eorum iuribus conſtituendis atque conſeruandis defuerat? Tam laetae ſegetes, dici non poteſt, quam cito hanc frugum vbertatem largitae ſint, qua patria, rerum diuinarum et humanarum felicitate et gloria aucta, infauſtorum ante reuocatas egregias artes temporum ſterilitatem penſat, et ipſis poſterorum votis benignam copiam ſpondet. De SABINO autem, cuius reliquam vitam locus hic non capit, vt ea, quae protulimus, exponeremus, ſimilitudo et ſtudiorum et fortunae eius cum IOANNIS SCHROETERI, viri ante duo ſecula ſummi, rebus tempeſtiue admonuit. Fuit hic ob doctrinae praeſtantiam Ferdinando imperatori aeque carus, atque ille Carolo fuerat. Vtrique honores ſtudia pepererunt: medico huic et mathematico; alteri poëtae, oratori, iureconſulto. Vterque iure nobilitatis cum ſuis poſteris donatus fuit. Vtriusque illuſtria in academias, quibus condendis conſilio, opera,

opera, atque gratia profuere, ienensi hic, iste regiomontanae, merita. Vtrumque quod primi summum suae quisque academia magistratum gesserint, eumdemque saepius susceperint, par gloria decorauit. At SCHROETERI gratam recordationem hoc potissimum tempus reducit. Et eam quidem in rem plura dabit, qui ab hac ipsa stirpe generatus gentilitii decoris memoriam orator renouabit, vt in secularibus academiae ienensis sacris vota nuncupet, LVDOVICVS HENRICVS SCHROETER, dresenensis, LL. et LL. AA. cultor apud nos nobilissimus. Natus hic ex patre LVDOVICO AVGVSTO SCHROETERO V. ILL. potentissimi regis Poloniae, principis elect. Saxoniae serenissimi, a consiliis quam diu vixit, aulae et iustitiae, atque decano Vurcenae, ex quo, Dresenam euocatus, cancellarii ibi munus posuerat, a pietate oblatas has partes in sese suscepit. Eius ingenium, rectissimis atque liberalissimis, in quibus versatur, studiis excultum, quum tantae maiorum claritati egregie respondeat, accedantque tot alia generis ornamenta et fortunae munera, iure gentilitatis vtitur, quod festam hanc lucem IIII non. febr., qui dies inaugurationis ienensis memoriam seruat, habenda peractis post meridiem sacris, in auditorio maiore, oratione, consecrare instituit. Vnde TE, COMES ILLVSTRISSIME, VOS, PERILLVSTRES BARONES, VOSQVE PATRES CONSCRIPTI, PROCERES, atque CIVES, maiorem in modum oramus obsecramusque, detis id honori oratoris nostri et huius praeclari propositi commendationi, vt frequentes ad audiendum conuenire dignemini, et tam honestae voluntati tamque incitato ad optimas quasque et raras laudes cursui, quo SCHROETERVS hic fertur, vestram beneuolentiam commodetis. P. P. Vitebergae a. d. IIII cal. febr. A. P. C. N. CIϽIϽCCLVIII.



ORA-



III

# ORATIONES

IN EXTERIS ACADEMIIS

## SACRORVM IENENSIVM SECVLARIVM

CELEBRANDORVM CAVSSA

HABITAE

---

## ORATIO

## ACADEMIAE RINTELIENSIS

NOMINE HABITA

A


IOANNE NICOLAO FVNCCIO

ELOQVENTIAE, HISTORIAE ET POLITICES IN DICTA ACADEMIA PROFESSORE


MARTE irato iam diu nimis per misere adflictam et contremiscentem Germaniam, tantum non vniuersam, grassante, et vsque ad perniciem saeuiente, tanta Saxoniae sereniss. ducum atque principum, Thuringiae Landgrauiorum, constanti ac indefesso pacis studio, pietas, sapientia, virtus, et erga mansuetiores musas liberalitas est: vt hilares ac laetae, ad Salam iucundissima sede, inter ipsos circum se formidabiles armorum strepitus, institutis triumphalibus ludis, continuum seruare suum paeana, dulcissimumque melos concinere audiantur. Ducentis hodie vna serie annis feliciter superatis, quod ex tabula templi nostri valuis adfixa legistis, Auditores O. O. H. in Thuringia ad Salam fluuium florentissima ienensis academia, quam sollemnissime secundo sacra celebrat secularia, festumque primum supra ducentesimum agit candidissimum natalem. Hunc illi omnes, quotquot bene cupiunt

X bonis,

bonis, ex animo gratulantur: et nos inprimis, qui arctissimo cum illa, vel propter eadem studia, eamdem religionem, fraterni amoris ac necessitudinis vinculo sumus coniuncti, semper, atque nunc praesertim, in partem gaudiorum venire oportet. Ad hoc ienenses ipsi per litteras nos quam amicissime inuitarunt, atque felicitatis eiusdem ac deliciarum coram suarum esse participes iusserunt. Quoniam vero locorum magno interuallo diiuncti, nec praesentes, itineris atque temporis difficultate prohibiti, communem fautoribus nostris ex eadem illorum fortuna perceptam voluptatem coram testari non possumus: eum in finem quam lubentissime hac panegyri conuenimus omnes, vt eumdem ienensibus, ac nobismetipsis, festum agamus diem, quo diuinitus et auspicato illis academia, cum omnibus priuilegiis et immunitatibus, ante hos annos ducentos concessa, magnoque orbis litterati ornamento clementissime adhuc, pristino multumque tot annis aucto virtutis et omnigenae eruditionis flore, conseruata: vt optimo et sapientissimo numini pro beneficiis innumerabilibus gratum animum significemus: vt principum academiae liberalium fundatorum atque conseruatorum piam recolamus memoriam: vt musis ienensibus felicitatem gratulemur praesentem, atque in futurum per secula plurima, ex ipsorum votis, laeta faustaque omnia adprecemur. Paucis ergo, hac frequenti virum eruditissimorum concione, ac sollemniter institutis secularibus encaeniis, breuissime quidem absque vulgari elegantiarum adfectatione, perennem academiarum omnium, vt ienensis adeo commendatae, felicitatem floremque iucundissimum ab vno timore domini dependere, demonstrabo: spe certa fretus, fore, vt tam polito ac sapienti auditorio veritas orationis pietasque dicentis multo magis, quam omnia verborum inanium lenocinia placeant.

Verissimum illud a pueritia didicimus, timor domini est initium sapientiae: prorsus enim nihil is merito sapientibus sapere videtur, qui sibi non sapit, omnique simulata sapientia, sine timore ac reuerentia domini, a quo salus vitaque dependet vnice nostra, vitiis sceleribusque ad summam turpitudinem cumulatus, in exitium ruit. In deo fons omnis est sapientiae, cuius in pios ac summo numini deuotos particulae tantum quaedam, ad originem eos suam trahentes, redundant: vt non sit mortale, quod optant, eiusque semet totos infinitae gratiae, ad summi boni perfectissimam vsuram, commendent, ab cuius sapienti ac immutabili arbitrio sumus, quidquid sumus, et habemus, quidquid habemus: vt vnice illi T. O. M. deo accepta referamus omnia. Ne homo quidem, ad vitam meliorem natus,

natus, nedum ſapientiae ſtudioſus vel inſtinctu naturali, vſquam, vt votorum fiat compos, ſine timore domini certoque cultu diuino eſſe poteſt. Scholae vero, quae, vt omnibus facillime patet, ab orbe condito, vbique locorum, ad formandam iuuentutem, fuerunt neceſſariae, vnum timorem cultumque domini ſcopum, vnum ſolidioris doctrinae fundamentum habuerunt. Quanto magis academiae, conſulto tandem, poſt indignam nomine humano barbariem profligatam, vt ſancti ſpiritus ad veritatem et ſapientiam officinae, muſarum, i. e. bonarum artium et ſcientiarum omnium, vel vniuerſalis ſtudii adapertae ſedes, ſacra et iucundiſſima pietatis ac virtutum omnium emporia, illuſtria virum excellentiſſimorum, atque adeo felicitatis publicae prytanea eſſent, auctoritate publica et inſigni liberalitate principum optimorum, in plurimis Europae regionibus fundatae, vno timore domini, cultuque diuino prorſus intemerato, niti debent. Numinis ipſius aeterni gratiae plena veriſſimaque vox eſt: qui me honorat, honos illi quoque attribuendus erit: qui vero me ſpernit, meaque reiicit praecepta, ſpretus ſemper et abiectus eſto. *a*) Sic ſane mortalium quique omnibus in locis, quam maxime vero in academiis, vt earum publica ſtabiliatur ſalus atque felicitas, et imperantes, et parentes, aeque vel inprimis docentes, ac diſcentes, vnum ſapientiae, profectuum, atque fortunarum, in timore domini, ſiue haud infucata pietate, et conſtanti virtutum omnium exercitio, fundamentum ponant, neceſſe eſt. Si qui, ſine timore domini, voluptatibus adfectibusque ſuis indulgent, et maxima cum eloquentia ſtudium ſapientiae, vt nimis vulgare diebus noſtris philoſophiae nomen eſt, omnemque vel admirandam eruditionem prae ſe ferunt, ac velut ſidera in orbe ſuo magnitudinis primae ſuſpiciuntur: mea quidem ſententia, prorſus nihil ſapiunt, nec prima doctrinae ſolidioris elementa didicerunt: vt academicorum vel eruditorum ne nomina quidem mereri videantur. Artes enim, vt profanus ipſe pridem cecinit poëta, fideliter dedicisſe, emollit mores, nec ſinit eſſe feros. Immo ſanctioris litteraturae et eruditionis ſolidae, ſeu verae, fons, initium, ſubſidium, et finis eſt timor domini: vt qui viri docti eſſe, quam audire, malunt, aeterno ac benefico numini, cuius ſingulari gratia ſunt, ſubſiſtunt, et rerum humanarum aerumnis quibusque conſeruantur, deuoti, omnibus actionibus ſuis gloriam diuinam, et hominum pro viribus quorumque commoda quouis modo promouere ſtudeant. Alioqui ſunt nihil, ac ignominioſum terrae onus, ad ſummum ipſorum dedecus et irreparabile damnum, haben-



*a*) 1 Samuel. 11, 30.

bentur. Ne quid de aliis ordinibus dicam, (pietas enim virtutum omnium regina procul dubio in omnibus esse debet) haud immerito a maioribus nostris, timore domini non minus, quam eruditione, inclutis ac illustribus viris, academici, quodam peculiari honoris laudisque titulo, doctores et magistri sunt adpellati, qui alios erudiant formentque ad bene ac beate viuendum. Quomodo non ipsi essent pii, qui, ad pietatem excitandam et fouendam, sunt aliis praefecti, vt vitia corrigantur et emendentur? Quomodo non essent pii, qui non, nisi bene praeparati ac domestica disciplina recte imbuti, studiorum gratia semet conferunt ad mansuetiores musas; neque, nisi bene docti vitaque honesta conspicui, tandem in doctorum ordinem admittuntur? Quomodo non pii essent, qui inprimis et ante omnia semet ipsos cognoscere et vincere didicerunt, quoties malos sentiunt excitari adfectus, et inopinatam sibi mortem singulis fere momentis, aliaque vix superanda pericula imminere vident? Vel quomodo academia, membris quibusque suis, quae lectissima et nobilissima esse debent, sine pietate, vt radix et fundamentum est vnicum eruditionis, sapientiae, et omnigenae felicitatis, subsistere potest? Ipsi etiam a vera veri dei cognitione alieni quam constantissime adfirmarunt, ac ingenue profiteri non dubitarunt, vitam hanc nostram sola religione ac pietate constare, legum in illa maximum esse praesidium, constans ac firmum disciplinae propugnaculum, stabile rerum publicarum fundamentum, constans et arctissimum amicitiae et amoris mutui vinculum, arcem concordiae tutissimam, infallibilem bonorum omnium fontem. Quanto magis nos, meliori disciplina et vera dei rerumque diuinarum cognitione imbuti, qui nomen a teneris Christo seruatori nostro sanctissimo religiose dedimus, in id debemus incumbere, vt deo dicatis academiis, ceu pietatis omniumque virtutum emporiis adapertis, quam maxime illibatus dei timor cum optimo scientiarum flore conseruetur, studioque insigni ad longam posteritatem propagari queat. Sic sane continuo veroque cum gaudio semper habere poterimus dies festos, si deum amplectimur timore et amore filiali, nostrasque attollimus portas, vt gloriae rex, peccatis non obstantibus nostris, intrare possit. Timor domini, pietas et religio ad Salam in Thuringia ienensem academiam ducentos ante annos, ad immortalem numinis aeterni gloriam, multaque regionis totius commoda et publicam felicitatem, fundauit, atque in hunc vsque diem candidissimum eius primum supra ducentos natalem, quod animis deuotis gratisque agnoscimus, florentissimam conseruauit. Posteaquam in Saxonia, nimis ingrauescente malitia et vulgari superstitione, diu

satis

ſatis ac miſerrime adflictam Chriſti eccleſiam; cum ſanior et maſcula b. LVTHERI doctrina, tum ipſius Saxoniae electoris FRIDERICI ſapientis et optimi principis magna prouidentia, coeperunt vindicare, multisque ab erroribus repurgare: diuinitus illuſtrata, ac meliorem in locum repoſita ſunt omnia: ſapiens autem elector, quum anno CIↃIↃXXV e vita decederet, eam laudem meritus eſt, vt princeps pietate et prudentia praeſtantiſſimus, iuſtitia et animi magnitudine nulli ſecundus, ſapientiae domicilium, conſiliorum theſaurus, legum defenſor, controuerſiarum finis, imperii romani columen, patriae munimentum, morum ſpeculum, decus principum, diſciplina ducum, et ipſius quod nomen ſignificat etiam, vehemens pacis amator, eccleſiarum et ſcholarum nutritius optimus adpellaretur: quae ſimul omnia timor domini, cum illa non vulgari principis ſapientia coniunctus, oſtendit. Frater eius atque in imperio ſucceſſor, IOANNES conſtans, cuius ſymbolum hoc vulgo notiſſimum fuit, V. D. M. I. AE. inſignem habuit academiae wittebergenſis curam, eamque, vt contagii, peſtis tempore, ſatis quidem praeſenti eriperet periculo, et ſartam tectam ſeruaret, anno CIↃIↃXXVII Ienam transtulit, ac ibi, velut muſis iucundiori loco, non ſine ſubſecuturae felicitatis omine, aliquantiſper commorari iuſſit. Defunctum laudabilem hunc principem anno CIↃIↃXXXII non minor patre filius excepit, IOANNES FRIDERICVS I magnanimus et liberalis ienenſis academiae fundator, quamuis inaugurationem eius, immatura morte praeuentus, ipſe videre ac ordinare non potuit. Saluberrima fuerunt optimi principis inſtituta, quibus quam maxime dei gloriam, et ſubiectorum ſalutem, hoſtium praepotentum machinationibus et inſidiis impeditam, vigilantiſſime ac prudenter curare, ipſamque veritatem et cultus diuini regulam ſanctiſſimam vitae ac fortunarum iactura redimere maluit, quam ferre diutius inueteratam ſuperſtitionem, hominumque religioſorum ſaeuitiam, quae mirifice adhuc tranquillitatem publicam et animarum libertatem interturbarunt: vt difficilius a timore domini, quam ſidera cum ſole ab ſuo curſu retineri potuerit. Sic ſane pro aris focisque non patriae ſolum, ſed totius Germaniae, pugnans, ſmalcaldico bello, cum exercitui fortis imperator praeeſſet, captus in proelio ad Muhlbergam anno CIↃIↃXXXXVII a. d. XVIII kal. maii a caeſareis, non ſolum in cuſtodia per integrum luſtrum detentus, verum etiam electorali dignitate, quae ad MAVRITIVM, ex Albertinis Saxoniae ducem, transferebatur, cum aliquot, illi adhaerentibus, terris priuatus eſt. Etiam in captiuitate, maxima conſtantia, religionem et euangelicam veritatem defendit, a CA-

ROLO V imperatore protestantibus oblatam credendorum formulam, quam *interim* vocant, recipere noluit, suamque vt saluberrimam doctrinam haberent sartam tectam, cum wittebergensis academia ipsi esset erepta, aliam, qua docentes discentesque veritate simul ac pietate confirmarentur, serio meditatus est: et iam tum a. d. XV kal. april. CIƆIƆXXXVIII Ienae, propter amoenitatem loci et salubritatem aëris, primo quidem gymnasium academicum per filios serenissimos erigendum curauit; qui perquam solicite, parentis mandato, celeberrimos conuocarunt omnium ordinum doctores, vt ipsorum a consiliis essent, qua ratione et optime, et facillime, voti fieri compotes, constansque veritatis et religionis asylum, omnium vero scientiarum et elegantiorum litterarum adapertum emporium habere possent. Inprimis hoc datum negotii GREGORIO PONTANO cancellario, et NICOLAO AMSDORFIO theologo, vt gymnasii sapienter et auspicato instituendi curam haberent, atque id agerent sedulo, ne quid detrimenti capiat res ecclesiae et scholae publica, sed feliciter, ex sententia et mandato principis optimi, iam captiui, omnia instituantur. Quum anno CIƆIƆLII IOANNES FRIDERICVS, Saxoniae dux et elector magnanimus, custodia tandem liberatus esset, remque in patria domesticam et publicam ordinasset: vt florentem quam maxime recens instituti ienensis gymnasii statum cognouit, anno proxime sequente, Bruxellis a CAROLO V imperatore plenissima pro eo priuilegia petiuit, vt academia esset, ac reliquas omnes in Germania et vbique nobilissimas auctoritate ac iuribus aequipararet. Antequam vero ea impetrasset, rebus plurimis pace et bello praeclare gestis, atque filiis successoribus suis procuranda ienensi academia sigillatim commendata, v. non. martii CIƆIƆLIIII placide obdormiuit, atque sequens epitaphium meruit: IOHANNES FRIDERICVS, *dei gratia electus martyr Iesu Christi, dux afflictorum, princeps confessorum fidei, comes veritatis, signifer sanctae crucis, exemplum patientiae et constantiae, heres vitae aeternae, dormiscens in Christo migrauit ex hac miserrima vita in caelestem patriam, Vinariae mense martio anno* CIƆIƆLIIII *aetatis* LI Testamenti tabulis, in arce Grimmensteina, sabbato post D. Nicolai CIƆIƆLIII confectis, magnanimus atque deo deuotus heros etiam cauerat inter alia, vt filii priuilegia academica vrgerent, ac impetrata in gymnasium ienense, cuius primordia vidit auspicatissima esse, confestim atque feliciter introducerent. Medius dux IO. GVILIELMVS, eodem anno, cum ordinis primi aliquot consiliariis, Bruxellas in Brabantiam se contulit, ac priuilegia vt

vt nancifceretur, pro ienenfibus mufis, apud CAROLVM V. imperatorem, quam fubiectiffime interceffit: quae illi denegata quidem non fuerunt, dilata vero longius, quam par eft, vt infecta re discederet. Nullis tamen fumtibus parcere voluit, eamdemque ob cauffam ad FERDINANDVM, romanorum regem, religionis atque litterarum amantiffimum principem, quum, petitionem repetens fuam, conueniffet, voti ftatim factus eft compos, et ampliffima pro ienenfibus a caefare priuilegia academica reportauit. Tres autem filii ditionibus tribus, IO. FRIDERICVS II gothano, IOANNES GVILIELMVS vinarienfi, et IO. FRIDERICVS III ienenfi ducatu, pie defuncto ac beato parenti fuccefferunt. Quamprimum hi caefarea ad condendam aufpicato nouam academiam priuilegia tandem a FERDINANDO I imperatore acceperunt, Ienae vnanimes conuenerunt, eamque academiam, populi magno concurfu, lectis eo pertinentibus priuilegiis, ac traditis cum infignibus electo academiae primo rectori, IOANNI SCHROETERO, vinarienfi, medicinae doctori et comiti palatino caefareo, IIII non. febr. CIↃIↃLVIII fplendida panegyri magnaque pompa, quam follemniffime inaugurarunt. Memorandum hic monumentum, quod fub dio eft, templi academici, turri collaterali, qua in theologorum maius auditorium, et medicinae doctorum remotius adfcenditur, adfixum: quod primo intuitu fereniffimorum Saxoniae ducum, Thuringiae landgrauiorum etc. arma et infignia gentilitia in eminentiori loco affabre infculpta, inferiori loco aureis litteris verfus oftendit:

*Cum diftracta fuo bellisque obnoxia fato,*
*Abductum gemeret Saxonis ora ducem;*
*Templaque lugerent, plantariaque addita templis,*
*Ingeniis tradunt quae bona vera fcholae:*
*Ille, fauens ftudiis et honeftis artibus, abfens*
*Hic dedit aoniis otia grati choris.*
*Ornarunt decus hoc foboles generofa parentis,*
*Tres fratres, armis et pietate graues.*
*Chrifte tui coetus cuftos, et maxime vindex,*
*Da pacem, ftudiis vt celebrere bonis.*

Bibliothecam quoque liberalis et indulgentiffimus Princeps IO. FRIDERICVS I quam multis fumtibus in wittebergenfi academia inftructiffimam habuit, obfidione foluta, veniaque a victore impetrata, extractam, transportari Ienam ac nouae academiae fingulari ornamento effe iuffit. Bibliothecarius illi quidem omnium primo, quantum conftat, M. Georgius

gius Rorarius praefectus est: cuius et sequentium industria, principum vero magnis impensis, mox etiam mirum in modum aucta fuit. Doctores academiam hanc ab initio in hunc vsque diem semper omnium ordinum longe celeberrimi et excellentissimi ornarunt; principes ac litterarum fautores magis in dies ditarunt, atque beneficiis omnibus cumularunt; studiosae vero iuuentutis tanta frequentauit copia, vt millenos plerumque habuerint academicos, quorum alibi vix centenos numerare potuerunt. Sic sane academia illa, Germaniae corona, et vna omnium florentissima bonarum artium officina, diuinitus instituta, originem suam agnoscit incomparabilem esse principis optimi pietatem: cuius initium, successus, atque mirifica in hunc vsque diem, illius candidissimum natalem, conseruatio, verissima laus et gloria maximam partem a timore domini dependet, qui terras scholasque solum fortunare ac nobilitare solet. Vulgus parabilem victus rationem in caussa esse contendit, *b*) quae in aliis locis etiam cum egregia virum eruditissimorum fama non est contemnenda, nec vsquam sibi tantum studiosae iuuentutis confluxum promittere potest. Sua tamen etiam saepius debuit experiri fata, quae pluribus recensere, huius loci non est. Vnum alterumque, vt nihil prorsus, in rerum hac perpetua vicissitudine, ex omni parte beatum esse adpareat, simulatque tutissimum in timore domini periclitantibus asylum patere demonstretur, vos autem, honoratissimi auditores, nostris aliorum calamitates quoque communes aut simillimas fuisse, intelligatis, in medium proferam. Iureiurando professores obligantur omnes, ne quid contra religionem moliantur, et legibus vel statutis academicis semet adcommodare sanctissime studeant: vt salutem publicam promouere pro viribus, atque concreditam sibi studiosam iuuentutem erudire diligenter et perquam sollicite instituant: vt concordiam sine inuidia, calumniis, et aemulatione foueant: vt omnia rectoris et senatus academici decreta, consultationes, et consilia quodam silentii sipario inuoluant, ac prodere prorsus nihil aut propalare conentur. Contra qui fecerunt, sine personarum respectu, exauctorati sunt. Bene, consulto, pie, ne quid detrimenti res capiat academiae publica, quae sine legum obseruantia et pietate nulla est. Perquam sollicite vero etiam, vt timor domini et vera virtus instilletur plurimis, omnia mature suffocanda sunt, inter doctores simul, atque inter discipulos, discordiae semina, quae res maximas quoque et florentissimum vniuersitatis statum interturbare ac miserrimum in modum adfligere solent. Illu-

*b*) vid. P. BERTII comment. rerum german. I. 3. p. 169.

Illuſtres hinc etiam ſuisque meritis inclutos, orthodoxis autem de doctrina ſuſpectos profeſſores ienenſi academia nunquam admiſerunt, vel erroribus cognitis tandem, ne pars ſincera trahatur, confeſtim exulare iuſſerunt. Exempla in promtu ſunt, iaceant vero, ne quam partem offendere videamur, longa nocte ſepulta. Etiamſi angelicam, eruditiſſimam, et omnibus vitiis exemtam incoleremus ciuitatem, nos homines tamen eſſe reminiſci oportet, ac ingenue profiteri, a nobis humani nihil alienum fore. Generis humani calamitates, aerumnae, pericula, curae, labores, et omnibus vbique communes miſeriae, vix ac ne vix quidem enumerari, nedum ſatis deſcribi poſſunt. Saeua peſtis cum anno CIↃIↃLXXVIII Ienam infeſtaret, magnaque hominum copia breui temporis ſpatio perirent: academia, vt incolumis extra mortis repentinae timorem ſeruaretur, tantiſper Salfeldam translata, per integrum annum ſecure ac tranquille, gratia diuina, egit, dum formidabilis omnibus contagio ceſſare viſa. Ita plerique, timore domini ac virtute confirmati, ad priſtinam muſarum ſedem reuerterunt, ac valde gauiſi ſunt, quod, ſub protectione diuina prouidaque numinis cuſtodia, nullis peſtilentiae telis expoſiti, ad ſalutem euaſerint. *c*) Viderunt ienenſes tunc, atque nos hodie videmus, pereuntibus aliis, alios, ſingulari numinis benefici gratia, quibuscunque periculis, ad maiorem animorum voluptatem, conſeruari. Quotus vero ſapientum etiam quisque infinitam T. O. M. dei iuſtitiam ſimul atque clementiam, vel, grauiſſimas inter poenas, ſumma, quibus ſuos ſeruat cumulatque, beneficia ſatis valet euehere laudibus. Hominum magis magisque in dies videmus ingraueſcere peccata et omnis generis flagitia, exulare pietatem, iuſtitiam, amorem, omnesque virtutes: vt humanitatis vix quidquam in hominibus, nedum religionis cultusque diuini aliquam curam, ſupereſſe adpareat: tacita vero ſummi iudicis vbique ſubaudiatur comminatio, pereundum eſſe omnibus malitia et iniquitate ſua, quandoquidem ſuis carnalibus quique capti voluptatibus, ſancti ſpiritus correctionem atque vocem iucundiſſimam accipere nolint. E longinquo ſatis diu Germanis quoque in diuerſa euntibus, ac inuicem iniquiſſime obtrectantibus, iuſtiſſima numen diuinum oſtendit iudicia ſua quam indulgentiſſime: vt ſibi tandem reſipiſcentes conſulerent ipſis, ac meritas imminentesque auerterent poenas: quoad gratiae caeleſtis ac miſericordiae diuinae, per Chriſti ſanguinem, aliquis ſupereſſet locus. Multa per omnes orbis partes inundationibus, procellis, terrae motibus, naufragiis, fame, peſte, flammis, armisque hominum perierunt

 millia:

*c*) Pſ. LXXXXI.

millia: ad incitas et insignem miseriam redacti sunt alii: et aliorum non numeranda est multitudo, qui, publicam et priuatam calamitatem sentientes, complicatis elatisue in caelum manibus, sero nimis conditionem suam deplorare debuerunt. Tristibus ac memorandis hominum, omnium ordinum, aetatum, sexus vtriusque, tot plagis, continuo addita Christi seruatoris nostri vox diuina: nolite vobis persuadere, o boni! vel illos, quorum sanguinem Pilatus sacrificiis immisit, vel illos magna turris collabentis mole obrutos, vobis deteriores, magisue peccatorum reos fuisse. Non fuerunt profecto, et, mihi credite, nisi ad meliorem frugem redieritis, omnes pari modo affligendi iam iam ad exitium properatis. Quod nobiscum aliis quoque omnibus dictum esto. Ad ienenses vt redeamus, eorundemque publicas, pietate ac timore domini pridem superatas, calamitates consideremus, pestilentia rursum vrgente, anno CIↃIↃCXXXVI illustris academia, vt clementi mortis ac vitae summi arbitri protectione seruaretur, quoad miseria ciuitatis afflictae transeat, aliquantisper semet Kahlam ac Butstadium contulit, *d*) suamque conseruationem benefico numini acceptam retulit. Tristissima erant ciuilis et funesti tricennalis belli tempora, quibus Germaniae omnes prouinciae, vt nunc, proh dolor! etiam miserrimum in modum affligebantur. Ienam a. CIↃIↃCXXXVII palantes musae vix reuerterunt, cum ciuitas, tot afflictionibus exagitata et contremiscens, nonis februarii, dominica septuagesima, Goetzio duce, ab irrumpentibus ac furiosis caesareae maiestatis militibus diriperetur penitus, nec vlla humanitatis habita ratione, homines omnium ordinum, vel ditissimi, ad incitas redigerentur. Academia vero, dicata dilectaque deo, iam tum v. Id. Ianuarii eiusdem anni Ratisbonae datas a FERDINANDO II imperatore securitatis plenissimas accepit litteras, vt a militis caesarei et imperialis quibuscunque exactionibus, contributionibus, ac hospitio, semper libera et immunis esset, cum omnibus illi quodammodo subiectis. Imperatores etiam caesarei, IOANNES Hasso-Braubacensis Landgrauius, et Goetzius comes, postridie in statione ienensi, cum a furiosis militibus praedae iam factum esset satis, qui nec ordini, nec aetati, nec imbecillitati sexus, parcere voluerunt, academiam et omnes, qui ad eam pertinebant, liberalissime, litteris publice datis, protegendos ac forti manu defendendos susceperunt: *e*) vt, intra ipsius spoliatae ac vastatae vrbis moenia, communem et extremam calamitatem vix sentire aut quidquam periclitari viderentur-

*d*) vid. FRIDERICI LVCAE Europaeischer Helicon p. 419.
*e*) vid. IO. SEBASTIANI MVLLERI annales Saxonici p. 354.

rentur. Ita sane, quos deus, fortis et omnipotens exercituum dux, vindicat, fouet, ac tuetur, hostium, vel maximus, furor perdere nequit. In mentem saepe mihi quaestionis venit de iure belli gerendi, quod plane contra naturam omnem, ac generis humani atrocissima videtur esse pestis: vt homines humanitatem exuisse oporteat, qui adeo saeuire inuicem, obruere ac perdere homines non erubescunt. Vim, fateor, vi repellere licet, imo necessarium est, si nos nostraque seruare ac tueri, aras focosque defendere, patriam ab hostium insultibus, iniuria, rapinis, vindicare, et publicam salutem sartam tectam habere cupimus. Si quis vero, non lacessitus, sola plus habendi, aut leuissimam quamque offensionem vlciscendi cupiditate, ad saluberrimam tranquillitatem turbandam, vicinos sibi populos armis persequi ac debellare non veretur: vt innocentissimi homines exuantur, diripiantur, oppida, vrbes, agri vastentur, inopia, fame, summa calamitate et miseria tandem impleantur omnia: is profecto non hominis, nedum christiani nomine dignus, quamuis irati numinis formidandum habeatur flagellum, nefandi criminis reus, ipse in exitium ruit, neque iustissimam summi iudicis poenam effugere potest. Quoquo se res habeat modo, bella varias ob caussas, plus saepe habendi cupiditate, ab antiquissimis temporibus gesta sunt, et hodie, ad regnorum ingens detrimentum, et longe maxima populorum, etiam hominum innocentissimorum, damna perniciemque, geruntur. Adeo fera hominum autem in orbe nunquam fuit natio, vt, numinis aeterni et omnipotentis sensu cultuque necessario, et iustitiae, actionum quarumque moderatricis, amore, litterarum et sapientiae non suspexerit studia, neque musarum alumnos ornare quouis modo studuerit: quae Martis ipsius iucundissimae sunt asseclae, suorumque tutorum, qui musagetarum sibi pridem vindicarunt gloriam, res memoratu dignas, laudes, atque merita, longae posteritati commendare solent. Vtrinque hinc maxima commoda semper fuerunt: vt heroum perennis memoria celebraretur, et larga doctissimos quosque homines munera manerent. Diserte hoc laudat poeta: *g*)

*Cura deum fuerant olim regumque poetae,*
*Praemiaque antiqui magna tulere chori.*
*Sanctaque maiestas, et erat venerabile nomen*
*Vatibus: et largae saepe dabantur opes.*

Ouidio ipsi, elegantissimo poetae, cum Tomis in exilio mortuus esset, barbara et inculta Getarum gens, quamuis gloriae cuiquam nihil, nisi

 armis

*f*) OVIDIVS artis amatoriae l. 3.

armis exercitato, tribueret, ac plane a mansuetioribus musis esset aliena; sollemnes non solum iuerunt exequias, verum etiam monumentum sepulcro magnificum imposuerunt. *g*) Sic homines barbari politum ac peregrinum, vel ob diuinam poesin, quem ipsi non capiebant, viuum et mortuum magni aestimarunt, suamque erga liberaliores musas beneuolentiam testari voluerunt. Apud veteres Germanos atque Gallos quanta fuerit sacerdotum ac druidarum in bello et iudiciis auctoritas, post TACITVM *h*) CAESAREMque *i*) multi memoriae prodiderunt. Nec hodie quisquam heroum fortissimorum, vel ipso flagrante bello, mansuetas, inermes, pias atque deo deuotas, facile aggreditur musas. De Graecis Romanisque res vulgo notissima. Philippus, Amyntae filius, Macedoniae rex fortissimus, cuius arma et virtutem tota Graecia pertimescebat, cum bellis per omnem vitam esset implicitus, a liberalioribus musis nunquam fuit alienus, et viros eruditissimos beneficiis cumulare studuit, quos inter Aristotelem tanto prosecutus est amore, vt sua manu ad eum scriberet, natum sibi filium esse, quod deo referat acceptum, illis temporibus, vt, erudiendum a tanto philosopho, sperare possit. *k*) Alexander, magnus domitor orbis, mirum in modum Iliade Homeri delectatus est: quod elegantissimum poema semper, vel inter arma, circumtulit, rei militaris consueuit appellare viaticum, legitque diligenter, secum, quoties cubitum iuit, cum gladio posuit; ac vnum velut longe maximum thesaurum capsula pretiosissima custodiendum esse iudicauit. *l*) Rex ille, qui fortunam aequauit virtute, perquam sollicita parentum cura, bene doctus ab Aristotele, in castris etiam multos rerum suarum scriptores vbique secum habere dignatus est: atque in Sigaeo cum aliquando ad Achillis tumulum adstitisset, o fortunate adolescens! dixit, qui virtutis tuae praeconem Homerum inuenisti. *m*) Cum Thebas caperet, Pindari vatis familiae ac penatibus parcere iussit. *n*) Aristotelis philosophi et praeceptoris patriam condidit, *o*) atque, vt animalium historiam exactius scriberet, multa ei hominum millia

*g*) Comment. de virili aetate Lat. linguae P. I. c. 3. §. 38. p. 258. seq.
*h*) german. cap. 7.
*i*) de bello gallico lib. 6. cap. 13.
*k*) vid. A GELLIVS noct. Attic. lib. 9. cap. 3.
*l*) PLINIVS hist. natur. l. 7. c. 29. PLVTARCHVS Alexandri vita.
*m*) CICERO orat. pro Archia poeta c. 10. ad diuersos l. 5. epist. 12. n. 24. PLVTARCHVS Alexandri vita.
*n*) PLINIVS l. c.
*o*) ibidem.

lia parere voluit. Xenocrati philosopho aliquot talenta per legatos misit: qui frugalitate sua professus est non indigere pecunia. Diogenem Cynicum etiam inuisere non dedignatus est, ac frustra illi sua munera promisit. *p*) Syracusis expugnatis, Marcellus, belli dux fortissimus, senserat quidem, Archimedis machinationibus vrbem diu multumque seruatam, victoriamque ipsi prohibitam fuisse: hominis tamen prudentia valde delectatus edixit publice, vt eius capiti parceretur: quem cum miles forte, formis suis in puluere descriptis intentum, enecasset imprudens: aequo caedem non potuit ferre animo, plus detrimenti ponens in Archimedis iactura, quam gloriae in Syracusarum acquisitione: mortuum ipse curauit sepeliendum, et hoc egit prouidentius, vt defuncti nomen atque memoria propinquis etiam inquisitis honori ac praesidio esset. *q*) Scipio Africanus senior, ille victricibus armis inclutus imperator, Quintum Ennium poetam secum habere semper voluit, ac omnibus cumulare beneficiis, adeo quidem vt mortuum quoque in monumento suo condi, ac statuam eius sepulcro suo imponi iusserit. *r*) Pompeius magnus, de cuius aeternis in elegantiores litteras meritis, alio satis dictum est tempore et loco, *s*) Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum romana ciuitate donauit: omnesque sub eius imperio viri fortes, etiam rustici, militantes, gloriae quadam dulcedine commoti, eiusdem laudis quasi participes, illud magno clamore approbauerunt. *t*) Possidonii philosophi cum intraret domum, fores vetuit more solito ab lictore percuti, ac ianuae viri docti fasces lictorios ille submisit imperator, cui semet oriens occidensque submisit. *u*) Caesar Octauianus Augustus, qui communis litteratorum omnium fautor beneficus atque summus patronus erat, Alexandrinis, bello iam deuictis, semet professus est tribus de caussis pepercisse, ob Alexandri memoriam, vrbis pulchritudinem, et Arrii philosophi amorem. *x*) Neque adeo mirandum, homines etiam barbaros,

 cum

*p*) VAL. MAX. lib. 4. c. 3. exter. n. 3. et 4.

*q*) LIVIVS l. 25. c. 31. PLVTARCHVS vita Marcelli. VAL. MAX. lib. 8. c. 7. extern. n. 7. CICERO de finibus bonor. et mal. l. 5 c. 19. init. in Verrem. lib. 4. cap. 58.

*r*) CICERO orat. pro Archia poeta c. 9. LIVIVS l. 38. c. 56. OVIDIVS artis amator. l. 3. c. 409. PLINIVS histor. natur. l. 7. c. 30. VAL. MAXIMVS l. 8. c. 15. SOLINVS c. 7.

*s*) Comment. de virili aetate Lat. linguae part. 1. c. 2. §. 9. p. 102. seqq.

*t*) CICERO orat. pro Archia c. 10. Confer. STRABO geogr. l. 13.

*u*) STRABO lib. 11.

*x*) PLVTARCHVS Antonii vita.

cum satis iam vbique litterarum gloria peruulgata esset, quam lubentissime, non vni dicam homini, sed integris doctissimorum societatibus, atque, summorum principum indultu, priuilegiis et immunitatibus suis efflorescentibus academiis, inter arma, belloque flagrante, pepercisse. Ienenses funesto tricennali bello durissima quaeque, nunc a caesareo, nunc a suedico milite, saepius experti sunt: academia vero illorum, sub forti ac insuperabili numinis protectione, semper incolumis et salua perstitit: imo, inter ipsas populi afflictissimi aerumnas, aucta continuo, et principum liberalitate mirum in modum dotata fuit. Fundatoris eiusque successorum serenissimorum incomparabilis aeternum laudatur munificentia, vt accessionis aliae super aliis felicissimam sapientiae hanc officinam in dies magis atque magis ornare viderentur. Seculo ineunte superiori MARCVS GERSTENBERGERVS, iuris doctor et cancellarius vinariensis, ad duodecim alumnorum sustentationem, annua florenorum quatuor millia legauit. Anno CIↃIↃCXVII. serenissima princeps DOROTHEA MARIA, anhaltina, IOANNIS saxo-vinariensis beati ducis vidua, ex opibus propriis, academiae, vt magis floreret, florenorum viginti millia testamenti tabulis legata reliquit. Ad viduas et orphanos professorum alendos, Saxoniae duces IOANNES CASIMIRVS tria, et IOANNES ERNESTVS tria florenorum millia suppeditarunt. Anno CIↃIↃCXXX coenobii Quedlenburgensis praefecta, siue abbatissa, DOROTHEA SOPHIA, Saxoniae ducis FRIDERICI GVILIELMI filia, vt professorum quorumque augeret salaria, annua florenorum quatuor millia donauit: quibus et Remdae dynastiam cum omnibus pertinentiis atque iuribus vsurpandam saxo-altenburgenses et vinarienses serenissimi duces liberalissime addiderunt. Sed beneficia, quibus principes ac maecenates munificentissime Salanam academiam cumularunt semper atque ornarunt, omnia enumerare, longum est: mentio quorumdam solummodo facienda, vt, tristissimo etiam belli tempore, vel inter arma, suos musagetas habuisse, et magis, ad florem perpetuum, succreuisse, constaret. Imo, testibus quoque annalibus Saxoniae, needum finito bello, illo quidem semper deplorando (nam et proelium ad Susmarshusium nonis maii commissum, et Praga a. d. XVI. kalend. iulii a Suedis expugnata, et passim alibi debellatum est, donec pax tandem prid. Id. octobris Monasterii et Osnabrugae sanciretur) exultantes ac laetae ienenses musae a. d. XIIII. kal. aprilis, Iudica dominica et sequentibus diebus CIↃIↃCXXXXVIII. festum seculare primum auspicato et feliciter celebrare coeperunt. Iudicate, auditores, quanta seculo sequente, nunc etiam

etiam exacto, pacis temporibus exoptatiſſimis, incrementa et ornamenta habuerint. Statum praeſentem iam multis partibus plures deſcripſerunt, et omnia ſatis accurate, nec minus vere, quam luculenter, memoriae prodiderunt: quae nos quidem, ad ſummam fortunatarum iuxta Salam muſarum laudem et gloriam, non ſatis admirari, nedum praedicare ſufficienter poſſumus. Habuerunt Saxoniae duces indulgentiſſimos atque beneficos muſagetas, vinarienſes et iſenacenſes, gothanos, coburgenſes, meinungenſes, ſalfeldenſes etc. quorum heroica facta, et inſignem, qua ſimul omnes muſas liberaliores amplectuntur, gratiam merito iam ſummis in caelum euehunt laudibus. Habuerunt maecenates, proceres, atque curatores, quorum prouidentia, commendatione et beneuolentia, ſuccreſcere haud difficulter, et maximopere laetari potuerunt. Habuerunt inde a fundatione ipſa, et habent, in hunc vſque diem, quos impenſe profecto gratulantur ſibi, doctores omnium ordinum excellentiſſimos et longe per omnes Europae regiones celeberrimos, quorum nomina et nos haud immerito veneramur, atque tot elogia eſſe putamus, quibus ſufficere oratio mea omnium minime videtur. Habuerunt, et habent etiamnum, generoſae nobilitatis ac ſtudioſae iuuentutis eam frequentiam, quam profeſſores in aliis academiis vſquam vix ſibi promittere poſſunt. Habuerunt in academia fortunata et florentiſſima ab anno CIↃIↃCLXXII. diſquirentium academiam. Habent, vt omnium ſcientiarum, elegantiſſimas quoque linguarum vernaculae germanicae, et latinae, nimis, proh dolor! iam aliis in locis neglectae, ſocietates: quae ornamenta illis non vulgaria, cum omnibus commodis, proficiendi facillima ratione, ac neceſſario maſculae, vt ſapientiam inuoluit, eloquentiae ſtudio ſuppeditare videntur. Habent per orbem vniuerſum volantem eruditionis omnigenae famam, bibliothecas inſtructiſſimas, obſeruatorium, hortum medicum, ampliſſimas exercitationum quarumque ſcholas, et quicquid lectiſſimam ſcientiarum artiumque bonarum omnium officinam quocumque modo nobilitare valet: vt iure optimo iam, feſto ſeculari altero, ad communem orbis litterati voluptatem, ludos inſtituant triumphales, maximam publice teſtentur ſuam laetitiam, atque rerum quod quis iucundiſſimarum votis omnibus exoptare poteſt, ſuo ſinu gaudentes fauſtaque inuicem ſibi acclamantes comprehendant.

Hanc felicitatem, et candidiſſimum, quem hodie, ſuperatis duobus ſeculis, celebramus, ducenteſimum primum natalem vobis, academiae ad Salam iubilantis magnifici rectores atque ſtatores, omnium ordinum profeſſo-

fessores excellentissimi, florentissima quoque studiosae iuuentutis corona, et quotquot e litteratorum numero tantae felicitatis et gaudiorum communium participes esse cupitis, ex animo iterum iterumque gratulamur. Numinis aeterni vt infinita beneficia quotidie et omnibus horis cumulentur, hoc etiam vel in primis eius gratiae incomparabili referimus acceptum, quod, pulsa iam pridem insolenti barbarie, instauratas, cum ipsa religione puriori, bonas artes et scientias diuinitus concesserit orbi, earumdemque in scholis et academiis facilius acquirendarum vberrimam rationem bonis omnibus suppeditarit. Vestra cum aliarum academiarum haec sunt gaudia commodaque non exigua, quod, deo dante, ac principum musagetarum singulari beneuolentia, vberrimis immunitatibus et priuilegiis laetari potestis, atque adeo quibuslibet oneribus, quae aliis in rep. vel inuitis incumbunt, non minus belli quam pacis tempore, penitus exemti ac liberi, honestis tantum studiis intenti, otio liberali et iucundissimo, nec sine quadam insigni voluptate animi, quam auspicatissime res vestras agere, viribusque coniunctis facilius et commodius, cum salute publica, liberalium quarumque artium et elegantioris litteraturae incrementa promouere consueuistis. Haud immerito hinc summo numini, felicitatis vnico statori et seruatori, iam sollemni ac seculari festo, maximas pro beneficiis omnibus, integris duobus seculis, etiam quotidie horisque singulis, in immensum accumulatis, agere gratias instituistis: vt ora simul omnium in iubila gaudiaque resoluta videantur. Nos autem, gaudiorum eorumdem participes, idemque iubilaeum inter bona verba votaque calidissima vobiscum celebrantes, nobismet ipsis, procul, ac si coram cerneremus, accurate omnia contemplari videmur, ac nostris quasi perlustrare oculis, quae maximam hilaritatem produnt. E longinquo nobis persuademus, quasque simul apparere delicias et supplicationes vestras; inter buccinas, et nablia, et tubas, concentum plane diuinum auidas recreare aures nostras; animorum nos attentione pia auidius excipere ac intelligere satis castigatas ad eloquentiae et sapientiae normam orationes; poetarum dulcia carminibus variis certamina exaudiri; omnium adplausus, omnium congratulationes, serias omnium et ex animis profectas acclamationes, omnium preces ardentissimas sensibus clare satis percipere, ac votis communibus obsignare nostris. Hic profecto festorum secularium scopus est, vt deo T. O. M. maximae pro beneficiis tempore longo continuis et innumerabilibus gratiae agantur: benefici numinis summa clementia praesidiumque ingens concionibus publicis laudentur: prin-

principum indulgentiſſimorum liberalitas ac virtutes, vt decet, commendentur: illorum quoque magnatum atque procerum, quorum ſaluberrimis principes plerumque vtuntur conſiliis, in litteras et litteratos merita efferantur: virum quoque doctiſſimorum pietas atque conſtans, in propaganda veritatis et ſapientiae doctrina, ſtudium et ratio ſimul, ac priſtini temporis ignorantia craſſa et barbaries, cuius intolerabili onere ſaniores nunc liberati ſunt, omnibus ante oculos ponantur. O boni atque dilecti deo! merito iam omni ſuperata barbarie, poſt victoriam, quam reportatis ab ignauia, pulcherrimam iuſtamque, ludos poteſtis edere triumphales, ac fauſta vobis promittere omnia. Euidentiſſimum habetis gratiae ac miſericordiae diuinae argumentum: vt nos quoque, bonis commodisque veſtris excitati, eorumdemque gaudiorum participes, non poſſimus non felicia laetaque ominari et apprecari vobis, quorum merita ampliſſima ſemper ſuſpeximus, nominaque celeberrima, pro ea, quae inter nos interceſſit, amicitia, et amoris mutui neceſſitudine, venerati ſumus. Haec autem noſtrorum votorum ſumma eſt, vt pridem confirmata Salanae academiae felicitas et gloria ſubſiſtat pluribus ſeculis atque perennet. Fortunam hanc ipſi nobis praeſtare debemus: atque vtinam quietis temporibus eamdem magis aperte inuicem gratulari, ac litteris, ſine quibus viuere mors eſt, certare, vt litteratos decet, i. e. amiciſſime poſſimus.

Ad vos ergo nunc mea ſe conuertit oratio, ſereniſſimi principes et Saxoniae duces, quotquot, in hunc vſque diem, florentiſſimam ienenſium academiam, incomparabilem ac nobiliſſimam muſis ſedem, liberalitate ac munificentia veſtra conſeruare voluiſtis. Muſagetas vos veſtramque virtutem omnes vbique, et longa poſteritate, qui litteris bene cupiunt, ſummis euehent laudibus, et veſtram eruditionis omnigenae ſplendidam officinam, ſub indulgentiſſima principum optimorum protectione, felicem praedicabunt. Agnoſcimus et laudamus vna cum ciuibus vobis ſubiectiſſimis, omnibus inſerendam annalibus, veſtram in Salanas muſas beneuolentiam, virtutem ac prouidentiam: qui in ipſo ferali et atroci bello, quo, proh dolor! iam in pluribus Germaniae prouinciis, incertum praeſidii an exitii ferendi nomine, irrumpentes copiae, rapinis, caedibus, incendiis, terroribus et comminationibus, impedimentis et intolerabili exactione, omnes nocendi vires explicare videntur, pacis quam maxime ſtudioſi, mitigare hoſtes, et calamitatem quamcumque imminentem, iuxta deum vobis propitium, auertere ſingulari prudentia conſueuiſtis. Deus vos ſeruet quam clementiſſime, veſtraque fortunet conſilia, vt ſucceſſus

inde feliciſſimos ſemper ac diutiſſime vobis gratulari poſſitis. Pergite, vt facitis, ad communem patriae ſalutem, viribus coniunctis, veſtram ſeruare, tueri, augere academiam, qua maiores etiam veſtri, memoriae beatiſſimae, profiteri non dubitarunt, κειμήλιον in terris ſuis melius praeſtantiusque non habere: vt, ſaluis principibus indulgentiſſimis, ſalui ſint omnes docentes atque diſcentes in florentiſſimo ſeminario: vnde magna copia ſumendi ſint viri, quibus ad maiora commoda et patriae ſalutem perennem, ſemper munerum publicorum praecipuas partes mandare poſſitis.

Omnipotens atque miſericors deus, ſapientiae, felicitatis et omnis boni fons inexhauſte! quam deuotiſſimas tibi, vt debemus, maximasque agimus gratias, quod non ſolum hanc rintelienſem noſtram, verum etiam ienenſem florentiſſimam academiam in hunc vsque diem clementiſſime conſeruaſti. Serua in poſterum quoque, tuere, auge, et orna vtramque. Serua principes litterarum ac litteratorum amantiſſimos: vt, ſingulari tua gratia per omnem, quae iam penitus eſt oppreſſa et miſerabiliter afflicta, Germaniam pace reſtituta, continuo laetari et optime de patria mereri queant. Serua iuſtos et aequos ſolidioris doctrinae arbitros, ſtatores, et maecenates, vt pro meritis, eruditiſſimi quique omnium ordinum viri iuuentur, neque deſint academiis olim, qui ſalutem publicam quouis modo promouere posſunt ac lubentiſſime volunt. Serua docentes atque diſcentes vera pietate, ſapientia, virtutis vt litterarum ſtudio ac filiali timore et amore tui: vt artes bonae facilius vbique ac felicius, ad diuinam nominis tui gloriam, patriae ſalutem, atque plurium commoda, perdiſcantur. Inprimis, o deus! pro ſapientia et ſanctitate tua, fac hodie vt academia Salana, cuius nobiscum vna voluptas, auſpicato ac feliciſſime tertium a fundatione ingrediatur ſeculum, creſcat, vigeat, floreatque ſemper: fortiſſime nobiscum illam tuere, fortuna, et ab omnibus doctrinae, pietatis, et elegantiorum litterarum hoſtibus inſultibusque barbarorum ſecuram, intemeratam et inconcuſſam praeſta: vt poſthac etiam ſemper in ea omnes eruditionis, quae cum pietate ac timore domini coniuncta, ſolidioris aeternare famam, atque ſtudio indefeſſo merita in dies meritis cumulare numquam deſinant.

*Plaudite, Caſtalides: ſchola vobis cara ienenſis*
*iubilat, exſultat, ducentis perſtitit annis,*
*atque fauente melos gratum iam numine cantat.*
*Confeſtim votis flagrantibus addite vota,*

felix

*felix vt posthac gaudens florensque perennet,*
*numinis omnipotentis grandia munera laudet,*
*tempora sentiat optatis laetissima semper,*
*festaque multoties ludis seclaria pandat.*



# ORATIO
## LVDOVICI HENRICI SCHROETERI
DRESENENSIS
LEGVM ELEGANTIORVMQVE LITTER. CVLT
## IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
HABITA

Cvm sit academiarum eadem inter ipsas, quae litterarum ratio idemque habitus, optimarum vero artium arctissimum vinculum et mutua quaedam coniunctio: dubitandum non est, quin etiam domicilia sapientiae litterarumque officinae, studiorum laborumque consensione finisque propositi similitudine conueniant, et quasi cognatione quadam contineantur. Quo fit, vt in academia hac nostra quisque id studiose secum meditans, ienensesque plausus seculares e longinquo percipiens, statim, quid suarum sit partium videat, atque in societatem istius laetitiae venire cupiat. Tanto mihi vestra, auditores, humanitas singularis exploratior est, quae facilitatem illam de litteris litterarumque cultoribus praeclare merendi, recipit mihi ac spondet; si, quantum possum, tentauero, ne tacito mihi, aut officii erga maiores parum memori hic dies illucescat, qui vnus tot dei munerum me admonet, et celebrandus cum summa pietate, tum studio haud vulgari videtur. Quae enim per duo secula fama gloriaque floruit, ienensium academia, diuino munere hunc natalem suum inter sollemnes caerimonias rite transigit, singularemque dei immortalis rerum omnium gubernatricem prouidentiam veneratur et colit, qua ante hos

ducentos annos, magnis rei Lutheranae incrementis, conſtituta fuit ac dedicata. In quo quidem, ſi tempora iſta cum praeſentibus comparaueris, magnam vtrinque conuenientiam deprehendas, ſaxonicas gentes variis tempeſtatum fluctibus agitatas, et tranquillitatis ſecuritatisque portum anhelantes, nec tamen a ſuo curſu, quo in verae religionis ſapientiaeque cultum ferebantur, vsquam retardatas; maximos bellorum tumultus armorumque ſtrepitus vndiquaque frementes; ſuum tamen litteris honorem habitum; rerum denique omnium ſtatum periculoſae aleae plenum, nec diuinae vero gratiae miſerationisque documentis deſtitutum. Horret animus meminiſſe iſtorum temporum calamitates, cum belli, vti vocabatur, ſmalcaldici incendium totam pene Germaniam corriperet, et noſtram Saxoniam in primis deuaſtaret. Nemini obſcurum eſſe poteſt, qui tantummodo leuiter a rerum geſtarum cognitione inſtructus eſt, quot aduerſa pertulerit, quam triſtem rerum ſuarum fortunarumque commutationem ſubierit elector Saxo, IOANNES FRIDERICVS, cum pia recordatione tantae virtutis et fortitudinis, hic nominandus. Nouimus eum funeſtiſſimo bello implicitum, ab imperatore imperii hoſtem iudicatum proſcriptumque; nouimus eum maxime debilitatum et amiſſis viribus fractum; tota prope Saxonia, quam tenebat, vel direpta, vel imperatis tributis exhauſta, copiis vero infelici praelio ad Muhlbergam fuſis; nouimus eum denique de dignitatis electoralis gradu deturbatum, captum et in cuſtodia etiam retentum. Quaenam, rebus ita comparatis, fuerit emendatae LVTHERI miniſterio religionis facies, facillime poteritis exiſtimare, auditores. Tunc temporis quippe doctrina ſalutaris a ſuperſtitionum ſordibus perpurgata, nutanti ac propemodum prolabenti ſimilis videbatur; lux diuinae ſapientiae, quae vix dum purior effulgere coeperat, denuo obſcurari et tantum non exſtingui credebatur: cum, veluti disiectis fulcris, praeſidio ſuo orbaretur, principibus, qui eam fouebant, aliis captis, aliis ad partes aduerſariorum pertractis. Quo in loco licet deuota mente mirari atque venerari occultas diuinae prouidentiae vias, quae mirabili modo afflictis auxilia tum praeſtat, cum homines praeſentis mali ſenſu perterriti, res ſuas pro perditis et deſperatis habent. Elector enim pius omni cogitatione in cauſſam diuinae veritatis tuendam et ciuitatis ſacrae ſalutem reſtituendam intentus, in cuſtodiae ſolitudine, cum ſpatium meditandi haberet, ad condendam nouam academiam animum adiecit, quae bonarum artium litterarumque ſedes atque inſtauratae religionis apud ſuos munimentum et praeſidium eſſet opportunum. Circumſpiciendus hic erat aliquis vir eruditus,

ditus, cuius consilio vteretur optimus princeps. Florebat vero illa aetate magna doctrinae fama IOANNES SCHROETERVS, medica arte in aula imperatoria clarissimus. Qui, quod operam suam industriamque FERDINANDO I regi romanorum, et postea imperatori, in academia vindobonensi in pristinum restituenda probarat, et quod electoris ipsius ditioni subiectus erat, quippe Vinaria ortus, protinus ad electorem arcessebatur. Hic est ille vir laudatissimus, atque de academia ienensi immortaliter meritus, qui operi manum admouens, feliciter illud perfecit. A cuius stirpe oriundus ego, id mihi datum esse negotii existimaui, vt in sollemnia academiae ienensis, parca licet manu, flores spargens, ataui mei memoriam renouarem, virtutibusque eius monimentum aliquod debitae pietatis ponerem. Melius est, scio, laudata facere, quam a laudatis viris ortum habere. Nec diffiteor, fumosis maiorum imaginibus non ad inanem ostentationem, sed ad imitationem vitae, cum virtute agendae, vtendum. Itaque laudes et merita IOANNIS SCHROETERI, dum commemorare instituo, ita faciam, vt quasi in speculum propositum intuens, praeclare factorum inde mihi exemplum sumam. Quo ductus animo, verba faciam de seculari academiae ienensis altero, laudum IOANNIS SCHROETERI natali. Prius vero, quam ad propositum venio, respicio ad vos, auditores omnium ordinum atque dignitatum honoratissimi, quorum eruditio, dignitas, amplitudo mihi alias admiranda suspiciendaque est; nunc verenda, quae hoc, quod proposui, argumento, hac ad dicendum data occasione, nil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, a me requirere videtur. Doleo autem, meae imbecillitatis conscientia, ad memoriam meritaque SCHROETERI clarissimi, ad sollemnium, quibus Iena in plausus et publica gaudia effunditur, celebritatem, ad vestram denique exspectationem, parem dicendi vim et facultatem afferre me non posse. Sed recreat me et reficit vestrae comitatis humanitatisque recordatio, quae iudicii rigore tirones non deterrere, sed lenitate atque facilitate ad audenda maiora excitare consueuit. Dabitis ergo honori academiae ienensis inclutae, dabitis memoriae viri, vt facile apparebit, eruditissimi summique, dabitis denique meae in atauum pietati, vt meos labores fauore, indulgentiaque haud indignos iudicetis.

Seculare ienensis academiae alterum, IOANNIS SCHROETERI natalem gloriae dum dico, neminem vestrum praeteribit, scriptorum politissimorum consuetudine, natalem eum praecipue diem vsurpari, quo quis in lucem editus est, quique, recurrente anni orbe, more veterum nostroque hodierno, religione quadam coli solet sanctiorque haberi. Coepit idem insti-

inſtitutum deinceps aliis rebus factisque accommodari, iis inprimis, quae ad memoriam inſignes eſſent, aut ex quibus fructus aliquis vel ad vniuerſitatem, vel ad ſingulos homines perueniret, cum ſingulari quodam gaudio coniunctus. Sic Romani veteres, amplitudine imperii maieſtateque vrbis ſuae ducti, quod Roma totius putabatur terrarum orbis caput, quotannis diem illum celebrabant, quo primum condi et exſtrui coeperat, eumque diem natalem vrbis appellabant. Nec minori pompa natalis imperii illo celebrabatur die, quo imperatores ſummae poteſtatis clauum et gubernacula capeſſierant, vt eſt apud Eumenium, panegyricum Conſtantino dicentem. Quod publice factum, priuatim Tullius eſt imitatus, qui vocem natalis a prima et propria ſignificatione ad alienam traducens, ea tunc vtitur, quando memoria illius diei erat recolenda, quae in omni vitae curſu ipſi fuerat laetiſſima atque honorificentiſſima. Cuius diei laetitia magnopere exultans, qui eum amicis, genti, patriae reddidit, Atticum vult in id praecipue incumbere, vt diem natalem reditus ſui in aedibus eius amoeniſſimis cum ipſo et cum ſuis, agere iucunde poſſit. Maiorem ſanctitatem habent natalitia martyrum, in antiquorum rei chriſtianae patrum monimentis, laudibus condecorata iuſtis, quibus non ille dies indicabatur, quo nati, ſed quo cruento abrepti ſupplicio et ad beatorum aeuum translati fuerant, vt pluribus docet Sagittarius, acutiſſimus antiquitatis ſacrae inueſtigator, idemque in praecipuis academiae ienenſis ornamentis numerandus. Plures natales, quos commemorare poſſem, natalis adoptionis, quem Spartianus in Hadriano praedicat; nec minus natalis Salutis, ille, quo templum dedicatum fuit Saluti; ipſeque dies ſupremus, quem tantopere mortales reformidant, aeterni natalis grauiter dictus Senecae. Quam limatioris latinitatis conſuetudinem ſecuti, SCHROETERI natalem vocamus, non quo in lucem editus eſt, nec quo exſplendeſcere primum coepit; ſed quo memoria eruditionis virtutisque ipſius potiſſimo iure renouatur; quo officia ſtudii, pietatis, operae, imperatori, electori, principibusque Saxoniae praeſtita celebrantur; quo merita eius, quae in eruditum orbem, in academias vindobonenſem, ienenſem maxime, ſumma exſtiterunt, commendantur; quo quaſi fama gloriaque nominis ipſius, in animis ſcriptisque eruditorum nunquam obliterata penitus, grata recordatione ſpiritum reſumit et quaſi reuiuiſcit. Propoſitum vero noſtrum dum pro viribus ſtudemus exſequi, facimus id, quod Seneca, ille ſapientiſſimus morum doctor, de ſe praedicans, quidni, inquit, magnorum virorum et imagines habeam, incitamenta animi, et natales celebrem? Neque inuenietur occaſio

casio melior et illustrior, quam cum secularia academiae ienensis redeunt, quod de natalibus primaque origine huius tam illustris musarum sedis cogitare nemo potest, SCHROETERVM simul meminerit, instituta illius quaeuis salutaria consilio, auxilio, re iuuantem. Proponite vobis ante oculos, auditores, IOANNEM FRIDERICVM, electorem, vario modo grauissimisque casibus afflictum, dignitate sua exutum, distractum a suis, et Villaci in Carinthia, publica constrictum custodia. Contemplamini eumdem, iniuriam temporum, acerbitatem fortunae, molestiam libertatis amissae, si a sanctae deoque confisae mentis sensu recedis, solis litterarum studiis lenientem et abstergentem. Ab iis poterat nullo modo auelli, fidelissimis comitibus et amicis. Haec animi bona non poterant ipsi eripi, haec aduersis perfugium praebebant, haec suauitate sua aerumnas omnes mitigabant. Neque ad animi tantummodo delectationem, suam in litteris positam diligentiam referebat, vt facere nonnumquam solent principes virique summo loco nati, qui si animum ad litterarum studia appellunt, fallendi temporis caussa, ea tractant. Alia mens erat principi laudatissimo. Amabat et colebat litteras eo consilio, vt gloria diuini numinis amplificaretur, vt sancta fides religioque firmaretur, vt omnis vitae cultus consuetudoque melius rectiusque instrueretur. Qua quidem excelsa mentis agitatione incensus, de condenda ornandaque noua academia cogitauit, in consilium adhibito SCHROETERO nostro. Est sane hoc non leue indicium virtutis, prudentiae, existimationis, quando ipsi summi principes de integritate dexteritateque alicuius viri persuasi, fiducia sua in ipsius ministerio collocata cohonestare eum non dubitant. Quod accidisse Schroetero nostro non semel in vita, scimus. Constat enim inter omnes, id quod refert Brendelius, successor muneris ipsius et discipulus antehac, postea quoque laudator funebris, SCHROETERVM cum adhuc Vitebergae degeret, mandata a quodam summo Germaniae principe accepisse, vt de rebus maximi momenti, quaeque religionem et conscientiam, ipsamque salutem aeternam respicerent, cum beato LVTHERO coram ageret, atque e viro rerum diuinarum prudentissimo sententiam sciscitaretur. Sed eo amplius, in academiam vindobonensem delatus, et in aulam ipsius imperatoris euocatus fuit, vt grauissimum honorificentissimumque munus curandae tuendaeque valetudinis imperatoris susciperet. Quanto minus est mirandum, quod IOANNES FRIDERICVS, cum ad academiam condendam omni ferretur cogitatione, fama commotus SCHROETERI, oculos in eum conuertit, eum ad se inuitauit, vt consilii sui fieret particeps operamque ipse

ipſe huic negotio nauaret. Noſter enim non illorum auxit medicorum numerum, qui vulgari cognitione contenti, medendi ſcientia et vtilitate artis ſuae ſtudiorumque terminauerunt modum. Nobilioris ingenii accendebatur igniculis. Ad maiora adſpirabat, nec tritam a multis viam inire volebat. Dictis vt fides conſtet ſua, hoc tantummodo afferre ſufficiat, eum ita ab optimis artibus inſtructum fuiſſe, vt Melanchthonis diſcipulum agnoſcas. Philippus enim noſtras aſſiduum conſtantemque habuerat auditorem; quem liberalibus ſtudiis egregie non expoliuit modo, ſed, vt erat perſpicaciſſimus ingeniorum cenſor ac iudex, in oculis tulit mirificeque adamauit. Dignus diſcipulus tali magiſtro, dignus magiſter diſcipulo tali. Habet ab iſto praeceptore ſuo amorem diſciplinarum philoſophicarum, quas excoluit diligenter, debet huic ſtudiorum humanitatis et eloquentiae laudes, a quo ſine dubio ad euoluenda et legenda ſedulo veterum romanorum graecorumque monimenta excitatus eſt. Inde factum, vt inprimis lectione Ciceronis delectaretur, quem numquam fere e manibus depoſuiſſe dicitur. Studiis humanitatis ipſius etiam tribuendum erat, quod bis ad rectoris ſcholaſtici munus acceſſit. Primum Stampſae, in comitatu tirolenſi, obſcuro loco, ab Oeniponte haud procul diſtante, poſthac in illuſtriori, Vindobonae. In quo mirabilem varietatem et in rebus humanis vim mireris, vt, qui tantis muneribus praeficiendus erat, a tam paruis initiis proficiſceretur, qui ad tantam aularum et academiarum lucem peruenturus erat, ei primum in inferiorum ſcholarum vmbraculis deliteſcendum eſſet. Poſſemus magnum cumulum afferre medicorum clariſſimorum, qui rectores ſcholarum, magno publicae rei vſi fuerunt, ſi eorum inire numerum vellemus. Commemorandus foret Hieronymus Wildenbergius, Goldberga in Sileſia oriundus, qui, cum ſenatus, conſilium eius ſecutus, in patria vrbe ſcholam inſtitueret, conditionem accepit, eique ſcholae per octo annos cum laude primus praefuit. Atque haec eſt eadem illa ſchola, quae paullo poſt in gymnaſium mutata, Valentino Fridlando Trotzendorfio rectore, tot ingeniorum fuit feraciſſima. Nominandus Ioachimus Vadianus, Sangallenſis, villacenſis aliquamdiu rector, poëta et orator inſignis. Nec praetereundus Melchior Fendius, torgauienſem qui primum, poſt plauienſem variſcorum ſcholam rexit, tandem quadraginta annos medicinae et philoſophiae hic Vitebergae profeſſor. Perſtringam caeteros, quos altius video eſcendiſſe, Gisbertum Longolium, vltraiectinum, in ſchola dauentrienſi, Hadrianum Iunium, Hornanum, in harlemenſi,

mensi, Iacobum Bordingum, antuerpianum, in carpentoractensi, Conradum Gesnerum, tigurinum, in schola patria, Ioannem Pincierum, in gymnasio herbornensi, Casparem Barlaeum, in amstelodamensi, Olaum Borrichium, in hafniensi, Ioannem Christophorum Wenzelium, in gymnasio primum altenburgensi, deinde zittauiensi, et quem primo loco nominare oportuerat, Andream Riuinum, in filiis et nepotibus maximam laudem adeptum. Glorietur igitur iure alma nostra bonarum artium parens Viteberga, quae hunc filium in sinu gestauit, fouit, aluit. Vel hinc iam vetustas huius meritorum erga illos, qui Ienam primum, tanquam noua religionis et eruditionis lumina, exornarunt, doctores aestimetur; si vitebergica tum fama, praeter tot alios homines excellentes, ad cursum gloriae sempiternum in omnes partes dimissos, censenda quoque fuit hoc ipso SCHROETERO, disciplinae huius alumno. Bis enim Vitebergam se studiorum caussa SCHROETERVS contulit; primo quidem statim, vt numburgensi e schola discesserat; iterum postquam munus stampsense deposuerat, A. P. C. N. CIↃIↃXXXXIII. Vbi non LVTHERVM tantum et Melanchthonem studio religionis, et politioris humanitatis caussa, adsectari et obseruare consueuerat; sed ob praestantiam in arte medica, Iacobum quoque Milichium, et mathematicum eximium, Erasmum Reinholdum familiarius colere, et illorum disciplina vti, instituebat. Biennio demum inter haec absumto, summos philosophiae honores adeptus, Vindobonam repetiit, vt a Matthia Cornace, Francisco Emerico, et Wolfgango Lazio, viris summis, neque ab splendore aulicorum munerum minus, quam gloria ex medicina illustratis, quotidiano in conuictu, vtpote a Melanchthone commendatus, ea acciperet, quibus et arti, quam profitebatur, summa manus accederet, et reliquarum, quas persequebatur, litterarum sitis expleretur. Vnde et admirationi esse, et in celeberrimis medicis poni coepit: scholae etiam prouinciali per triennium praefectus. Tandem, vt eius proficiendi cupiditati nihil satisfaciebat, quamdiu superesset, quod aliunde adhuc perfici posset, academiae patauinae celebritas, et Ioannis Baptistae Montani praesertim fama ipsum in Italiam vocarunt. Ibi ab A. C. CIↃIↃXXXXVIIII biennium moratus, inque studiorum exercitationibus animo obsecutus est, donec Vindobonam reuersus, artis salutaris doctor crearetur. Quibus honoribus sese dignissimum oratione commemorabili demonstrauit, in qua eum demum hoc nomine dignum medicum fore, qui mathematicis sit doctrinis instructus, fusius persecutus est, Hippocratis iudicio et Galeni praeter caeteros vsus. Eadem, in aede Stephani

recitata, cum suffragiis exciperetur cunctis, in lucem postea prodiit, Christophori Stumi, neuburgensis praepositi coenobii nomini inscripta, tum probitate morum doctrinaque florentissimo. Quamquam autem, sicut tum erant tempora, mathematicae scientiae arctioribus, quam nunc, limitibus definiebantur, variisque diuinationum generibus indulgebant, SCHROETERVS tamen non spernendos inde fructus percepit, et geometriam praecipue, in corpore humano dextre scienterque resecando, commendauit, Galeni, Vesalii, Lazii cohortationibus exemplisque excitatus. Ingenium tam solers latere diu non potuit, quin eueheretur altius, ac, medicinae tradendae partibus impositis, ornaretur. Quod tum maxime accidit, cum FERDINANDVS I nouum conciliare splendorem academiae suae vellet, ac triumuiros, Franciscum Emericum, Wolfgangum Lazium, IOANNEM SCHROETTERVM, vt publicorum monimentorum scriptura nomen eius expressum legitur, artis salutaris praeceptis, publice tradendis, praeesse iuberet, liberali stipendio ex aerario concesso. Aucta SCHROETERI fuit dignitas non solum FERDINANDI I sed etiam MAXIMILIANI II tum archiducis Austriae, romanorum postea imperatoris, iudicio, quo illum, felici artis successu spectatum, ad curam valetudinis suae gerendam aduocarunt. Quis igitur melius inseruiret operi, quod meditabatur IOANNES FRIDERICVS? A quonam poterat potiore iure exspectare prudentiam in consiliis dandis, scientiam instruendae ornandaeque optimis institutis academiae, integritatem in omni opere exsequendo? Sic se gerendo princeps immortalis memoriae, FRIDERICVM electorem expressit imitatione, nomine ac re SAPIENTEM dictum comprobatumque, cuius fama atque gloria nulla seculorum obliuione obscurabitur, qui diuiniore instinctu excitatus erat, vt negotium salutare repurgatae religionis, auctoritate sua iuuaret, cui hoc nostrum sapientiae et bonae mentis domicilium fundamenta originis et praesidia stabilitatis debet. Cum hic FRIDERICVS, princeps laudatissimi exempli, huius nostrae academiae fundamenta iaceret, in consilium itidem adhibuit virum doctum, Martinum Pollichium, Mellerstadium a patria appellatum. Est hic cum nostro SCHROETERO multis modis comparandus. Vterque medica facultate clarus, Saxoniaeque principibus acceptus; vterque academiae condendae consiliis seruiit; vterque in noua academia dignitatem rectoris primus gessit. Considerate hic et veneramini mecum, Auditores, praecipuam in Saxoniae principibus gloriam, quam a maioribus suis hereditate relictam habent, vt, in summo quamuis fastigio honoris et felicitatis humanae collocati, colant

lant et respiciant litteras, vt ipsi ad capiendum doctrinae atque ingenii cultum promti et alacres sint, vt doctos homines in pretio habeant. Diximus pauca de FRIDERICO SAPIENTE, qui quantopere studia litterarum amauerit, hoc habemus certissimum documentum, quod filiam reliquit, patri non solum superstitem, sed immortalem fama gloriaque futuram, academiam hanc nostram. Quam dedita vero opera ipse inter caeteras artes historiam omnis aeui coluerit, splendidum eam principum scholae nomen mereri, exemplo suo docturus; vel ex solo elogio apparet, quo magni illius FRIDERICI memoriam posteritati commendauit BVDERVS rerum gestarum in academia ienensi doctor, per orbem eruditum, quacunque patet, longe celeberrimus. Huic, qui in principatu et iure eligendi germanorum imperatoris successit, IOANNES CONSTANS, pari fauore et indulgentia amplexus est liberales disciplinas. Quod, cum ex multis eius institutis satisque patet, tum praecipue ex eo est clarissimum, quod filios suos a meritissimo illo Georgio Spalatino ita institui et educari curauit, vt inprimis bonis artibus ad humanitatem imbuerentur. In quo quidem nihil mouebatur obtrectatione aulicorum maleuola, qui clamoribus inconditis criminati, quid! inquiunt, vis ex principibus iuuentutis vmbraticos et obscuros homines facere? vis, vt tantummodo libris incumbant? vis, vt consuetudinem hominum fugiant? Cur non potius exercitationibus equestribus eos iubes assuefieri et subigi? Sed prudentissimus princeps insolentiam eorum et cauillandi libidinem sic comprimebat, vt diceret, equo insidere et feras insectari venatione, ex se quemque discere, hinc fieri, seruuli sui vt has artes calleant; at vero imperare hominibus, regere bonis institutis societatem, vt quis addiscat, ad hoc diuina gratia nobis opus esse, doctis hominibus, vtilissimis libris. Hic est ille princeps, qui quam litteras coluerit, ex eo perspicuum est, quod in primis studia sua ad artis salutaris cognitionem adiunxit. Sunt in scriniis bibliothecae gothanae huius electoris volumina tria, in membrana accurate scripta, in quibus congessit omnia ea, quae in medicinae vsu ipsi memoria digna visa fuerunt, vt Cyprianus, summus theologus, refert. Sic imperatorem Getam accepimus, Sereni Sammonici libros familiarissimos habuisse, et Mithridatem, Ponti regem, praeter alias artes, medicinae deditum fuisse, cuius commentariis medicis cum praeda regia potitus Pompeius, eos ex graeco latinos fieri iussit. Attalus etiam, Pergami rex, Philometor dictus, commentarios de herbis medicis conscripsit: vt alia studii huic arti a magnis principibus impensi exempla praetereamus, a Plinio et Aeliano

 inpri-

inprimis, ad memoriam posteritatis prodita. Quibus quidem principibus in litteras amorem non concessit IOANNES FRIDERICVS, magnanimus conditor, vti diximus, academiae ienensis, si tantummodo grauissimo Melanchthonis iudicio stare volumus, quippe qui asseuerare non dubitabat, electorem scribendo, meditando, legendo, plus profecisse, quam se ipsum. Cuius rei non leue sane argumentum praebeant filii duo, hanc in vitebergensem academiam, praeceptore et studiorum moderatore Monnero dato, missi, qui hic, praesente patre, orationes habuere, quas, sua postea praefatione instructas, LVTHERVS in lucem protulit. Manet haec gloria atque laus colendarum iuuandarumque litterarum Saxoniae principes serenissimos omnes, vsque ad nostram aetatem; quorum laudatissimis exemplis in pudorem datur rude ac barbarum delicatulorum hominum vulgus, qui non solum principalis maiestatis, sed mediocris saepe fortunae suae conditione inferius habent, operam dare eruditioni comparandae. Haec Saxoniae principum mens atque virtus, a SCHROETERO spectata, eum adduxit, vt his potissimum officia sua praestare atque industriam addicere vellet. Quippe mouebatur natalis soli dulcedine, et vt Alcibiades quondam, a caritate patriae recedere nolebat. Qua in re sui similes habet plures medicos celebres, qui academicam vitam, quietis tranquillitatisque plenam praeferre maluerunt aulicae, turbis variis iisque continuis inuolutae. Petrum constat Lotichium Secundum, poëtam insignem et medicum, in academia heidelbergensi artem salutarem tradentem, dicere fuisse solitum, extra academiam viuere, esse pessime viuere. Quod hic ore et verbis profitebatur, re et facto testatus est medicus alius, Petrus de Spina, archiater primum electoris palatini, quem cum itidem vitae aulicae cepisset satietas, academiam heidelbergensem adiit, professoris medicinae munere functurus. Eadem erat mens et sententia SCHROETERO nostro. Spretis igitur Vindobonae conditionibus magnificis, quae FERDINANDI gloriosissimi munificentia ei offerebantur, e turbulento aulae splendidae mari in tutissimum academiae portum se recipiebat. Ienam vt venit, hanc academiam consilio, ope, prudentia sua adiutrice, ab electore fundatam, optimis institutis sic ornauit et auxit, vt musis gratum secessum commodumque domicilium praeberet. Numquam ienensibus grati animi sensu affectis memoria excidet, quae quantaque fuerint SCHROETERI merita in surgentis academiae res et optimarum artium incrementa, quae cum longum foret enarrare omnia, potiora tantum attingemus, vt hoc redeunte natali laudum SCHROETERI, recordatione

datione iucunda simul repetantur. Inanes et sine caussa suscepti fuissent omnes labores, condendae academiae impensi, et ipsa academia aedificio similis, quod substructis excitatisque molibus, non suffultum, ruinam breui minitaretur, nisi validissimis immunitatum tabulis instructa firmataque fuisset. Hic operam suam interposuit noster, atque, vt eximia iura ab imperatore concederentur academiae, effecit. Hoc demum est recte sapienterque vti gratia indulgentiaque, qua vales apud summos terrarum moderatores principesque, non ad impunitatem flagitiorum impetrandam, non ad opprimendos alios, non ad ambitionem et auaritiam; sed ad commoda generis humani, ad vtilitatem singulorum, ad incrementa litterarum. Nec tamen, vt ad metam hanc feliciter contendas eamque attingas, satis erit, habere mentem bene compositam honestatisque studiosam; nisi incidas in principem, qui similis sit FERDINANDO. Vigebit semper in pectoribus eruditorum hominum gloria nominis huius maximi imperatoris, neque vllo seculorum insequentium decursu intermoritura, qui a Ludouico Viue, iuuenis, doctrina institutus, litterarum amorem in omni vita non deposuit, easque in solio ipso caesareo coluit; qui aulae suae, hominum litteratissimorum concursu, academiae speciem dedit; qui a sacris purioribus animo non alienus, eorum rem haud obscure, nec vna occasione, iuuit. Hic adeundus SCHROETERO nostro, pro academia supplicanti, erat. Hic tandem fidi ministerii, a SCHROETERO sibi praestiti, recordatus, petitioni eius dabat locum, et beneficiis ornabat academiam. In quibus non postremum est ius creandi doctores theologos, denegatum diu, dei tamen gratia et prouidentia singulari, et SCHROETERI ope demum impetratum; quod postea larga et fructuosa vsura ecclesiae viros dedit, fama meritorum, eruditionis, pietatis, immortales futuros, Gerhardos, Glassios, Musaeos, Dantzios, Rusios, alios, quos recenseremus, si liceret nostrum sequi animi impetum, ad venerationem honoremque praestandum viuentibus, nos abripientem; sed verendum foret, ne cum incunabula academiae inspicimus, dulcedine considerandi florentis iam eius status deliniti, ab eo, quem huic orationi proposuimus scopum, longius aberraremus. Pergit SCHROETERVS inseruire commodis academiae, ipsamque in certam constantemque formam redigit, optimisque institutis exornat. Venit hoc loco nobis in mentem Aristidis, cuius pulcherrimas orationes hodieque superstites habemus. Is cum tot beneficia in patriam Smyrnam, a M. Aurelio, et in his ipsam vrbis magnificam instaurationem, post ingentes terrae motus atque innumerabiles ruinas, impetrasset, cre-

 ditus

ditus est, suorum ciuium iudicio, diu iam ante prouidentiae decreto ad id fuisse reseruatus vt, hoc potissimum auctore, ocellus hic Asiae visum lucis recuperaret: cuius rei locuples est testis Philostratus. Consimili prouidi numinis cura SCHROETERVS natus videtur, atque in tanto felicitatis gradu collocatus, vt Ienae lumen afferret, suaque prudentia litterarum sedi, saluberrimis institutis conformandae, perpetuitatem compararet. In describenda autem eius formula, cum imaginem et exemplar aliquod sibi animo concipere vellet, quod imitaretur, nostram hanc vitebergensem academiam elegit, quod illius ratio et consuetudo ipsi erat cognita atque probata. Maximum habet momentum ad gloriam et felicitatem academiarum, eruditio, et laus, et fama doctorum, qui suam doctrinam mansuris ingenii monimentis spargere ac disseminare in orbis terrarum memoriam norint sempiternam, nec opinionem paucorum, sed publicorum iudiciorum honorem, praemium diligentiae nacti sint. Nec aliud is spectans, viros, eruditionis fama praestantissimos, Ienam arcessiuit. E theologis, Erhardum Schnepfium, e iureconsultis, Matthaeum Wesenbecium, qui nostram academiam postea ornauit, tantummodo nominamus. De medicis autem, cum iudicium SCHROETERI esset limatissimum, inuitauit Ienam Laurentium Hielium, affinem postea suum, et Ianum Cornarium. De hoc inprimis Cornario, medicorum filiis notissimo, satis dicturi videmur, si vnicum Thuani, grauissimi scriptoris de eo iudicium maxime honorificum, attulerimus. Is medicum hunc insignem vocat, qui plerisque antiquorum philosophorum, medicorum ac theologorum scriptis graecis editis, ac Latio donatis, a studiosis non mediocrem inierit gratiam. Habuit et adhuc habet academia inde nostra medicos excellentissimos, Cornarii vestigia prementes, eosque graece doctissimos, longa et dignissima successione tanta decora continuantes; quos obseruantia omni colimus et veneramur. Nec vero prospicit solum academiae SCHROETERVS de doctoribus, quos aliunde conditionibus aequis alliciat, sed ipse quoque omnium primus ad docendam medicinam se accingit. Quem docendi principatum etiam aliis in academiis medici tenuerunt, quod in marpurgensi academia primi professi scientias sunt medici celeberrimi, Euricius Cordus, et Helius Eobanus Hessus; in regiomontana, Ioannes Placotomus, hic Vitebergae doctoris dignitate ornatus, et Andreas Aurifaber, typographi nostratis, Ioannis Luftii gener, denique in academia lugdunensi batauorum, Petrus Forestus. Functus est munere doctoris publici ea constantia, fide, assiduitate, vt non solum secundis rebus illud ornaret, sed aduersis etiam afflictisque non desereret. Praeter spem enim opinionemque

que acciderat, vt vrbs ista, alias caeli commendata salubritate, pestilenti quodam sidere afflata, funeribus prope exhauriretur. Quo perculsi malo, cum plurimi fuga salutem quaererent, SCHROETERVS noster remansit, deoque res suas vitamque committens, male affectis hominibus medendi diligentia curaque opem tulit. Quod panormitanis suis in contagionis calamitate praestitit medicus haud ignobilis, Ioannes Philippus Ingrassia, siculorum Hippocrates dictus; quod nouiomagensibus, relicto etiam scripto praeclaro, Isbrandus de Diemerbroeck; quod heidelbergensibus, Ioannes Langius, epistolis medicis celeberrimus; quod denique lipsiensibus suis Augustus Quirinus Riuinus: illud ienenses a fida SCHROETERI opera promptis studiis paratisque retulerunt. At enim non tantum alienae calamitatis misericordia mouebatur, et cladis dolore publicae afficiebatur noster; sed late serpens malum in pignora necessitudinis et affinitatis suae irruere sentiebat, siquidem eum, quem diximus, amantissimum eius collegam affinemque Hielium praematura morte abripiebat. Adeo periculosa in statione durabat constantem animum SCHROETERVS, vt ne tum quidem aliorum exemplo ad discedendum induceretur, quum, praeterlapso duodecim annorum spatio, plerique, ob morbi vehementiam, iterum Ienae multos conficientem, cum ipsa academia domicilium sedemque mutantes, Salfeldiam commigrarent. Quid hic animi constantia efficere possit, LVTHERI didicerat exemplo, qui, furente Vitebergae pestilentia, aliisque fugientibus, solo academiae amore, ipse retinebatur. Illud vero me acrius mouet, quod nostra quoque academia, iam ante ingruente intemperie caeli, bis cum Philippo suo, nutu diuino singulari, Ienam delata fuit, tanta communis Germaniae doctoris exspectatione, vt studiosorum bonarum artium ore peruulgatum dictum esset: vbi Philippus, ibi Viteberga. Sed maiora sunt stabilioraque SCHROETERI in academiam ienensem merita, quibus ad posteritatem dignitas eius proferatur. Principum enim et locupletiorum hominum ipsi beneuolentiam vbique conciliauit, eosque ad liberalitatem academiae varie impertiendam studiose et blande excitauit. Morienti sane vinariensi duci, IOANNI GVILIELMO I auctor suasorque fuit, vt testamentum scribens, rationem haberet academiae; quod et fecit laudatissimus princeps, et octingentos ioachimicos destinauit bibliothecae academicae. Quam summam postea SCHROETERVS ad instruenda medicorum librorum scrinia contulit. Nec inter minima numerandum, quod amplissimum academiae magistratum rector, proue rectore, nouies gessit; de cuius administratione commemora-

morabilia et fastis academiae eius, et historiis de litterarum ibi fatis, quae in lucem editae sunt, continentur. Magna certe cura laudator eius funebris, Brendelius, sat multa memorat, quae secundum deum et illustrissimos principes, vt eius verba habent, Iena ipsi debeat. Quantum quaeso, consuluit SCHROETERVS aedificiorum splendori, qui plurimum valet, ad auctoritatem et gratiam conciliandam vrbi, et ciuium commoditatem. Hinc Iena illum merito perpetua recordatione colit, quod aedificiis ornauit vrbem et ampliorem reddidit. Celebrabatur inprimis ampla domus, sermonis patrii vocabulo burgus SCHROETERI vocata, quae insigne SCHROETERI, scarabaeum prae se ferebat, in foribus exsculptum. Dehinc mola, cella, valetudinarium, aedificia alia, sumtibus SCHROETERI partim fundamentis positis, exstructa, partim refecta. Quae Iena in IOANNE SCHROETERO laudauit et admirata est, eadem Vinaria fratri eius Iacobo refert accepta. Hic enim, quem diximus, Iacobus, Vinariae, consulari dignitate, qua et filius eius neposque successu temporis functi sunt, ornatus, eam vrbem pariter aedibus ornatiorem reliquit, vt IOANNES noster Ienam. Sed ne domus habitatoribus vacent, est in bene constituta ciuitate praecipua laus atque virtus, vt quis numerosam prolem habeat, quod maxime reipublicae salus multitudine ciuium continetur. Est etiam in republica litterata viri ingenio et doctrina praestantis non vltima gloria, si orbi erudito, reipublicae, ecclesiae progeniem dat, laudum aemulam paternarum, eamque honestatis virtutisque omnis studio et amore incensam. Quae laus cui potius conuenit, quam SCHROETERO nostro? aut quando magis praedicanda celebrandaque est, quam cum secularia ienensia fiunt, et cum his arctissimo nexu copulatus tot decorum SCHROETERI natalis, meritorum eius commemoratione peragitur? Filios enim nepotesque aluit SCHROETERVS, egregia doctrina perpolitos, studiorum cultui inseruientes nauiter, et docendae, vel iurisprudentiae, vel artis salutaris munere ornatos. Pater octo liberorum Ioannem filium et Margaretam Sophiam Vindobonae iam extulit; Wolfgangum vero, ad quem ipse genus refero, natum ibidem, Ienam secum adduxit; qui, ad gerendam rempublicam adiecto animo, summos iuris honores adeptus, cancellarium primo mansfeldensem egit; A. C. vero CIↃIↃLXXXIIII a IOACHIMO FRIDERICO, marchione brandenburgico et archiepiscopatus magdeburgensis administratore postulato inter consiliarios aulae adscitus, et dicasterio scabinorum halensium adscriptus, eodem anno obiit, atque ex vxore Catharina, nata Steinmetzia, filium Mauritium, artis salutaris

taris doctorem et poliatrum grimmensem reliquit. Philippum Iacobum, pariter Vindobonae in lucem editum, Iena postea doctorem et professorem medicinae celeberrimum habuit, quinquies purpura academica vestitum. Ioannes, quem Ienae primum susceperat, acerba morte eripitur. Ioannes Fridericus autem, qui alter Ienae fuit natus, aditis academiis patauina, lipsiensi, basileensi, aliis, in hac doctor medicinae creatus, et in patriam redux, eius professor constitutus, academiae semel rector praefuit; postea autem Budissinam euocatus discessit: sed patris post mortem Ienam reuersus, et mox repetita Basilea, summos in iure honores suscepit, et, domi inde vtramque artem exercens, ab adeundo rursus munere publico, quamuis saepius sollicitatus, abhorruit. Quippe cum tanta libertatis sit iucunditas, vt quisque suae spontis esse malit, quam alieno viuere arbitrio. Henricum, natu minimum, ipso ab aditu laudis et honoris obitus immaturus interceperat. Filiam vero, quae superstes patri fuit, Ioannes Steinmetzius, philosophiae ac medicinae doctor et professor lipsiensis celeberrimus, duxit. Quanta mihi dicendi facultas daretur, si progeniem, inde in Saxonia, et haud minima ex parte Ienae quoque claram, persequi liberet? At haec generis nostri copiosa recordatio ab instituto nostro abhorreret, qui pietati tantum erga auctorem eius, cuius prosperam memoriam hic dies seruat, satisfacere constituimus; non tam, vt nobis gratulemur, sed vt nostris gratum animum adprobemus. Tanta tamque praeclara in academiam merita, quae nunc attigimus magis, quam sermonis ornatu illustrauimus, non poterant non praemia sequi amplissima. Deus enim iustissimus, qui cuilibet mercedem tribuit, pro eo, ac meretur; qui conditor et stator summus piorum institutorum omnium est; qui academiam quoque ienensem seminarium tam laetum rei sacrae et ciuilis, potenti dextra sua constituit, sustinuit, fouit; in hunc etiam, qui opera sua industriaque illi profuerat, e copiis benignitatis suae, magnum bonorum cumulum effudit. Maximo huic vitae nostrae auctori supremique diei arbitro acceptum tulit SCHROETERVS noster, quod terminum mortalis aeui, effato Mosis plerisque constitutum, supergressus, viuendi spatium vsque ad octogesimum aetatis annum extendere potuit.

Quid medici scientia, quid herbarum virtus efficiet in conseruanda tuendaque valetudine, nisi propitium dei numen occultam vim suam, tanquam auram salutarem, adspiret? Non desunt quidem, quae in historiis memorantur, medicorum exempla, quibus diuina prouidentia datum fuit, longissimum spatium viuendo attingere, quaeque de longaeuitate illorum scribens recenset Baierus. Ipse Hippocrates, lumen istud medicorum, octoginta quinque,

si aliis credis, centum et nouem confecit annos. Longiorem vitae cursum tenuit is, qui naturam ipsam expleuit satietate viuendi, Marcus Gallus, CAROLI V imperatoris medicus, qui ad centum viginti nouem vitae annos processit. Hac ipsa diuina gratia singulari perfruens SCHROETERVS noster, qua erat pietate in deum, beneficium tantum grata mente agnoscit, deique se totum tradit voluntati. Nec minori felicitate fuit SCHROETERVS in medicina facienda vsus, qua studium de genere humano eximie promerendi nouis accessionibus illustrauit. Magnus enim ad eum quotidie concursus erat aegrotorum, quorum mala, diuina ope adiutus, vel leuauit, vel plane sustulit. Quod idem ex italorum medicis, Bartholomaeo Montagnanae, patauino, ex anglis, Thomae Sydenhamio contigisse dicitur, qui semper fere felici successu, aegrotis opem tulerunt. Accessit his felicitatum generibus, a deo liberaliter ei concessis, alia, coniugii et subolis ipsi enatae, iucunditas. Femina lectissima, quam sanctis matrimonii vinculis sibi iunxit, erat ex nobili gente Capitonum oriunda. Hic quis non recordetur Wolfgangi Fabricii Capitonis, in omnibus scientiae disciplinarumque partibus apprime versati? qui theologiae, iurisprudentiae et medicinae simul doctor creatus, purioris cultus diuini prima fundamenta iecerat Basileae; quemque CAROLVS V imperator augustus, variis legationibus, electoris moguntini nomine susceptis spectatissimum, nobilitatis insignibus ornauit Norimbergae. Post mortem autem prioris vxoris, Basilii Monneri, iurium professoris, decani et procancellarii eiusdem ordinis in academia Salana omnium primi, quem supra principum IOANNIS FRIDERICI et IOANNIS GVILIELMI, filiorum IOANNIS FRIDERICI electoris, aliquamdiu a studiis fuisse diximus, viduam Catharinam, natu Wendiam, in matrimonium duxit, cum qua concordissime vsque ad A. C. CIↃIↃLXXXXIII quo excessit, vixit. Iam si cogitamus propinquitatis et affinitatis vincula, quot magnos homines, fama, meritis, eruditione praestantes, inuenimus? e quibus tantummodo theologos eximios nominamus, ienenses duos, Ioannem Gerhardum et Ioannem Maiorem; viros ciuiles iurisque peritos, Georgium Pontanum, trium Saxoniae electorum cancellarium grauissimum, Lucam Cranachium, illum Germaniae Apellem, Bartholomaeum Reusnerum, ordinis iureconsultorum in nostra academia antistitem, Nicolaum Vigelium, antecessorem marpurgensem, Erasmum Vngepauerum, iureconsultum ienensem celeberrimum, Ioannem Georgium Neumaierum et Ioannem Stromerum, vtrumque itineribus per potiores Europae partes institutis clarum; tandemque medicos duos, Vitum Winshemium, a patria ita dictum, et Petrum Kirstenium, Christinae suecicae postea medicum, priorem


rem graecae, posteriorem arabicae in primis eruditionis laude florentem. Hoc dei erat propitium numen, in SCHROETERO conspicuum, haec munera vere diuina, quae sancta mentis religione semper agitauit et coluit noster. Habet deus inter homines, qui sui vicem gerant rebusque humanis praesint, reges et principes, quorum gratia quomodo floruerit hic veterum laudum exemplorumque tam felix imitator, cognoscere, operae pretium putauerim. FERDINANDVS quidem et qui in eius locum successit, filius eius, MAXIMILIANVS, cognita perspectaque eius virtute et in arte salutari scientia, eum ad se vocarunt, vt valetudinis suae regendae munus ei traderent. Cui praefectus amplissimo loco, alia ornamenta dignitatis et honoris adeptus est, dignitatem comitis palatini ipsamque generis nobilitatem. Prostant tabulae imperatoris, tum quidem regis romanorum, quibus iura et insignia equestris dignitatis ei collata sunt. Erat enim FERDINANDVS augustus cum mitis fautor claritatis, ingenii virtute partae, tum aestimator atque amplificator meritorum tam benignus, vt non haec solum nostro impertiret; sed praemia pro fide et egregiis artibus tributa, immunitatibus etiam, religioni et litterarum honori in nouo earum domicilio ienensi concessis, cumularet. Sic antiquis temporibus medicos iam, quorum ope et adiumento imperatores erant vsi, lautissimis praemiis cohonestatos accepimus. Antonio Musae romani, vt Tranquillus refert, statuam ex aere conflatam statuerunt iuxta signum Aesculapii: eidem totique medicorum ordini AVGVSTVS CAESAR ius aureorum annulorum cum immunitate ab oneribus concessit. Secutus exemplum FERDINANDI, IOANNES FRIDERICVS II dux Saxoniae, quanti SCHROETERVM fecerit, compluribus iisque manifestis declarauit documentis. Ienam veniens, vt sollemni inaugurationis academiae caeremoniae interesset, eamque praesentia sua illustriorem redderet, ad SCHROETERVM nostrum diuertit, domumque eius a fundamentis exaedificatam inuisit. Eandem domum SCHROETERI postea filius princeps electoris IOANNIS FRIDERICI, natu minimus, cum studiorum caussa Ienam adiret, concessit habitatum, inibique animam efflauit. Quanta haec erat fiducia, quam collocauerat in SCHROETERO princeps, vt non vereretur semet ipsum eius fidei atque curae committere? Quanti vero ab aliis hominibus doctissimis aestimatus fuit noster, qui eum in familiaritatem suam libenter admittebant eiusque tum consilio vtebantur, tum ipsi suae doctrinae aperiebant fontes?

Iter suscepit in Italiam, commotus maxime fama academiae patauinae. Quis non gestiat inspicere patriam Liuii, domicilium doctrinae liberalis


beralis, sedem medicorum celebratissimorum, Ioannis Baptistae Montani, qui magistrum suum, Nicolaum Leonicenum, eruditione excellenti referebat, Andreae Vesalii, Gabrielis Fallopii, Hieronymi Fracastorii, et Mercurialis? In hac patauina academia ita versatus est SCHROETERVS, vt eruditissimorum hominum laudem et amicitiam reportaret. Ne diutius vos morer, AVDITORES, commemorandis illustribus viris, litterarum consuetudine ei coniunctis, clarissima tantum nomina liceat numerando percensere, theologorum, Philippi Melanchthonis, Paulli Eberi, Dauidis Chytraei; iurisconsultorum, Ioannis Fichardi, Simonis Schardii, Huberti Langueti; medicorum, Casparis Peuceri, Iacobi Milichii, Wolfgangi Lazii, Iulii Alexandrini de Neustein, Thomae Erasti, Conradi Gesneri, Theodori Zwingeri, Hieronymi Mercurialis; mathematicorum, Georgii Ioachimi Rhetici, Erasmi Reinholdi; philologorum, Ioachimi Camerarii, Ioannis Stigelii, Iusti Lipsii, Hieronymi Wolfii, Guilielmi Xylandri, Ioannis Oporini, Guilielmi Postelli et aliorum. Gloria igitur virtutis comes est, quae eam velut vmbra corpus sequitur, meritaque praeclara, sua praemia nunquam destituunt; vel retribuente deo, qui incorrupto iudicio facta hominum expendit; vel grato hominum animo. Hoc in primis experimento certissimo in te compertum est, beate SCHROETERE. Dum viueres, magna erat eruditionis tuae fama; multis laboribus, vigiliis, itineribus parta; scriptis, ore, facto ipso, declarata. Naturae primum interpres atque studiis physices et mathematices deditus, quibus commoda huius vitae complura debentur, in contemplationem et dimensionem caeli et astrorum incumbebas; in rimandis explicandisque naturae effectis elaborabas; scriptisque ad has artes excolendas magnum adiumentum afferebas. E consideratione caeli descendens in terram, ad scrutandam humani corporis artificiosissimam fabricam, summique conditoris sapientiam inde discendam, animum appellebas; totus in eo, quibus remediis valetudo hominum integra conseruetur, amissa restituatur, restituta firmetur. Dignus igitur eras, quem gratia sua honestarent summi principes, FERDINANDVS I et MAXIMILIANVS II imperatores augusti, elector magnanimus, IOANNES FRIDERICVS, Saxoniaeque duces serenissimi, IOANNES FRIDERICVS II IOANNES GVILIELMVS et IOANNES FRIDERICVS iunior, quorum principum laudes, dum genus humanum virtutem colet, perpetua posteritatis commemoratione florebunt, et litteris gentium atque linguis prodentur aeternitati. Dignus eras, quem Iena inprimis digno cultu prosequeretur, quippe quae consilio, prudentia, doctrina, opera tua, serenissimo conditori

ditori praestita et probata, fundata ornataque est. Hoc die Ienae nomen tuum renascetur grata recordatione meritorum tuorum. Hic secularis dies Ienae, gloriae tuae natalem dabit. Si vnquam, hoc certe die non committet Iena, vt tua apud se memoria vnquam videatur obsoleuisse. Quin, quod Tacitus de Agricola praedicat, maiore ad te iure transferet: quicquid ex SCHROETERO amauimus, quicquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum, velut inglorios et ignobiles obliuio obruet, SCHROETERVS posteritati narratus et traditus superstes erit. Insigne erat cognomen, quod SCHROETERO tribuebatur, vt pater academiae atque vrbis diceretur, propter continentem eius amplificandae cupiditatem. Quam quidem posteri eius hereditate quadam nobilissima videntur accepisse, nati ad alios tuendos, et quoad eius fieri potest, exornandos. Equidem patre SCHROETERO mature orbatus, alium inueni diuina prouidentia SCHROETERVM, animo et amore erga me patrem; quem vt deus potenti manu sua protegat, saluum sospitemque praestet, et omni felicitatis genere cumulet, sanctissima animi religione precor. Atque haec ipsa mihi sola verba nunc faciendi caussa fuit, quod, vt sanguinis iure SCHROETERIS et horum cognationibus atque necessitudinibus obligor vniuersis, sic nihil lubentius ex hac maiorum amplitudine mihi vindicauero, quam ius exempla tot illustria intuendi et merita venerandi. Huc si bonae mentis studio et pietate adspirandi facultas dabitur, ea me consecutum putabo, quae inter tot alia, quorum praestantiam gratus agnosco, meis votis sint potissima. Huius diei adspectum autem iubeat numen clementissimum esse felicissimum fortunatissimumque academiae ienensi, eumque pariter vt prima incunabula, feliciter et tranquille traduci sinat! Audiat et rata faciat vota, quae pro academiae flore, conseruatione, incremento nuncupantur! Conseruet et tueatur hanc religionis et bonae mentis sedem, excultae ingeniis doctrinae domicilium, artium optimarum officinam, nec permittat, eam vllis temporum hominumque iniuriis affligi conuellique! Documenta prouidentiae diuinae circa conseruationem academiae ienensis, a Buddeo, theologo tantae doctrinae, quantae elegantiae, celebrata, eam in posterum nunquam destituant! SERENISSIMIS etiam STIRPIS SAXONICAE, antiquitus per Germaniam inclutae PRINCIPIBVS, quorum celsa in tutela ienenses musae choros agitant, deus immortalis cum incolumitate et veris manentis felicitatis bonis, omnia largiatur, ob quae seuera religionis, sapientiae et humanitatis lege, a genere mortalium pie ipsi supplicari fas sit. Dum vero exterorum laudibus

dibus atque integritati fortunae ſtudemus, reminiſcamur oportet officii, quo patriae obſtringimur. Deum igitur pura mente ſupplicibusque precibus oramus et imploramus, vt noſtram academiam prouidentiae ſuae commendatam habeat, vt hoc diuinae humanaeque ſapientiae ſacrarium, antiqua nominis fama inclutum, prouidentia ſua et praeſenti ope tueatur, graues communium temporum caſus auertat, eamque praeſidio ſuo firmet! Seruet REGEM noſtrum POTENTISSIMVM et SERENISSIMVM, PATREM PATRIAE INDVLGENTISSIMVM, eumque luctuoſiſſima AVGVSTAE CONIVGIS morte vehementer perculſum, ſolatio ſuo erigat, et ſaluum, incolumem, ſecundiſſimis florentem rebus, Saxoniae ſuae propediem reddat! Quo mitior eſt optatiorque tanti regis principatus, cuius iucunditate optimus quisque perfunditur, cuius munificentia artes artiumque domicilia eſfloreſcunt, cuius ſapientia Saxonia fruſtra depreſſa, caput altius effert, hoc maiori votorum contendimus ardore, vt ſummus regnorum arbiter longos beatae vitae annos proroget, et maieſtatem eius publice ſalutarem, quam, compoſitis armis, omnes, qua humanitas patet, venerentur, patriae ſeruatae illuceſcere, fauſti ſideris inſtar, diutiſſime iubeat! Seruet idem propitium numen TOTAM DOMVM AVGVSTAM, nouisque in dies gloriae et proſperitatis ornamentis augeat! in primis PRINCIPEM REGIVM SERENISSIMVM, FRIDERICVM CHRISTIANVM LEOPOLDVM, ELECTORATVS SAXONICI HEREDEM cum MARIA ANTONIA, PRINCIPALIS TORI SOCIA, PAR CONIVGVM, digniſſimum noſtra veneratione, admiratione, ſpe, glorioſiſſimumque AVGVSTORVM ſanguine, virtutum ſtudio, in litteras amore! Sic haec rata et accepta praeſidi et cuſtodi ſalutis noſtrae, DEO OPTIMO MAXIMO vota ſint, ſic ipſe ſuis porro beneficiis faueat, ſic tantis muneribus, quibus in hunc diem Saxoniam cumulauit, addat perpetuitatem: vt haec vna mente vnaque voce omnes mecum boni, officii religione patriaeque caritate ducti, a diuino ac praepotente numine venerabundi ſupplicesque precantur.



ORA-



# ORATIO
# ACADEMIAE GRYPHICAE NOMINE
## HABITA
## A
## TIMOTHEO CHRISTIANO GVIL. OVERCAMPIO
### PHILOS. ET MEDICINAE CVLTORE.

QVOD bonum, felix, faustum fortunatumque rei litterariae deus esse iubeat! dies hicce, qui natalem academiae ienensis, duo ante secula inauguratae, attulit, nobis omnibusque, qui litteras artesque in pretio habent, merito sacer atque iucundus existimandus est. Dum enim illustris athenaei ienensis ouationes et iubila aëra pulsant; dum faustissimo hocce exoptatoque die grata mente laetoque pectore inaugurationis suae memoriam recolit; dum omnes musae ienenses ob tantum hocce concessum beneficium, diuinum numen supplices venerantur; dum ipsam vrbem mutuae gratulationes, suspiria, votaque, laetissimi animi indicia personant; nos quoque, Splendidissimi Auditores, in tanti gaudii tantaeque laetitiae societatem ire, aequum esse duco. Mihi equidem, qui vos in laetitiae huius consortium vocare audeo, maximopere verendum esset, ne temeritatis insolentiaeque iustissimam censuram incurrerem, qui in splendido hocce eruditissimorum et in quocumque scientiarum genere praestantissimorum virorum consessu, in tanta eorum frequentia, quibus plus aliis videre datum est, publice pro rostris verba facere suscipio. Quam exiguae enim res meae sint, et quam infans adhuc in dicendo sim, satis intelligo, nec vllo harum rerum vsu firmatum me esse sentio. Praeterea autem res, de qua mihi dicendum iam est, tantum ingenii flumen,

tan-

tantam dicendi vim requirit, quantam me haud possidere agnosco. Tot enim exsultantium hominum sensus, vti ex mentis recessu sese proferunt, tantum votorum et gratulationis laetissimum strepitum vel animo complecti, res certe non leuis aut exigua est; oratione autem, vti sunt, efferre, fateor non solum vulgarem doctrinam superare, sed iis etiam, qui exercitatiores sunt, non facillimum ad explicandum esse. Quapropter quum munus hocce in me suscepi, haud despero, eamdem caussam, quae alios fortassis deterrere posset, mihi praesidio inter agendum fore, vt maiori fiducia, quod faciendum restat, suscipiam. Non quasi audacior sim caeteris, aut mihi ad obeundum illud paratior esse videar; sed quia humanitas et benevolentia vestra, Auditores Spectatissimi, veniam mihi pollicetur, si quantum potero, non quantum debeo, de summis rebus et ingenio meo maioribus sum verba facturus; idque breuius, quam vel rei magnitudo exigit, vel vestra audientium postulat exspectatio. Qua fiducia veniae vestrae fretus, animum haud plane depono, si ex altera parte ad imbecillitatem meam, ex altera vero ad caussam dicendi, quae me in hanc concionem deduxit, respicio. Nouistis iam A. O. O. H. duo secula elapsa esse, ex quo academia ienensis, celebris illa litterarum omniumque bonarum artium officina, non sine diuinis auspiciis inaugurata riteque dedicata fuit, quum decennio ante ab electore FRIDERICO, at quanti nominis principe! hoc sapientiae delubrum conditum atque exstructum esset. Hic enim non solum diuino nutu ductus, consilia erigendae academiae cepit; verum etiam id, quod sibi proposuerat, diuino fretus auxilio, feliciter tandem perfecit. Quodsi iam cogitetis, quam difficile fuerit istis temporibus, academiam, inprimis ecclesiae inseruientem, condere atque erigere; non est quod dubitetis, diuino consilio Salanam academiam fuisse excitatam. Idque eo magis, quum nemo mortalium infitias ibit, diuinam prouidentiam, quae omnium mortalium res quam sapientissime regit, quae cuncta moderatur atque dispensat, sese inprimis circa scholarum et academiarum fundationem pariter ac conseruationem exercere ac manifestare. Eundo namque per secula omnia, perlustrandoque eas, quae nobis innotuerunt scholas et academias, facile deprehendimus, eas non sine numinis consilio fuisse excitatas, et saepissime inter tot pericula totque discrimina rerum mirum in modum conseruatas, immo propemodum auctas. Id quod cum primis academia ienensis exemplo suo luculentissime demonstrat. Ex quo enim condita illa est, mox caput inter reliquas extulit

quan-

*quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Quo ipſo dum veritas pariter ac ſacrae doctrinae puritas, ipſaque bonarum litterarum ſtudia ingens praeſidium acciperent; non poterant non, qui iſta aegre ferebant, fremere, indignari, maximamque pectore concipere iram. Nec tamen prouida ſummi numinis cura, qua hanc bonarum litterarum ſedem fouit atque tuitum eſt, permiſit, vt ex hoſtium ſuorum, acerbiſſimorum ſane, machinationibus prauisque ad eius interitum comparatis conſiliis quidquam damni acciperet. Quin potius inter tot variorum caſuum, quibus res mortalium inſtar fluctuum agitantur, procellas, interque tot rerum aduerſarum tempeſtates ſalua et incolumis adhuc perdurat, floretque et decus ſuum priſtinum tuetur. Merito igitur hiice diebus, quibus memoriam inaugurationis ſuae recolit, laetatur ob tantum numinis beneficium, nosque etiam in gaudii ſui ſocietatem vocauit. Quid enim aequius eſt, quid magis pietati noſtrae conſentaneum eſſe poteſt, quam vt ſingularem hancce et admirandam diuini numinis gratiam, quae ſe cumprimis in protegendis conſeruandisque ſcholis et academiis mirum in modum manifeſtat, deuota mente celebremus debitisque laudibus euehamus. Exigit id certe a nobis commune, quo omnes litterarum artiumque officinae inter ſe coniunctae ſunt, vinculum; quippe quae in eumdem omnes finem conditae ac conſtitutae ſunt, vt in iis iuuenes ad veram eruditionem, ad omnem vitae honeſtatem felicitatemque conſectandam erudiantur. Habetis ſic, A. O. O. H. fauſtiſſimam illam, quae me ad dicendum impulit, occaſionem, quam me cepiſſe, ſi vel vllo in litteras artesque amoris ſenſu ferimini, haud improbabitis. Patiamini itaque, me de nonnullis circa academiam ienenſem praecipue memoratu dignis, pro modulo ingenii pauca diſſerere. Cauſſa quidem mihi oblata eſt, in qua oratio nemini deeſſe poteſt, et in qua aliis non copia ſed modus in dicendo quaerendus foret. At ſentio, non tantam mihi ineſſe ingenii et eruditionis vim, vt veſtrae, auditores, exſpectationi aliqua ſaltem ratione reſpondere queam; nec tantam dicendi copiam et eloquentiam, vt ſingula, quae huc pertinent, non dicam exornare oratione aut perſequi, ſed enarrare tantum et ordine exponere queam. Neque tamen animum plane depono, quando vos intelligentes aeſtimatores ſuſpicio, dicentis imbecillitatem haud accuſaturos, ſed potius beneuolentia veſtra eam ſubleuaturos. Qua ſpe atque fiducia fretus, in me ſuſcipio, quod maius eſt ingenio meo; et arctius etiam, quam pro amplitudine eius, conſtringo, non omnia perſecuturus, quae in hac cauſſa dicenda ſunt; ſed quae pro temporis ratione ſe animo meo iniiciunt, vt praeteruehi aut tranſilire non liceat: etiamſi a nemine, vt decet,

neque ab eloquentiſſimo amplificari ornarique verbis poſſint. Vos modo mihi faueatis et beneuolas ſermoni praebeatis aures; id eſt, quod ea qua decet obſeruantia ac humanitate oro rogoque enixe:

*Interſcenium muſicum!*

Quoquo verſus animum mentemque circumfero, aut cogitatione fatorum academiae ienenſis ſeriem expendo, omnia quidem magna atque miranda ſe mihi obiiciunt, vt quid referam eligamque quidue omittam, aegre diſcernere poſſim; cuncta tamen, quae huc pertinent, ad quatuor momenta commode reuocari poſſunt. Vt itaque oratio a primis percelebris illius academiae incunabulis proficiſcatur, ea omnium primo commemorare et ob oculos ponere animus eſt, quae circa primam illius doctrinae ac litterarum ſedis originem maxime memoratu digna occurrunt. Quod itaque ad fundationem eius attinet, hac certe, ſi dicendum quod res eſt, nihil admirabilius, nihil notatu dignius eſſe poteſt. Conditum enim eſt hoc doctrinae omniumque bonarum artium auguſtiſſimum ſacrarium ab ſereniſſimo electore IOANNE FRIDERICO, qui maximo licet bello diſtentus, immo in ipſa hoſtium poteſtate cuſtodiaque conſtitutus eſſet, tanto tamen tamque ſingulari paene in ſuos ferebatur amore, vt de illorum potius ſalute, quam ſua liberatione ſollicitus, de condendo erigendoque hocce in locum amiſſae academiae wittebergenſis litterarum domicilio, quod prodeſſe ſeruatis ex naufragio regionibus exiſtimauit, cogitationes ſuſceperit. Dignum profecto tanto principe, cui ſimilem vix orbis vidit, conſilium! Si quid enim iudicio adſequi valeo, certe hanc primariam et praecipuam principis laudem eſſe exiſtimo, ſi non belli gloria ſolum eniti cupiat, verum etiam eiusmodi inſtitutis monumentisque, quae ad res litterarias in maius meliusque prouectas pertinent, aeternitati ſe conſecratum velit. Quid enim dignius principe eſſe poteſt, quam eiectas exſulantesque muſas ad rempublicam reuocare, nouum iis domicilium conſtituere, et quae alibi exſtincta ſunt litterarum ſtudia in ſuis finibus ſuſcitare, eademque integritati ac nitori ſuo reſtituere? Iudicate igitur quaeſo, auditores ſpectatiſſimi, quanta ſit FRIDERICI laus, quod tanta beneuolentia, tamque inuſitato fauore muſas ſuas complexus ſit, vt nouam iis inter belli tumultus grauiſſimos, non ſecus ac in otio et pace, diuinae humanaeque ſapientiae palaeſtram condere atque erigere decreuerit. Belli alias, ſplendidiſſimi auditores, haec eſt natura atque indoles, vt non ſolum, quo fulmen eius peruadit, litterarum cultum deiiciat atque proſternat, ſed etiam vicinos conterreat adeo, vt ſtudiorum progreſſus omnis impediatur, aes in muſas impendendum ad caſtra deſtinetur, et rei nullius

nullius, quam litterariae ſpes minor inter arma relinquatur. An vero credituri eſtis, heic omnia contrario ſe modo habuiſſe, vt quo funeſtius bella in Germania ſaeuiebant, eo magis creſceret cupido excitandae doctrinae pietatisque ſedis? Admiramur merito tantum FRIDERICI vere MAGNANIMI cognomine adpellandi, erga puriorem doctrinam, litteras artesque amorem, quo commotus difficillimis iſtis temporibus, academiam ienenſem, tamquam religionis omniumque bonarum artium aſylum condere ac conſtituere decreuit. Manebit haec profecto perpetua eius laus, omniumque ſeculorum, quae ſequentur, poſteri hocce ingens meritum in ore ferent, et aeternitati, quam meretur, inſinuabunt. Huic itaque ſummo fortiſſimoque omnium, quos vmquam orbis vidit, principum academia ienenſis fundationem et primam originem ſuam acceptam refert, hic deo duce in hanc mentem cogitationemque ingreſſus eſt, vt contra fortunam, hoc eſt, contra communem bellorum ſortem, ſuae ſpei, quam magno animo conceperat, immotus ſecurusque inſtaret, eaque omnia faceret ſtatueretque, quae vix altiſſima quies et diuturnitas pacis proferre potuiſſent. Haec profecto vera et diuinitus adlata fortuna eſt: haec felicitas omnibus votis atque deſideriis praeferenda, quia ſapientiae conſiliis innixa numquam loco ſuo mouetur, ac fructus ſuos communi vtilitati et reipublicae adfert et relinquit poſteritati. Hinc tantum etiam abeſt, vt fruſtra fuerit diuinum hocce egregii principis conſilium. Diuini numinis enim, quod, ſi quid magnum perficiendum eſt, mortalium conſilia regit, conatum adiuuat, progreſſum fortunat, auxilio fretus, opera ſereniſſimorum filiorum ſuorum, id quod ſibi mente propoſuerat, perfecit ſummus hicce muſageta. Condidit itaque in vrbe Iena, quam amoenitate loci caelique temperie et ſalubritate ſeſe commendantem, ſuaſu praecipue atque conſilio Georgii Pontani, cancellarii ſui, et Nicolai Amsdorfii aptiſſimam muſis ſedem exiſtimauit, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo illuſtrem ſcholam, quae decennii ſpatio praeterlapſo ſollemni ritu auguſte ac ſplendidiſſime dedicata ac conſecrata eſt. Vt ſereniſſimi quoque filii laudati oppidi coenobium Paullinum auditoriis futurae vniuerſitatis publice dedicarent, ſtatim primo captiuitatis anno paterne eosdem monuit. Iudicate nunc quaeſo, ſpectatiſſimi auditores, num iſtud bonarum artium et omnis liberalioris diſciplinae ſacrarium, maiorem beneficentiam, fauorem, maioremue curam ab incomparabili conditore ſuo exſpectare et quidem iure exſpectare potuerit. Hic enim illi et per illud toti eccleſiae orbique litterato ea praeſtitit, vt qui maiora iis contribui poſſe dubitet, nihil profecto quod reprehendendum ſit committere

tere videatur. Sed quorſum haec diſputo? Nulla profecto alia de cauſſa, quam vt intelligatis, quantum academia ienenſis meritiſſimo conditori ſuo debeat, vt merito immortales illi gratiae referendae ſint, cuius incredibili curae ac benignitati muſae ienenſes et initia ſua et incrementa et ſtabilitatem poſt deum debere ſe intelligunt. Et profecto etiam heic plauſus innumerabiles, qui in illa muſarum ſede, longe ſatis a nobis remota, efferuntur, voces et fauſtas adclamationes, quae ibi eduntur, vota, quae ibi pro academiarum ſalute, pro earumdem proſperitate concipiuntur, omnem denique congratulationum conuentum laetiſſimumque ſtrepitum mihi exaudire videor, quae in noſtras repercuſſu regiones adlata hanc ciuitatem, hanc academiam, et hoc ipſum quod complemus auditorium videntur perſonare. Neque capit etiam Iena anguſtis finibus ſuis bona verba omnia, ſigna omnia laetitiae, quibus fauſtiſſima hacce luce animi ſui erga deum conditoremque ſuum gratiſſimi ſenſus exprimit. Quantum enim ibi gaudii, quantum laetitiae eſſe exiſtimatis? Sed ad id, vnde digreſſa eſt, reuertatur oratio mea. In academiae huius initiis diuina profecto auſpicia haud obſcuris ſignificationibus perſpecta habemus, nec quisquam, niſi omnium rerum paene ignarus ſit, diffiteri poteſt, iuſtiſſimas illi eſſe cauſſas deum ſummis mactandi concelebrandique laudibus. Vix enim pro iſta temporum conditione fieri potuiſſe, vt ea tempeſtate academia conderetur facile aliquis exiſtimaret; neque negare auſim, multos fuiſſe, qui ſibi ludicra et commenta narrari cenſerent, quum fama ferret, academiam Ienae erigendam et conſtituendam eſſe; ſed id, de quo alii deſperarunt, diuino fretus auxilio feliciter perfecit ſummus fortiſſimusque princeps. Indicio hoc eſt et indubitato plane documento, celebrem academiam ienenſem non hominum conſiliis, ſed diuino potius nutu ac voluntate conditam atque erectam eſſe, vt potius purioris doctrinae praeſidio litterarumque incremento, quam lucri ſordibus aut illiberali quaeſtui captando inſeruiat. Neque aliud iudicare poſſumus, ſi temporum illorum, in quae academiae ienenſis origo incidit, adflictiſſimorum ſane, faciem paullo attentius conſideramus nobisque animo proponimus. Si enim iſtam aetatem animo menteque perluſtremus, tempora ſe nobis offerunt, triſtia, ſqualida, timoris formidinisque plena. Triumphantibus vbique euangelicae doctrinae hoſtibus, quae vix caput ex denſiſſimis et tamquam cimmeriis, quibus inuoluta fuerat, pontificiorum errorum tenebris protulerat iam prope iterum a pernicie abeſſe videbatur. Arctiſſimum enim, quod inter eos, qui fedus ſchmalcaldicum pepigerant ſociatisque viribus pro doctrinae puritate pugnabant, antea fuerat vinculum, iam ruptum

ptum ac diſſolutum erat, omnesque eius ſocii partim vi, partim fraude, eo adducti erant, vt victori ſeſe ſubmitterent in eiusque poteſtatem venirent. Hinc exſurgentes interimiſticae ſic dictae formulae inſidiae cuncta in eccleſia turbabant ac miſcebant, diſſidiorumque atque certaminum ſemina longe lateque ſpargebant, eo nimirum conſilio, vt facilius eccleſia inteſtinis iisque grauiſſimis diſſidiis diſtraheretur diſcerperetur que. Quibus ita ſeſe habentibus, adflictiſſimis hiſce et numquam ſatis deplorandis temporibus purior eccleſia non ſolum maximam iacturam facere ſed prorſus potentiſſimorum et odio ac crudelitate inſignium hoſtium furori, proh dolor! ſuccumbere videbatur. Sic actum videbatur de eccleſia, ſic de vniuerſa religione euangelica. Quippe cuius, per interimiſticam hanc perſecutionem in anguſtias paene redactae, purioris conſeruandae reſtituendaeque omnis ſpes proſtrata et velut abiecta eſſe videbatur, quum immaniſſimi eius hoſtes omnem pietatem non ſolum ab aris templisque longe arcere; ſed etiam ex hominum animis delere, euellere, eradicare conabantur. Haec erat, auditores ſplendidiſſimi, temporis illius facies triſtiſſima, cuius plura meminiſſe horreſcit profecto animus, quum de academia ienenſi condenda conſtituendaque cogitauit immortalis memoriae heros. Hoccine autem tempus nouis condendis ſcholis et academiis, illi eccleſiae inſeruientibus, quae rationem, qua ſalua eſſe poſſet, haud perſpicere poterat, commodum mortalibus videri poterat? At deo id vel maxime opportunum viſum eſt, quo hac praecipue tempeſtate noua ienenſis ſapientiae virtutisque ſedes conderetur inſtitueretur que, vt omnes intelligerent, diuino nutu ac conſilio ſalanum litterarum domicilium tam difficillimis tamque aduerſis temporibus ſingulari doctrinae omniumque litterarum praeſidio conſtitutum eſſe. Hoc enim ſi quis ſine prouida ſummi numinis cura factum eſſe putet, nae! eum rerum omnium plane rudem atque expertem eſſe oportet. Profecto enim maxima illa, de qua hiſtoriae loquuntur, clades et inſecuta captiuitas ſummi illius religionis chriſtianae propugnatoris, electoris IOANNIS FRIDERICI efficiebant, vt nemini non in opinionem veniret, letale propemodum vulnus rebus proteſtantium inflictum eſſe. Nec aliud de turbis interimiſticis, quae eadem tempeſtate ortae erant, quiſquam cogitare poterat, adeo vt omnes propemodum puriori doctrinae euangelicae certum atque fatalem exitum diuinarent. At quanta ſit, auditores, diuini numinis ſapientia, hinc cognitu eſt facillimum. Adflictis enim adeo et paene deſperatis proteſtantium rebus ſuccurrit et opem tulit efficaciſſimam, dum infinita haec mala eo direxit, vt occaſio inde nouae erigendae academiae, in-

 nume-

numeros fortissimosque purioris euangelicae doctrinae propugnatores acerrimosque contra omnium hostium insultus defensores daturae, nasceretur. Quo facto praepotens numen, infernalis genii calliditatem atque astutiam, qua ad delendam et penitus penitusque exstirpandam caelestem veritatem vsus fuerat, elusit conatusque eius hostiles irritas fecit atque repressit. Ita miserrima ex clade eliciebat victoriam insignem et qua se maxime parte victoriam reportasse infernalis genius existimabat, ea se victum prostratumque postea intelligebat. Ne autem Iena imago academiae magis, quam academia permaneret, redux ex captiuitate quinquennali, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, IOANNES FRIDERICVS, sanctissimi propositi firmus, serenissimum filium IOANNEM WILHELMVM I, vna cum aliquot consiliariis Bruxellas in Brabantiam ad exoranda a CAROLO V caesare iura ac priuilegia academica ablegauit. Quae vt vt non denegata fuerint, tamen tunc temporis impetrari nondum potuerunt. Igitur memor fragilitatis humanae naturae, commemorabili pietate praeditus princeps, nouae academiae salutem in testamenti tabulis serenissimis filiis suis commendauit, eosque serio monuit, vt nihil prius nihil antiquius priuilegiis consequendis impetrandisque haberent. Talia moriturus repetiit. Serenissimi itaque filii, vt patris sui mandata exsequerentur, negotium hoc solum sibi dari crediderunt: ac breui post eius obitum communi nomine IOANNES WILHELMVS I, pietatis, virtutis, omnisque doctrinae amantissimus princeps, Pragam profectus, priuilegia ibidem a FERDINANDO I caesare, submisse rursus rogauit. Quae vt certo promissa; ita non multo post Viennae clementissime donata legatus principis consultissimus IOANNES SCHROETERVS, postea etiam primus academiae rector, inde secum asportauit. Intelligitis hinc A. O. O. H. quantae molis fuerit salanam condere academiam, vt ad eam constituendam virtus et fortuna contendisse videantur. Sollemnis hinc introductio in illustrissima panegyri facta est anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, die secundo m. februarii, purificationi b. virginis Mariae sacro, serenissimae fratrum trigae, multorum principum S. R. I. comitum, quorum singula nomina heic referre nimis longum est, consiliariorum atque nobilium praesentia illustrata, moreque maiorum orationibus IOANNIS FRIDERICI II, Christiani Pontani cancellarii, et Io. Stigelii celebrata, splendidis denique conuiuiis, ludisque equestribus, qui seculi illius mos erat, finita fuit. Haec omnia sane, auditores, quae circa fundationem academiae ienensis commemoraui, non leuia putanda sunt, sed

ſed ab iis, qui iuſtum rebus pretium ſtatuere didicerunt, et qui, quam inſigne incrementum litterae ex condita hac ſapientiae ſede ceperint, agnoſcere valent, magni omnino ducuntur memoriaque ſemper digna exiſtimantur. At videor mihi tamen audire querulas quorumdam voces, ſcholis et academiis Europam cultiorem, praeſertim Germaniam, abundare, vt quod de legibus olim florentiſſimus rerum romanarum ſcriptor dixit, et de ſcholis ac academiis pronunciari haud immerito queat: nos nimia illarum copia ac multitudine laborare. Neque hoc tantum ii clamitant, qui iniquo ſemper in litteras earumque officinas ſunt animo, quique ob, neſcio quas, cauſſas vano in easdem odio occaecati verum et rebus conforme iudicium ferre nequeunt; ſed etiam complures, qui alias bene, immo optime de litteris et publicis patentioribusque ſcholis, quae vniuerſitates dicuntur, ſentiunt, aeque hic exiſtunt queruli et de amplificato nimis apud germanos academiarum numero conqueruntur. Hinc ii, qui procliues ſunt vt ſibi perſuaderi patiantur, facile ad credendum induci poſſunt, tantum tamque ſingulare haud eſſe numinis altiſſimi beneficium, quod academia ienenſis condita ac conſtituta ſit, quum tanta academiarum multitudo Germaniae totique rei litterariae potius grauis, moleſta atque damnoſa, quam commoda ac ſalutaris eſſe videatur. Verum enim vero, non id tantum iure quodam negare ac pernegare mihi videor; ſed etiam praeterea adfirmo, tantas ex aucto tantopere academiarum numero in Germaniam redundaſſe vtilitates, quantae ex paucis eiusmodi ſcholis haud potuerint. Doctrinae enim litterarumque ſaluti tot condendis apud noſtrates academiis admirabiliter fuiſſe conſultum, vt ſatis celeriter ac efficaciter per omnes ſe diffunderet regiones lux veritatis, id vero loquitur res ipſa. Quid? quod ea tempeſtate, cum hocce ienenſe diuinarum humanarumque litterarum domicilium conditum eſſet, longe pauciores rarioresque magnisque interuallis disiunctae in Germania exſtabant academiae. Vnde eo magis hocce numinis beneficium reputandum eſſe exiſtimo, quia inde factum eſt, vt tum diuinarum tum humanarum rerum cognitio tanta apud germanos ſortita fuerit incrementa, tantos fecerit progreſſus, tamque fortiter homines romanae ſuperſtitionis iugum excuſſerint. Profecto enim haud fortuito aut caſu contigiſſe exiſtimandum eſt, quod eodem tempore, quum immaniſſimi euangelicae doctrinae hoſtes vndiquaque ſociatis conſiliis ac viribus arma contra eamdem mouerent, illuſtre athenaeum ienenſe conditum ac conſtitutum ſit; ſereniſſimus elector enim euangelicae doctrinae in anguſtias redactae, erigendo hocce diuinae humanaeque ſapientiae ſeminario conſultum ac proſpectum

ſpectum voluit. Et profecto etiam conſiliis votisque eius felix fortunatusque euentus reſpondit. Sed pergimus iam ad alterum momentum, ad ea nimirum, quae circa academiae ienenſis conſeruationem memoratu digna ſunt. Summum, quod veneramur, numen prouida ſua cura cuncta, quae reperiuntur in hoc vniuerſo, dirigere nutuque ſuo moderari, adeo alte ipſis mortalium pectoribus a natura infixum inſculptumque et tot tamque luculentis comprobatum eſt documentis, vt et inter ethnicos paucos admodum inueneris, qui hoc in dubium vocare ſuſtinuerint. Vel enim ſummam, quae attendenti facile manifeſta fit, inter tot mutationes et paene infinitas innumerabilesque rerum mundanarum viciſſitudines ordinis conſtantiam, vel ſapientiſſimam omnium etiam eorum, quae vel maxime ſecum pugnare videbantur, ad communem finem directionem ponderarent animoque ſecum voluerent, deum non poterant non ſemper vbique cognoſcere voluntate nutuque ſuo cuncta moderantem ac diſpenſantem. Hoc in regnorum et rerumpublicarum, quae contingunt, mutationibus politici; in arctis vitae humanae limitibus medici; in rerum omnium pulcherrimo ordine ſapientiſſimaque vniuerſi orbis directione philoſophi perſpectum ſibi habere videbantur. Epicuraeorum autem, quos infauſto admodum ſidere natos fuiſſe oportet, ſententia, qua deum, vel vt gentili more loquebantur, deos ab omni orbis adminiſtratione remouebant, et in, neſcio quae, ſpatia, ipſis intermundia dicta, relegabant, iam pridem ab omni propemodum aetate exploſa exſibilataque fuit. Rebus autem creatis, maxime hominibus quum bene cupiat eorumque commodis felicitatique conſultum atque proſpectum velit numinis benignitas, ecquis dubitet, ne dicam ſibi perſuadeat, earum rerum deum non gerere curam, quae vel maxime ad hominum ſalutem felicitatemque promouendam ſunt comparatae? prodeſſe enim hominibus prouidentia ſua deus vult, neutiquam nocere. Fateor equidem multa eſſe atque egregia mortalium inſtituta, quibus varia, quibus vita noſtra obſeſſa et quaſi circumſepta eſt, incommoda depellere cupiunt omnique ſtudio contendunt; neſcio tamen an fructuoſius vllum aut magis neceſſarium ſcholis et academiis, eum praecipue in finem conditis atque inſtitutis, vt in iis iuuenes litterarum ſacris operantes ita erudiri et multiplici ſcientia inſtrui exornarique queant, vt aliis iterum prodeſſe, illosque ad ea, quae ad veram eruditionem pertinent, conſectanda manuducere poſſint. Sic ergo rationibus probe ſubductis riteque omnibus ponderatis mihi concludendum eſſe videtur: ſi diuina prouidentia res humanae diriguntur, quod nemo niſi omnium rerum paene expers atque ignarus, immo propemodum inſanus ſit, negare

negare poteſt, circa ſcholas et academias earumque cum initia et incrementa tum perpetuitatem ſtabilitatemque maxime eam ſeſe exſerere ac manifeſtare. Atque hoc ipſa quoque comprobat experientia, rerum omnium optima magiſtra. Non enim ſine diuini numinis conſilio ienenſis academia excitata, nec ſine diuinis conſtituta erat auſpiciis. Quo ipſo itaque dum veritas pariter ac ſacrae doctrinae puritas ipſaque litterarum ſtudia ingens ſolatium ac praeſidium acciperent, non poterat non infernalis genius, antiquus ille ſerpens, perſpiciens facile, quantum tenebrarum regno noua haec academia adlatura eſſet damnum, indignari maximamque pectore ea de cauſſa concipere iram. Hinc omnem in eam furorem coniiciens ad labefactandam et penitus euertendam nihil inexpertum intentatumque reliquit. Sed prouida ſummi numinis cura, cuius circa academiae ienenſis conſeruationem luculentiſſima exſtant veſtigia, haud conceſſit, vt recens haec plantata academia ex hoſtium ſuorum inimiciſſimorum ſane dolis machinationibusque prauis quidquam detrimenti caperet. Quin potius eamdem inter tot variorum caſuum, quibus mortalium res agitantur, procellas, interque tot rerum aduerſarum tempeſtates ſaluam atque incolumem protexit, vt adhuc perduret, floreatque et decus ſuum tueatur. Agitabantur praeterea ea tempeſtate maximo cum feruore in eccleſia noſtra certamina ſynergiſtica, quibus excitandis anſam dederant quidam ex iis, qui Melanchthonis diſcipuli fuerant. Quum enim initio eam tenuiſſet ſententiam Melanchthon, vt ſtatueret, fatalem quamdam rerum omnium adeſſe neceſſitatem, mutata dein ſententia in contrariam plane ingreſſus eſt ſententiam, a partibus Eraſmi Roterodamenſis hoc ipſo ſtans. Ex eius itaque diſcipulis fuere viri quidam alias eruditione doctrinaque inſigni pollentes, qui in academia ienenſi docendis interpretandisque ſacris litteris conſtituti erant, quique ſimul praeceptoris ſui dogmata propagare diſſeminareque adlaborabant. Neque defuit illis adeo omnis ſucceſſus; quin potius eorum opera praeter omnem ſpem atque exſpectationem factum eſt, vt pernicioſiſſimo Pelagii errori latae panderentur portae, quem tamen iam pridem non tam ab aliis eruditiſſimis praeſtantiſſimisque viris reiectum atque damnatum; ſed etiam ab ipſo LVTHERO ſtrenue profligatum debellatumque eſſe conſtat. At tam facile peſtis haecce et contagio malorum inuaſit mortalium animos, vt etiam in ipſa eccleſia lutherano-euangelica reperirentur, qui pernicioſiſſimum huncce errorem amplecti non dubitarent. Quid? quod in ipſa recens in ſolatium proteſtantium veritatisque caeleſtis praeſidium condita erectaque academia ienenſi erant, qui ſe falſae atque erroneae huius

ſententiae non ſolum patronos, ſed propugnatores ſtrenuos acerrimosque publice profitebantur. Sic non mirum, errorem hunc adeo facile caput ſuſtuliſſe, quum in ipſo hoc ienenſi athenaeo perplurimos, qui ipſi fauebant, inueniret. Accedente praeterea iſta fatali Vinariae inſtituta diſputatione et Flacio Illyrico in anguſtias pene redacto, dum parum cautus in certamine hocce verſatus eſſet pertinaciterque admodum in defendenda cauſſa ſeſe geſſiſſet, triumphare iam videbatur ſynergiſmus, nihilque aliud ſupereſſe, quam vt verior ſententia penitus proſcriberetur et in exſilium ageretur. Facile coniicietis, A. O. O. H. quanto in periculo ea tempeſtate verſata fuerit cum eccleſia, tum etiam academia ienenſis, ſi reputatis vobiscum diſſidia illa certaminaque, quae tanto animorum feruore ſunt agitata vt nihil propemodum ſupra eſſe poſſit. Horreo ſane et penitus exſtupeſco totusque non mente ſed quoque corpore contremiſco, faciem eccleſia et Salana muſarum ſedes, quam eo tempore habuere, animo mihi repraeſentans mecumque ſedulo voluens. Obuerſatur enim menti meae periculorum, quae tunc illis incumbebant, magnitudo, ſiſtuntur tumultus, certamina ac ſtrepitus, quibus concuſſa tunc fuit purior eccleſia, quorumque Salana haecce academia potiſſimum fuit ſedes. Hinc enim ſynergiſtae pelagianorum pernicioſa placita reuocare, inde flaciani manichaeorum erronea dogmata rurſus introducere viſi, acriter inſurgebant animisque infenſiſſimis inimiciſſimisque hoſtilem in modum pugnabant, ienenſi academia omnium horum luctuoſiſſimorum certaminum haud ignobile theatrum praebente. At en diuinae prouidentiae luculentiſſima documenta! Quum enim omnia prope perdita ac deſperata eſſent, nihilque ſpei aut ſalutis reliquum eſſe videretur, diuina interceſſit prouidentia, eo iſta dirigens, vt errores ac caligo breui temporis ſpatio diſpellerentur, ſaniorque caeleſtis veritatis doctrina in iſta percelebri academia cito reſtitueretur. Excitauit enim benigniſſimum ac praepotens numen in hac academia praeſtantiſſimos eruditione ac pietate viros nullaque horum exitioſiſſimorum errorum labe infectos, qui impias crypto-caluinianorum molitiones machinationesque prauas ad exitium atque interitum purioris doctrinae euangelicae excogitatas atque directas retardarent ipſisque fortiter ac ſtrenue admodum obuiam irent, quo ipſo infernalis genii tot mille modis inſidias huic muſarum domicilio gratiarumque auguſtiſſimo ſacrario ſtruentis rabiem velut vltus eſt deus. Quem enim, niſi in hiſtoria, quae fata eccleſiae noſtrae recenſet atque commemorat, plane hoſpes ſit, fugere poteſt, Ioannem Wigandum, Tilemannum Heshuſium, Timotheum Kirchnerum

nerum, Nicolaum Selneccerum, ienenſis academiae theologos, principem inter eos tenere locum, qui crypto-caluinismum, quem ſaxonici theologi fouebant, dextre refutarunt, profligarunt. Quantum dei beneficium! Quis hebetioris adeo eſt ingenii homo, aut cuius mentis acies ita a praeiudiciis praeſtringitur et obfuſcatur, quin ex hoc ſaltem diuinam prouidentiam ſalano athenaeo adfuiſſe cognoſcat? Sed adhuc longe plura exſtant. Tanto enim tamque propitio fauore, ienenſem ex eo tempore academiam complexus eſt deus, vt ſartam tectamque in ea ſeruaret et plane illibatam puriſſimam eccleſiae noſtrae doctrinam, excitatis ſubinde viris maximis, qui erroribus omnibus ſtrenue obuiam irent. Diuini quoque numinis vnice imputandum eſt benignitati, quod hunc vſque in diem, inter tot grauiſſima, quibus ab omni tempore obnoxia fuit, pericula, interque maximas, quas praeterito etiam anno vna cum aliis Saxoniae academiis experta eſt, difficultates ſtrepitusque bellici calamitates feliciter enata, vigeat floreatque adhuc ſalua ac incolumis. Solius benigniſſimi dei hoc munus eſſe, quis negare auſit? Sed profecto dicenti mihi aliud ex alio circa academiam ienenſem memoratu dignum occurrit. Obuerſatur enim animo meo inſignis copia ac numerus erudítiſſimorum praeſtantiſſimorumque virorum, qui doctrina ſcriptisque egregiis celebritatem nominis adepti ſunt, ac quibus Iena a prima origine ſua ad noſtra vsque tempora abundauit. Praefiſcine ſane dixerim A. O. O. H. vix vllam exſtare aut reperiri poſſe in tanto numero academiam, quae iſtis quidem temporis limitibus, quo ienenſis academia circumſcripta, tot viros eruditiſſimos praeſtantiſſimosque eccleſiae et reipublicae litterariae heroes oſtendere queat? Si a theologorum ordine initium faciam, inter omnes facile conſtat, academiae ienenſi praecipuam hanc felicitatem obtigiſſe, vt ſemper in ea fuerint eiusmodi diuinarum litterarum interpretes atque doctores, quibus nihil vmquam prius nihil antiquius fuit, quam vt puriſſimam eccleſiae noſtrae doctrinam caeleſtemque veritatem ab omni errorum labe ſartam tectamque ſeruarent et plane illibatam, et vt inſcitiam mentis, quae erroribus plerumque ſat grauiſſimis anſam dedit, tollerent omnemque caliginem diſpellerent, vt denique omnium hoſtium inſultibus fortiter obuiam irent proque doctrinae puritate pugnarent ſtrenue, adhibita ſimul opera, ne diſſidia atque certamina ciendo diſſeminandoque ſuperuacanea, noua eccleſiae noſtrae vulnera infligerent eamque in plures partes ſcinderent diſtraherentque. Inſignem praeterea eos adhibuiſſe diligentiam in explicandis enodandisque ſingulis ſacrae doctrinae partibus, teſtantur tot praeſtantiſſima ingenii documenta, quibus veritatem illuſtrarunt mirumque in modum clariorem reddiderunt. Si quidem nullum

profecto sacrae doctrinae genus nominari poterit, in quo non scripta ab hisce doctissimis praestantissimisque viris exarata exstent. Siue enim spectes scientiam, quae diuinas litteras commode recteque explicandas docet; siue quae aduersarios, errores circa religionis dogmata verissima certissimaque fouentes conuincendos monstrat; siue denique, quae, qua ratione hominum mores ad pietatem erudiendi sint, ostendit; in omnibus his egregia profecto virorum horum merita esse, conspicies. Tanta enim ingenii vbertate, tanta reconditae doctrinae copia, tanta tamque incredibili fere industria haec omnia praestiterunt, vt nihil propemodum supra esse possit et nisi luculentissima prostarent documenta, quae ea extra aleam dubitationis omnem ponunt, omnem fere superet fidem. Pertinet huc praecipue Ioannes Gerhardus, theologorum suo tempore omnium iudicio atque consensione princeps, vir immortalis gloriae nec vno nomine et de ecclesia vniuersa et de academia ienensi praeclare meritus. Miratur et mirabitur profecto omnis posteritas, qui fieri potuerit, vt omnia illa, quae docuit ac scripsit ab vno perfici potuerint viro. Testantur singularem paene eius industriam tot eruditissima et cedro digna scripta, tot praestantissimi ipsius ingenii, doctrinaeque maxime insignis documenta, quae ab ipso orbi litterato tradita sunt, quibus que effecit, vt eius gloria nulla obtrectatione, nulla inuidia, nullis denique temporum iniuriis obscurari, vel saltem imminui, queat. Certe enim hanc incredibilem eius industriam omnes admirantur, pauci vero admodum imitantur; qui vero superauerit, hactenus inuentus est nemo. Quis itaque dubitet amplius aut ambiguus haereat, virum huncce diuino consilio promouendis in melius ecclesiae nostrae rebus destinatum fuisse? quum omnes, qui rite rebus pretium statuere didicerunt, id vno ore fateri, necesse habeant. Sacrae enim doctrinae veritatem adeo fortiter ac strenue semper defendit ac tuitus est, vt iure meritoque pietatis custos, veritatisque caelestis vindex indefessus fortissimusque semper habitus fuerit. Dies profecto deficeret, si huius doctissimi viri aliorumque celeberrimorum virorum, qui eruditione egregia et plane singulari pariter ac doctrinae puritate scriptisque cineres haud quaerentibus ienensem academiam honestarunt, merita iustaque elogia non dicam complecti aut persequi oratione, sed recensere tantum ac indicare vellem. Veniam igitur vos, auditores spectatissimi, mihi daturos credo, si ea de eruditissimis hisce viris tantum persecuturus sum, quae pro temporis ratione forsitan se animo meo iniiciunt. Sunt itaque iure meritoque inter ecclesiae nostrae columina referendi Schnepfii, Wigandi, Selnecceri, Kirchneri, Coelestini, Heshusii, aliique clarissimi academiae ienensis doctores,

qui

qui hoc ſapientiae domicilium doctrina ſua illuſtrarunt, nobilitarunt. Nec ſilentio praetereundi, ſed vel primo loco commemorandi Auenarii, Reudenii, Graueri, Maiores, Himmelii, Dilherri, Cundiſii, Chemnitii, aliique quam plurimi, quorum per omnium ora, dum viuerent, fama volitauit, quorumque memoria iam pridem leto erepta perdurat in omne aeuum. Referendi porro ſunt inter academiae ienenſis lumina, qui eccleſiam orbemque litteratum vniuerſum eruditione ſua eximia planeque egregie aeſtimanda colluſtrarunt, doctrinamque caeleſtem longe lateque propagarunt, Bechmanni, Baieri, Velthemii, ſummi itidem viri et inter maxima academiae ienenſis ornamenta referendi. Oblitus fere eram Salomonis Glaſſii, at quanti illius viri! et Muſaei, ſubtiliſſimi ingenii viri, qui ſuo tempore ienenſe athenaeum doctrina ſua egregie et mirum quantum nobilitarunt omniumque in ſe conuerterunt animos. Sed vereor, ne inconcinne de viris hisce verba faciendo, laudibus eorum aliquid detraham, quum et ipſe livor eorum ingentia in vniuerſam rem ſacram et litterariam merita fateri neceſſe habeat. Recentiores inter, qui in academia ienenſi noſtro tempore nominis celebritatem conſecuti ſunt et quibus principem inter eruditos locum tribuere nullus dubitat, commemorarem quoque Buddeos (quem fama meritisque inſignem virum vicina nobis vrbs Anclamum produxit, et quo Pomerania noſtra merito ſeſe effert,) et Walchios, ſupra amicorum encomia pariter ac inimicorum obtrectationes poſitos; at neminem, niſi felicitatis ſeculi noſtri plane expers ſit, horum virorum in amplificando veritatis regno proferendisque litterarum terminis operam et induſtriam fugere poſſe crediderim. Tantis itaque theologorum ordinis viris illuſtris academia ienenſis ſuperbit et merito ſeſſe effert. Sed nec deſunt, nec vmquam defuere aliarum artium ac ſcientiarum doctores egregii, quibus itidem huius muſarum ſedis ab omni tempore ſplendor auctus fuit. Si enim legum et tam diuini quam humani iuris conſultos, ſeu Themidos ſacerdotes, ſpectemus, illuſtre inter eos nomen adepti ſunt Weſenbecii, Hilligeri, Richteri, Struuii, Strauchii, Lynckeri, Sleuogtii, Friſii, Bruckneri, Kemmerichii, Bechmanni, Beckii, Buderi, Heimburgii, Schaumburgii, Engauii aliique complures. Inter machaoniae artis peritos viros, qui fama meritisque illuſtre nomen adepti ſunt, Schroeteri, Neandri, Cornarii, Moebii, Schelhammeri, Schenckii, Rolfinckii, Sleuogtii, Fickii, Wedelii, Hilſcheri, Teichmeyeri, Hambergeri, Kaltſchmiedii, Stockii, haud praetereundi ſunt. Si denique humanae ſapientiae antiſtites ſpectemus, tanta ſe nobis offert praeſtantium virorum copia, vt quos primo, quos vltimo loco nominemus, merito dubii ambigui-

que haereamus. Habuit Iena ſuos Stigelios, Lipſios, Heideros, Libauios, Rhodomannos, Reusneros, Horſtios, Stahlios, Sleuogtios, Zeiſoldos, Friſchmuthios, Boſios, Weigelios, Hebenſtreitios, Posneros, Sagittarios, Schubartos, Danzios, Ruſios, Syrbios, Buddeos, Hambergeros, Wideburgios, Wuchereros, Stollios, Walchios, Reuſchios, Stockios, Halbaueros, Tympios, Kocleros, Darieſios, philoſophos polyhiſtoresque maximos diuinitusque ſibi conceſſos, quorum opera immortale et numquam periturum decus conſecuta eſt. Immo habet philoſophorum ordo id praecipui et eximii, quod ſubinde theologos, iureconſultos et medicos longe doctiſſimos praeſtantiſſimosque dederit. Sic itaque admiratu digna academiae ienenſis circa praeſtantiſſimorum virorum in omni doctrinae genere cohortem animis veſtris A. O. O. H. expoſui breuiterque delineaui. Quilibet ex iis, quae hactenus attuli, circa hocce momentum, luce meridiana clarius eſſe, facile perſpiciet, vnumquemque academiae ienenſis ordinem eiusmodi oſtendere poſſe viros, eosque non paucos, qui et ſibi ipſis et academiae huic immortale peperere decus. Vltimum et quidem quartum adhuc ſupereſt orationis meae momentum, memoratu dignum eſſe numerum tantum ac confluxum diſcentium in academia ienenſi oſtendens, idque quidem attingendum paucis, ne veſtra, auditores ſpectatiſſimi, abuti videar patientia. Inter ea, quae famam atque ſplendorem academiarum augent, et quae felices fortunatasque easdem reddere ſolent, iure meritoque etiam numerum ac multitudinem eorum, qui ſtudiorum cauſſa ad eas accedunt litterarumque ſacris operari cupiunt, referri, nemini ignotum videri poteſt. Singularis hinc exiſtimanda eſt academiae ienenſis felicitas, quod tantus iuuenum ad eam vndiquaque bonarum litterarum cauſſa confluentium numerus in illa deprehendatur, quantus vix in aliis quamplurimis reperiri ſolet academiis. Vidit enim Iena ſtatim quum conderetur, vndique decerptum iuuentutis florem tanta frequentia tantoque numero ad ſe adlatum, vt haec muſarum ſedes etiam antequam inauguraretur, cum antiquiſſimis Germaniae de nobilitate ciuium non modo certare, ſed quod ingenue dixerim, palmam etiam haud dubie praeripere potuerit. Immo a prima eius origine ad noſtram vsque memoriam numquam defuere in eadem iuuenes generis dignitate claritateque eminentes, quiue maiorum ſuorum longa ſerie referrent imagines haberentque inter eos, quorum illuſtria et nulla obliuione obliteranda imitarentur exempla. Ad hanc enim academiam, tamquam artium bonarumque litterarum omnium mercaturam, non tenuioris tantum ſortis homines, ſed principes quoque iuuenes, et comites et barones profecti, illuſtribus in eadem

dem doctoribus expoliendos limandosque se tradidere. Et sane hoc ingens est diuini numinis beneficium, quo ienensem musarum sedem prae multis aliis benignissime ornat, quod eo se plurimi conferant, ad sacra litterarum colenda animumque eruditionis, pietatis honestatisque sensu imbuendum, eas denique discendas artes, quibus ad vitam honeste beateque transigendam opus est. Ostendere enim academia ienensis potest, quod singulari profecto numinis benignitati propitioque admodum fauori eius tribuendum, viros summos, qui cathedras occupant in scholis, in templis, eminentque in regum magnorumque principum aulis, quos ipsa haec academia in gremio suo fouit, et ad omnem honestatem bonamque mentem erudiuit. Quae profecto felicitas haud leuis existimanda, sed magni omnino ducenda habendaque est. Neque etiam diffitendum, prodiisse ex academia ienensi aliquos academiae nostrae gryphicae doctores, qui in ea olim litteris sapientiaeque diuinae ac humanae operam dederunt. Neque id alicui mirum videri potest, quod in academia hacce tantus sit eorum, qui se litterarum cultores profitentur, numerus ac multitudo, quum ea omni tempore bonarum artium atque scientiarum doctoribus abundauit, quorum ingenii atque eruditionis fama haud intra angustos Saxoniae fines contineri potuit; sed quae vniuersam Germaniam totumque orbem litteratum impleuit et singulare academiae huic peperit decus ac ornamentum. Hinc facile factum esse coniicietis, auditores, quod litterarum cultores tanta frequentia tantoque numero eo se contulerint, quum tot ibi viros peritissimos, nec doctrina modo ac ingenio praestantes; sed vsu ipso rerum exercitatos atque subactos conspicerent, quos sibi in cognoscendis litteris duces atque magistros eligere possent. Vastissimum enim latissimeque patentem theologiae campum si quis ingredi velit, certe in hac academia felicissime in hoc studiorum genere versari amplissimosque in hac eruditionis parte fructus colligere poterit. Siue enim perspicere atque cognoscere cupidus sit ea, quae ad dogmata atque praecepta percipienda riteque addiscenda pertinent, siue ea, quae ad emendandam voluntatem recteque secundum voluntatem dei formandos mores spectant; siue denique ea perspicere cupiat media, quibus veritas contra acerrimorum hostium insultus defendi propugnarique debet; nihil profecto horum omnium desiderabit aut frustra quaeret, quin potius tantam eorum copiam inueniet, vt animum, quantumuis discendi cupiditate flagret, implere sitimque suam exstinguere valeat. At si quis cupiditate sua ductus ad legum et diuini pariter ac humani iuris studium se contulerit; si aliquem etiam machaoniae

artis

artis cognitio delectet; haud profecto poenitebit illum, academiam ienensem elegisse, in qua animus harum scientiarum notitia imbuatur, excolatur, perficiaturque. Conspiciet enim in ea viros harum rerum scientia atque doctrina instructissimos praestantissimosque, qui famam nominisque gloriam per omnem Germaniam eruditione sua iam pridem adepti atque consecuti sunt, quique nemini aliquid in hisce doctrinae laude concedunt. Si denique aliquis philosophiae ac linguarum, historiarum pariter ac matheseos, ac earum, quae ab humanitate et elegantia nomen retulerunt, litterarum, delectetur amoenitate, facile deprehensurus est, qui ipsum in hisce studiis erudire et manuducere possint, et ex quibus fontium instar limpidissimos eruditionis liquores haurire et in vsum suum conuertere queat. Haec omnia sane A. O. O. H. non possunt non iuuenum ad se adlicere atque attrahere animos, celebritatemque academiae ienensi mirum quantum conciliare. Sed nec tanta doctorum istius musarum sedis fama nominisque gloria solummodo in caussa est; alia adhuc sunt vtilissima laudandaque academiae ienensis instituta, quae haud minus litterarum studiosos adducere atque mouere possunt, vt ad hanc pietatis virtutisque officinam accedant. Neque enim volentibus deest occasio vel equorum subigendorum artis discendae vel corporum saltatione aut armis vibrandis exercendorum; quum et hippodromus spatiosus et equis agitandis commodissimus, et palaestra satis ampla et ludus saltatorius non nisi aptissimus adsint. At licet adeo amplus mihi pateat campus; tamen verendum foret, ne vestram singularem, auditores spectatissimi, in audiendis impolitis et nullo verborum adparatu comtis sermonibus meis patientiam defatigarem, si in hunc excurrere auderem. Neque etiam omnia, quae memoratu digna sunt, percurrere aut perlustrare institui. Dabitis interim veniam mihi, si pace vestra, splendidissimi auditores, bibliothecae ienensis academicae mentionem paucis adhuc faciam. Haec enim omnium profecto eruditorum admirationem sua praestantia iure meritoque vindicare sibi potest. Tanta enim selectissimorum librorum copia instructa est, totque rarioribus ad rem litterariam pertinentibus monumentis superbit, vt dignitate sua multis antecellere videatur, quin, iudice celeberrimo Heumanno, in conspectu reipublicae litterariae, principem adeo inter bibliothecas academicas occupet locum, vt merito regina earum adpellari queat. Neque id adeo mirandum esse videtur, quum constet satis, copiam pariter ac splendorem eius adauxisse varios eruditissimorum virorum adparatus librorum insignes, vt Arumaei, Bosii, Sagittarii, Danzii, nuperque intra decennii spatium, Birkneri quoque

quoque eidem acceſſiſſe bibliothecam. Tam inſtructiſſimam autem ac ſplendidam bibliothecam vſibus praeſertim iuuenum in hac muſarum ſede litterarum ſacris operantium deſtinatam eſſe, quis non admiretur? At eo inuſitato plane fauore muſae ienenſes omnes et ſingulos ſuos alumnos complectuntur, vt aditum iis ad tantam librorum copiam haud vmquam denegent, quin potius eorum animos gratificando ad ſe adlicere eosque beneficiis ſibi deuinctos reddere ſtudeant. Sed vereor, A. O. O. H. ne plura inconcinne et minus nitide dicendo commemorandoque, quae circa academiam ienenſem adhuc memoratu digna ſunt, vobis moleſtus eſt videar. Veſtra enim eximia et plane ſingulari in audiendis incomptis meis ſermonibus haud abutar patientia. Ad id itaque quod reſtat et quod diei huius ſollemnitas a me poſtulat, confeſtim accedam. Nihil autem ſupereſt, quam vt vota precesque ad ſummum omnium humanarum rerum arbitrum fundendo, florem incolumitatemque ſalanae muſarum ſedis noſtraeque gryphicae omniumque patentiorum ſcholarum et academiarum ſalutem turbido hocce et illaetabili tempore a ſummo numine impetrare conemur. Scio enim, auditores, nihil vobis proſperitate ac incolumitate ſcholarum et academiarum, quae ſolae omnis virtutis, pietatis atque doctrinae ſedes eſſe debent, prius, nihil antiquius eſſe; nec me fugit, vos praecipue ſalanae noſtraeque academiae bene cupere, earumque cum firmitudinem et ſtabilitatem; tum incrementa vel ornamenta perpetua omnibus deſideriis votisque a deo expetere, id quod vel ipſa veſtra praeſentia non ſine obſeruantiſſimae gratiſſimaeque mentis declaratione mihi commemoranda, publice nunc docuit. Non vana inde fallaxque mihi fiducia oritur, fore, vt ipſi vos, vel nullo ſuaſore, hoc pietatis munus perſoluturi ſitis, et academiis felicia quaeuis fauſtaque precaturi earumque perpetuam et inconcuſſam felicitatem atque vigorem a ſummo omnis benignitatis fonte exoraturi ſitis. At patiamini tamen, vt quos in publicae laetitiae conſortium vocaui, iam et in precum votorumque ſocietatem ego adlicere laborem.


Ad te itaque, aeterne deus! qui ſupremus ſcholarum et academiarum ſtator es conſeruatorque, nos conuertimus, ad te tendunt omnia noſtra vota ſuſpiriaque imo a pectore ducta. Tibi enim tuoque ſingulari fauori ac benignitati cuncta tribuenda ac imputanda eſſe, per te academiarum ſalutem huc vsque conſeruatam, promotam, inque maius meliusque, inter, tot rerum humanarum caſus, prouectam eſſe, lubentes agnoſcimus. Tuo etiam munere, o immortalis deus! academia ienen-

ienensis non solum condita ac constituta fuit, sed etiam in hunc vsque diem salua ac incolumis seruata est, quod ingens beneficium tuum hac praecipue tempestate, qua natalem suum fausto sidere secundum reductum celebrat, grata mente laetoque pectore agnoscit. Tuo quoque beneficio salua ac incolumis erit in posterum, felicitateque perenni et semper semperque duratura fruetur. Fac itaque conserues et numine tuo fortissimae contra omnium hostium insultus protegas almam istam salanam musarum sedem, quam ipsemet honori tuo conditam ac constitutam voluisti. Auerte adflictissimis hisce temporibus, quibus bellorum luctuosissimorum strepitus, vniuersa paene Europa personant, a scholis et academiis tristia quaeuis ac funesta, omnesque infernalis genii, quibus labem iis adspergere cupit, machinationes infringe. Tu ipsum, praepotens numen! nostram quoque gryphicam academiam in tutelam tuam recipias, teque custodem eius praecipue demonstres, quo sub alis tuis quieta ac tranquilla delitescere queat, nouisque in dies incrementis augescat. Humillimis etiam precibus commendamus tibi, o summe atque trinune deus! reges, principes, academiarum nutritores, vt sub illorum vmbra nobis semper rerum nostrarum satagere liceat. Sic stante, florente academia ienensi nostraque gryphica, fac vt natalis earum dies semper iucundior laetiorque redeat. Annuas, o aeterne deus! precibus his nostris, omniumque vota huc tendentia benignissime exaudias, vt, quae honori tuo dedicatae sunt, floreant semper academiae.

Dixi.



COMMEN-



IIII

# COMMENTATIONES

ALIAQVE SCRIPTA

## SACRORVM SECVLARIVM IENENSIVM

MEMORIAE CONSECRATA

---

# IENENSIA

## NOTATV DIGNIS OBSERVATIONIBVS EXPOSITA

COMMENTATIO

## GYMNASII LVBECENSIS

NOMINE SCRIPTA

AB

## IO. HENR. A SEELEN

SS. THEOL. LIC. ET DICTI GYMNASII RECTORE



MIRARENTVR haud dubie, VIRI, MAGNIFICE, SVMME VENERABILES, ILLVSTRES, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CELEBERRIMI, qui prorectoris ac professorum publicorum munia laudatissime administratis, non pauci, qui hodieque viuunt; mirarentur forte posteri, merita ienensium in lubecenses haud difficulter e variis documentis fide dignis cognituri, si, cum Iena iubilet, Lubeca plane taceret. Constat enim, quod haec ad illam filios suos dudum frequen-

tiſſime miſerit: ſalana vero muſarum ſedes eos remiſerit tam egregie formatos, tamque inſigniter litteris inſtructos, vt rei publicae maxima attulerint decora, hodieque ſumma cum laude afferant, viros ea effulgentes dignitate et praeſtantia, vt columina vrbis et lumina ſummo queant iure appellari. Habetis hodieque inter ciues veſtros tot lubecenſes, quot nulla academia alia, quamuis plures illis non omnino careant. Atque iſtos vobis, FAVTORES HONORATISSIMI, merito gratulamur, quoniam minime ſunt ex iis, qui academias non ornare, ſed onerare ſolent: verum optimae indolis, qui pulcherrime ad ſapientiae, tam diuinae, quam humanae, ornamenta amplificanda adſpirant; cuius rei ergo ad vos ipſos, teſtes omni exceptione maiores, prouocare, nulli dubitamus. Sunt inter eos, quod non ſine voluptate licebit commemorare, qui iam hic, et deinceps apud vos, publicis demonſtrarunt ſpeciminibus, calculo haud deſtitutis, quanto litteras optimas ſtudio ſint condecoraturi. Hi ſine dubio gaudebunt, quod eo ipſis tempore licuerit eſſe Ienae, quo illa poſt ducentos feliciter exactos annos iubilaeum decentiſſime ſplendidiſſimeque celebrat. Quid illis erit gratius, quam intereſſe his ſolennitatibus, et almae ſtudiorum matri raram hanc felicitatem congratulari? Facient hoc lubentiſſime, non ii tantum, qui iubilaeas iam orationes in patria pro roſtris habuerunt, optimae notae litterarum cultores, BALTHASAR MVNTER AC CHRISTIANVS NICOLAVS CARSTENS, et ille quidem *de transactione paſſauienſi*, hic *de iubilaeis lubecenſibus*, ambo magnam inde laudem conſecuti, qui in ipſo aetatis flore experti ſunt, quanta inſit actibus iubilaeis probitas, aequitas, iucunditas; verum reliqui etiam lubecenſes Ienae hoc tempore commorantes, qui eximia rerum bene geſtarum fama magis magisque inclareſcunt ita, vt eorum laus Ienae acquiſita ad noſtras quoque aures perueniat. Nos cum omnibus, et exteris et indigenis, publico ſcripto ad iubilaeas ſolennitates inuitatis, facile ad ludos triumphales litterarios, vti ipſi ſcite eos vocatis, conueniemus, non corporibus quidem, animis tamen, qui vt omnia fauſte ac feliciter eueniant, academiaeque veſtrae ad maximum valeant honorem, ad peroptatum incrementum, tam candide vouemus, vt nemo poſſit candidius. Pignus integritatis ſint ipſa *ienenſia*, quae vti decenter offerimus, ita vobis non ingrata futura eſſe, ſperamus.

Collo-

I

## Colloquium a LVTHERO Ienae cum CAROLSTADIO habitum.

OCCASIONEM huic colloquio dedit electorale mandatum, quo iussus est vir summus, MARTINVS LVTHERVS, Ienam adire, ibidemque publice admonere populum, vt ab erroribus fanaticorum, omniumque falsas doctrinas spargentium et defendere conantium, sibi caueat. Paruit LVTHERVS, d. XXII. Aug. CIↃIↃXXIIII. accessit Ienam, ibidemque pro concione dixit contra homines seditiosos et sacramentarios, quos spiritu heroico redarguit, et impia eorum dogmata mascule refutauit. Interfuit sermoni ANDREAS BODENSTEIN CAROLSTADIVS, qui eodem tempore Ienae commorabatur, suoque docuit etiam exemplo, quid mala conscientia possit operari. Persuasum enim sibi habebat, LVTHERVM tetigisse ipsum, etsi eum non nominasset; quod ille deinceps in colloquio semper vrget. Potiora autem concionis LVTHERI momenta erant: pessimi fructus spiritus seditionis et caedis: imaginum templa ornantium destructio: doctrinae de sacramentis, et praesertim s. coena, deprauatio. CAROLSTADIVS, se tactum putans, colloqui idcirco cupiebat cum LVTHERO, qui haud difficulter eum admisit. Instituebatur idcirco colloquium praesentibus aliis, quos inter erat MARTINVS REINHARDVS, ecclesiastes ienensis, qui istud litteris consignauit. In hoc primum concionis argumentum plane a se studet remouere, nihilque cum turbulentis hominibus sibi esse commercii, profitetur, quamuis res ab eo gestae demonstrent, quod non possit ab hoc crimine liberari. Quod ad alterum argumentum attinet, LVTHERO quaerenti: *Da eure Lehre recht und aus Gott war* (hoc autem in antecedentibus affirmare ausus erat CAROLSTADIVS,) *warum brach denn euer Geist nicht durch, da ihr zu Wittenberg die Bilder zerbracht*, respondet: *Das habe ich nicht allein vorgenommen, sondern die drey Räthe, und euer Gesellen etliche, die beschlossen es: darnach zogen sie die Köpfe aus der Schlingen, und liessen mich allein stehen.* 1) Quasi vero multitudo errantium pariat errori patrocinium. Tertium argumentum de s. coena audet defendere, iactantius, quam verius, loquens, quod doctrinam suam contra LVTHERVM velit asserere publico scripto, dummodo is eidem diuulgando non obsit. Hic vero de caussa sua certus, immo certissimus, non forti



1) vid. LVTHERVS opp. ien. t. II. fol. 448. b. edit. CIↃIↃLXXII.

et imperterrito tantum animo prouocauit CAROLSTADIVM ad propositum suum exequendum, verum etiam in ipso colloquio, praesentibus testibus, ei dedit aureum nummum, pignoris nimirum loco, quod neutiquam vellet impedire, quo minus scriptum, contra se dirigendum, in lucem prodiret. Quam parum enim reformidarit CAROLSTADIVM, vel hoc docet illius alloquium: *Frisch her! Habt ihr etwas, so schreibets frey heraus --- schreibet wider mich öffentlich, und nicht heimlich* 2). Et post datum atque acceptum nummum? *Ie tapferer ihr mich angreifft, ie lieber ihr mir seyn sollt* 3). De oblato nummo hoc, quem IOACH. HILDEBRANDVS 4) *arrham futurae litis* vocat, non omnes aeque benigne iudicarunt. Alii vero, quod nihil insit huic facto reprehensione dignum, idoneis rationibus ostenderunt, e quibus, praeter VAL. ERN. LOESCHERVM 5), IO. GEORG. NEVMANNVS 6) nominari meretur. Dolendum autem est, quod in emendando CAROLSTADIO et concione et colloquio parum, vel nihil, LVTHERVS profecerit. Legitur hoc colloquium t. II. ien. fol. 446. b. sqq. t. II. altenb. p. 797. sqq. et alibi. Praebuit vero istud etiam vener. IO. GEORG. WALCHIVS, in cuius editione 7) operum LVTHERI omnium praestantissima hic ei praefixus est titulus: *Die so genannten acta ienensia, oder* MARTIN REINHARDS, *Predigers zu Iena, Bericht von der Handlung zwischen* D. LVTHERN *und* D. CARLSTADEN, *zu Iena geschehen mens. Aug.* CIↃIↃXXIIII. Optandum fuisset, vt REINHARDVS idonea semper fide scripsisset, neque a IO. ALB. FABRICIO 8) CAROLSTADIO *fauens* diceretur, eiusque fides idcirco magnis viris, VIT. LVD. a SECKENDORF 9), WALCHIO 10), et pluribus, non esset suspecta. Vnde miratur CHRIST. EBERH. WEISMANNVS 11), quod acta haec

tomis

2) loc. cit. fol. 449. a.
3) ibid. fol. 449. b.
4) hist. concilior. p. 309.
5) hist. mot P. I. p. 31.
6) orat. de nummo aureo, quo LVTHERVS Carolstadium ad certamen prouocauit Wittenb. CIↃIↃCLXXXXII, 4.
7) P. XV. col. 2422. sqq. Relatio Reinhardina in editione operum LVTHERI lipsiensi tom. XVIIII p. 148. sqq. legitur.
8) centifol. Lutheran. P. I. p. 88.
9) commentar. de Lutheranismo lib. I. §. CLXXIIII. p. 302.
10) P. XV. script. Luth. col. 2432.
11) introd. in hist. eccl. N. T. P. I. p. 1417.

tomis LVTHERI sint inserta. Esto autem, quod relatio de hoc colloquio suis non careat naeuis, dubitari tamen non potest, Ienae istud habitum, et ad ipsius memorabilia iure meritoque esse referendum. Quam procul autem in hoc colloquio ab humanitate se remouerit CAROLSTADIVS, docent, quae scripsit LVTHERVS 12): *Zu IENE in der Herberge, da wir von der Sache redeten, und er sein Ding aufs allersterckeste zu vertheidigen, sich verbies, wand er das Maul und schlug mir ein Klipplin, und sprach: Vmb euch ist mir nichts.* Neque modestiora indicant, quae idem annotauit LVTHERVS 13): *Das ists, daß sie so hönisch von der Lehre des Glaubens und der Liebe reden, wie mir auch* D. CARLSTAD *selber zu Iene unter Augen fürwarff.* Quam leuibus, immo leuissimis, vtatur argumentis, obseruauit itidem LVTHERVS 14) his verbis: *Si istis argumentis praesciuissem te moueri, non fuissem tecum pactus de hac re disputare. Quid enim obstat, quo minus vsque ad finem mundi omnibus horis talium argumentorum multa plaustra producas, quae scias nihil ad rem facere, et tempus et opus melius interim impedire?* et rel. Quod falso e colloquio hoc concludatur, LVTHERVM esse primum controuersiae sacramentariae auctorem, non vero CAROLSTADIVM, solide euicit WALCHIVS 15) de toto colloquio hoc omnino legendus, quocum FABRICIVS 16), HILDEBRANDVS 17), WEISMANNVS 18), poterunt conferri.

## II.

## Merita Ienensium in LVTHERI opera et scripta.

IENENSIVM nomine intelligo vel ipsam ciuitatem, vel viros, qui in eadem aut ad finem vsque vitae, aut per aliquod tempus, publice docuerunt. Ad immortalem vero Ienae valet laudem, quod ibi incomparabilis

12) P. I. wider die Himml. prophet. t. III. ien. germ. fol. 46. b.

13) loc. c fol. 56. a.

14) epist. ad Carolstad. ap. Io. Aurifabrum t. II. epp. Luth. fol. 203. a. vbi cum LVTHERVS ienense colloquium respiciat, haec in margine scripsit AVRIFABER: *Ihenae inter Lutherum et Carlstadium descriptione et disputatione factum fuerat anno* CICIOXXIIII. *Hoc colloquium in 2. Germ. Tom. Ihe. inuenitur folio 462. a. b.*

15) introd. P. XX. p. 14. sqq. Conf. P. XXIIII. col. 562. sqq.

16) l. c. P. I. p. 88. sqq. P. II. p. 571. sq.

17) loc. cit. p. 308. sq.

18) l. c. edit. sec.

rabilis LVTHERI ſcripta pleraque non typis ſolum egregiis ſint excuſa, ſed celeberrimi etiam theologi ienenſes praeclare admodum de iisdem ſint promeriti.

De tomis ienenſibus ſic ſcribit DAN. SPRINGINSGVTIVS 19), eccleſiaſtes wismarienſis, vniuerſalem omnium LVTHERI operum indicem molitus 20): *Sedula inquiſitione didici, longe plures, quam duas, tomorum ienenſium editiones eſſe. Tomi ienenſes latini, quantum mihi conſtat, tribus vicibus ſunt typis exſcripti, non ſine inſigni foliorum mutatione. Germanici ſexies ſunt impreſſi, quarum editionum prima et ſecunda omnimodam differentiam, vt notum eſt, ſibi appropriat. Caeterae cum ſecundo, ſed non in omnibus tomis, recurrunt.* Non omni itaque caret difficultate, tomos ienenſes ſic recenſere et collocare, vt ordo, diſcrimen, anni accurate ſemper indicentur, cum tomi, vel hi, vel illi, diuerſis vicibus ſigillatim ſint recuſi, quando nimirum, vt videtur, exemplaria eorum diſtracta adeo, vt copia illorum amplius fieri non potuerit. Sed optimam huius rei notitiam deſiderantem nemo iuuit melius, etſi hic quoque nodos aliquos gordios inuenerit, quam theologus ienenſis de ſcriptis LVTHERI immortaliter meritus, IO. GEORG. WALCHIVS, tom. XXIIII. opp. Luher. p. 629. ſqq. vbi editionum ienenſium (quarum rariſſima ſine dubio eſt ea, quae an. CIƆIƆ LXIIII. prolata, in bibliotheca Cyprianica p. 32. commemoratur, quam ſe non vidiſſe, viri res etiam Lutheranas ſedulo ſcrutati faſſi ſunt, cauſarum raritatis huius ignari) hiſtoria magno conſignata ſtudio reperitur, vnde, quae breuiter annotauit SPRINGINSGVTIVS, copioſe poſſunt ſuppleri. Pereximie huc etiam facit eiusdem LVTHERVS ienenſis, qui miſcellanea lipſienſia noua 21) ornat. Nobis ſufficiet, ſelecta modo annotaſſe, et ex αὐτοψίᾳ quidem magis, quam e relatione aliorum. Neque opus erit, omnia dare tomorum ienenſium contenta, cum hoc labore percelebris litterator helmeſtadienſis, IO. FABRICIVS 22), ſtudioſiſſime ſit defunctus.

Editionis, qua vtor, operum germanicorum ienenſis tomus I. prodiit 1575. II. 1572. III. 1573. IIII. 1560. V. 1575. VI. 1578. VII. 1562. VIII. 1562. et diuerſis quidem typographis, vnde licet concludere, quod

19) vid. meas delic. epiſt. p. 250.
20) loc. cit. p. 241. ſqq.
21) vol. IIII. P. I. p. 220. ſqq.
22) hiſtor. biblioth. P. I. p. 397-461.

quod hi tomi omnes non ſint vna ſerie prelo ſubmiſſi, ſed huius vel illius defectus nouam editionem poſtulauerit. Typorum adhibitorum elegantia laudem meretur, praeſertim, ſi temporis habeatur ratio. In fronte totius operis apparent 1. *Vorrede* NICLAS *von* AMSDORFF. 2. *Vorrede* D. MART. LVTHER *über den erſten Theil ſeiner deutſchen Bücher*, *anno* CIↃIↃXXXVIIII. *ausgangen.* Vtraeque praefationes dignae ſunt, quae ob praeclara et notabilia, quibus inſtructae, legantur releganturque.

Ienenſis operum latinorum editio, quam in bibliotheca Oſtermeieriana euolui, vnum quidem eundemque oſtendit typographum ienenſem, *Tobiam Steinmannum*, qui ſumtus etiam impendit; at diuerſos annos, quibus partes prodierunt. Sic tomus I ſcripta ab anno XVII vsque ad XX continens, habet in titulo annum 1612. tomus II, ſcripta ab anno XX vsque ad XXIIII complectens, 1600: tomus III, ſcripta ab anno XXIIII vsque ad XXXVIII comprehendens, 1603: tomus IIII, ſcripta ab anno XXXVIII vsque ad XXXXVIII exhibens, 1611; cuiusmodi exemplar, citato plane ſimile, poſſediſſe olim IO. FRID. MAYERVM, e biblioth. Mayer. p. 79. cognoſcitur. Ad hanc numerorum in titulis diuerſitatem ſpectant haud dubie verba Walchiana l. c. col. 640: *So werden auch Exemplarien angezeiget, deren Theile nicht in gehöriger Ordnung und hinter einander gedruckt zu ſeyn ſcheinen, ſondern, wie es ſcheinet, mag man nur ein und den andern Theil wieder unter die Preſſe gegeben haben.* Tomo primo praefixa eſt NICOL. AMSDORFII praefatio, e germanico in latinum ſermonem conuerſa, in qua tum de rebus aliis, tum de magno etiam ſcriptorum LVTHERI vſu diſſeritur.

Eſt inter libros meos operum LVTHERI latinorum editio, cuius tomum primum 1556, ſecundum 1557 Ienae *Chriſtianus Rhodius* excudit; tomus quoque tertius 1557 et quartus 1570 typis *Rhodianis* prodierunt. Praefixum eſt tomo primo IOANNIS FRIDERICI I electoris Saxoniae, priuilegium, in arce Grimmenſtein 1554 datum 23), in quo LVTHERI *opera ac monumenta nondum publice edita, vna cum reliquis eius ſcriptis, etiamſi ante impreſſis*, prelo ſubiiciendi facultas conceditur. Addita eſt, poſt patris obitum, principum filiorum, neceſſariam

 riam

23) exſtat etiam in editionis operum LVTHERI lipſienſis t. XXII. p. 122. ſqq. *Priuilegium der Hertzoge zu Sachſen über die Ienaiſchen Theile der Schriften Lutheri. Anno* CIↃIↃLIIII.

riam eamdem ob puram et incorruptam euangelii doctrinam iudicantium, confirmatio, Vinariae 1554 data. Hanc praefatio Amsdorfiana sequitur. Ienensis haec editio multa exegetica continet.

Editionis operum latinorum ienensis 1579—1583 meminit citatus IO. FABRICIVS 24) contenta eius diligenter recensens.

*Iena* sibi quoque vindicare potest honorem, quo *epistolarum* LVTHERI in lucem protractarum factum est initium, siquidem IOAN. AVRIFABER *tomum primum epistolarum reuerendi patris* MARTINI LVTHERI, *ab anno millesimo quingentesimo septimo vsque ad annum vicesimum secundum* excudi curauit *Ienae* 1556. 4. Laudandus omnino est ipsius conatus, etsi varia aduersus eum sint monita, quae more suo i. e. accurate, WALCHIVS 25) annotauit. *Laudandum*, iudicat IO. ALB. FABRICIVS 26) IOANNIS AVRIFABRI *studium*, *laudanda fides*, *qua Ienae an.* 1556. 4. *epistolas* CCLIII *Lutheri ab an.* 1507. *ad* 1521 *edidit*, *nec non altero volumine*, *Isleb.* 1565 4. *ab an.* 1517. *ad* 1528. *epistolas* CCCCVIII. *Quamquam enim maiorem in ea accurationem desiderat venerandus* D. IO. FRANCISC. BVDDEVS 27) *praefatione ad supplementum; tamen multum* AVRIFABRO *debemus*, *sine cuius industria si fuisset, tam multa praeclara animi fideique Lutheri documenta fortasse adhuc laterent.* Rectissime de epistolis LVTHERI iudicat WALCHIVS 28): *die Briefe selbst fassen viele brauchbare und schöne Sachen in sich*, *und sind so eingerichtet*, *daß man sie mit grossem Nutzen lesen kan.* Idoneis hoc argumentis in sequentibus luculenter demonstrat 29), neque tamen inficiatur, quod LVTHERVS fuerit homo, adeoque in his etiam epistolis interdum, at raro tamen, humani quid passus sit, propter quod duras illas censuras, quibus aliqui idcirco eum excipere non dubitarunt, minime meruerit.

IOANNES CHRISTFRIEDVS SAGITTARIVS ienensium numero neutiquam est excludendus, siquidem ante, quam abiret Orlamundam, et hinc Altenburgum, vbi praesulis supremi munere laudatissime functus est, Ienae professoris publici spartam valde ornauit. Instar omnium provocare

24) l. c. p. 397. sq.
25) vid. praef. ad P. XXI. opp. Luth. pag. b. sq.
26) centifol. Luther. P. I. p. 207. sq.
27) displicet ei in primis, quod codice epistolarum ienensi minus recte vsus sit.
28) l. c. pag. c. 2.
29) add. omnino, quae egregie scribit in vit. Luth. P. XXIIII. col. 820. sq.

vocare hic licet ad ipsius *otium ienense* 30), librum sane multa doctrina refertum, ex quo vel solo liquet, quam praeclare res suas in academia Salana egerit. Is vero deinceps ad opera LVTHERI edenda laudatissimo se consilio accinxit, vnde nata praeclarissima editio altenburgensis, cuius tomi I. II. III. IIII. 1661. V. VI. VII. VIII. 1662. VIIII. 1663. X. 1664. prodierunt. Ad hanc perficiendam adhibitos quoque esse tomos ienenses, haec in fronte obuia verba: *aus denen wittenbergischen, iehnisch-und eislebischen tomis zusammen getragen*, clarissime docent. Omnium accuratissime hoc declarat WALCHIVS 31), de editione altenburgensi sic inter alia commentatus: *die Aufsicht wurde* IO. CHRISTFRIED SAGITTARIO *aufgetragen, der auch allen rühmlichen Fleiß dabey angewendet. Das Werck begreift nur die deutschen Schriften* LVTHERI *in sich. Die ienischen Theile sind gleichsam zum Grunde geleget* 32), *und wie bey ienen geschehen, die Schriften nach den Iahren, in denen sie heraus gekommen, gesetzet; dasienige aber, so in den ienischen fehlet, aus den wittenbergischen und eislebischen Theilen, auch nach der Ordnung der Iahren, einverleibet worden. Die Schriften Lutheri, die niemahls ins deutsche übersetzet gewesen, sind, einige Briefe ausgenommen, unübergesetzt geblieben, und dahero müssen dieienigen, welche Lutheri Schriften beysammen haben wollen, zu diesen altenburgischen Theilen die ienischen lateinischen Theile nehmen.* Cum his praemissae tomo primo IO. AVRIFABRI, PHIL. MELANCHTHONIS atque ipsius SAGITTARII praefationes, e tomis wittenbergensibus et islebiensibus, vna cum aliis repetitae, conferantur, et dicta Walchiana vberius confirmabuntur, praedicata etiam maxima serenissimorum saxonicorum principum in scripta LVTHERI merita inuenientur. Tomo secundo PHIL. MELANCHTHONIS dedicatio ad OTTONEM HENRICVM, electorem palatinum, est praemissa. Tomus tertius in fronte habet eiusdem MELANCHTHONIS ad IOANNEM, marchionem brandenburgensem, dedicationem, in qua CASP. CRVCIGERI, GEORG. ROERERI atque GEORG. MAIORIS opera scriptis LVTHERI edendis nauata laudatur et de conciliorum in

 rebus

30) plura annotaui de hoc libro in schediasmate, quod *otia absque otiis* inscripsi p. 12. sq.

31) vit. Luth. col. 654.

32) ipse hoc non diffitetur SAGITTARIVS, diserte in praefat. scribens: *die ienischen Tomi, welche nach den Iahren geschrieben, sind gleichsam zum Grunde behalten worden.*

rebus fidei auctoritate differitur. Tomo quarto praefixa est eiusdem MELANCHTHONIS ad PHILIPPVM, Pomeraniae ducem, dedicatio, in qua hostium veritatis, LVTHERI scriptis propulsorum, mentio iniicitur. Tomi quinti ad IOACHIMVM, principem anhaltinum, dedicatio, a MELANCHTHONE itidem consignata, GEORGIVM anhaltinum, veritatis lutheranae confessorem, celebrat. Tomus sextus profert eiusdem MELANCHTHONIS ad GEORGIVM ERNESTVM, principem et comitem hennebergensem, dedicationem, in qua LVTHERI libri concionatoribus legendi commendantur et christianae, simulque lutheranae, religionis veritas inculcatur. Tomus septimus IOANNI GEORGIO ac IOANNI ALBERTO, comitibus mansfeldensibus, dedicatus a GEORG. MAIORE, fata ecclesiae summatim recensente. Tomus octauus instructus est IO. AVRIFABRI, qui simul hunc tomum CAROLO, comiti mansfeldensi, consecrauit, MART. LVTHERI ac GEORG. RORARII praefationibus, in quibus varia de religionis decremento ac incremento, de LVTHERO ipso, et alia ad deprauatae doctrinae emendationem spectantia, edisseruntur. Tomo nono, commentarium in genesin complectenti, praemisit BASIL. FABER elogium huius commentarii, quem omnium LVTHERI librorum optimum esse, censet. Tomum decimum ornant serenissima nomina, MAGDALENAE SIBYLLAE, FRIDERICI WILHELMI III, ac IOANNAE MAGDALENAE, principis ac principum saxonicarum, quae iisdem praeposuit SAGITTARIVS, et incomparabilia simul merita in religionem lutheranam, tam copiose, quam praeclare, concelebrauit. Continet autem hic tomus indices, magno labore et studio confectos, qui libris LVTHERI commode in vsum conuertendis egregie possunt inseruire. In praefatione tom. I. scribit, inter alia, SAGITTARIVS: *Ich habe mein in meiner Iugend über erwehnte Schriften verfertigtes Regifter nochmahln durchgesehen.* Quis dubitabit, quin temporis, quo LVTHERI scriptis diu inuigilauit, partem etiam quandam anni *Ienae* consumti sibi possint vindicare? Editionum ienensium adeo non oblitus est, vt potius de annis, quibus excusae sunt, t. X. p. 1207 sq. ad cognoscendam earum differentiam vtilia annotarit. Merita in LVTHERI scripta amplificasset SAGITTARIVS, si, quod in animo habebat, nouam epistolarum illius collectionem euulgare potuisset, neque huic labori fuisset immortuus 33). Legi vtique de hac editione meretur WALCHIVS 34), cui

33) conf WALCHII opp. Luth. P. XXI. praef. pag. b. access. ad P. XXIII. p. 20. add. theolog. Büchersaal vol. I. p. 595.

34) vit. Luth. col. 654. sqq.

cui ad laudem quoque valet, quod GODOFR. ARNOLDVM 35), de eadem ſiniſtre et abiecte iudicantem, refutarit.

IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS, theologus ienenſis, cuius fama longe dudum lateque vagata eſt, aſſiduorum laborum partem quandam LVTHERO etiam conſecrauit. Edidit enim *ſupplementum epiſtolarum* MARTINI LVTHERI, *continens epiſtolas CCLX, partim hactenus ineditas, partim editas quidem, ſed hinc inde diſperſas, et in tomis, quos* IO. AVRIFABER *edidit, non extantes, nunc autem collectas. Accedit diſſertatio praeliminaris de aucta inſigniter per recentiſſimas quasdam epiſtolarum collectiones re litteraria et eccleſiaſtica.* Hal. 1703. 4. Quod hoc ſupplementum ſub alio titulo: *collectio noua epiſtolarum* MARTINI LVTHERI, *occaſione iubilaei euangelici in lucem data*, 1717 comparuerit: BVDDEVS codice ienenſi MSto vſus, eundemque accuratiſſime ſecutus ſit: nouam quoque praefationem, in qua iniqua diarii gallici (*iournal des ſauans*) cenſura refellitur, addiderit, annotatum legimus 36). BVDDEVS quoque nouo ſcriptorum LVTHERI tomo, Hal. 1702. fol. edito, lectu dignam *vom rechten Gebrauch der Schriften* LVTHERI praemiſit praefationem, vtilia de lectione et vſu horum ſcriptorum monita ſuppeditantem. Repetita illa eſt in ſupplemento editionis operum LVTHERI lipſienſis p. 123. ſq. Vtinam prodiiſſent duo ſcriptorum LVTHERI tomi latini, de quibus ZEIDLERVS 37): *Von der Hand des Herrn* BVDDEI *ſind zweene gantze lateiniſche Tomi mit Gottes Hülffe zu erwarten*; ſic merita ſua in LVTHERI monumenta non parum auxiſſet.

Vt recentiſſima, ſic quoque inſtructiſſima ſine dubio omnium eſt editio, quae XXIIII partibus, totidemque voluminibus in 4, elegantibus typis et ſumtibus *Ioannis Iuſtini Gebaueri* Halae magdeburgicae 1740-1750 lucem aſpexit. Debemus hanc ſaepius laudato ienenſium hodie theologo primario, IOANNI GEORGIO WALCHIO, qui incredibili eam ſtudio adornauit, maximamque illi operam impendit, quibus famae ſuae et meritis ampliora dedit incrementa, quam mihi licet hac vice exponere. Vnde Walchianos inter labores, quibus docta numero haud exiguo ſcripta orbis eruditus refert in acceptis, principatum haud dubie ſemper obtinebit is, quem in ſcriptis

 LV-

35) hiſt. haereſ. t. II. l. 16 c. 5. §. 33.

36) theol. Bücherſaal loc. cit. p 595. ſq. I. A. FABRICIVS centifol Luther. p. 208. IO. GOTTFR. ZEIDLERVS praef. ad nouum tomum ſcript. Luther. pag. c. 2. b.

37) praef. cit. pag. c. 4. b. WALCHIVS vit. Luth. col. 678. 709.

LVTHERI edendis exantlauit, omnibus genuinis lutheranis nullo non tempore gratus futurus. Primo volumini praefixus est titulus: D. MARTIN LVTHERS *so wol in deutscher, als lateinischer Sprache verfertigte und aus der letztern in die erstere übersetzte sämtliche Schriften*; vicesimo quarto autem, siue vltimo: D. MARTIN LVTHERS *sämtliche Schriften, welche er sowol in deutscher als lateinischer Sprache verfertiget, vollständiger, und in bequemerer Ordnung: auch mit historischen Vorreden und Einleitungen in vier und zwanzig Theilen heraus gegeben.* Continent autem *biblica et exegetica* P. I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII; *catechetica* P. X; *postillam ecclesiasticam, domesticam*, et alia *homiletica* P. XI. XII. XIII. *praefationes, scripta historica et philologica, versionem bibliorum latinam* P. XIIII. *documenta ad historiam reformationis spectantia* ab anno 1517 ad annum 1524 P. XV. XVI. 1525-1537. XVII. 1538-1546, nec non *controuersias cum reformatis*, vt et *anti-pontificia* P. XVIII. XVIIII. *scripta contra sacramentarios, fanaticos, Iudaeos et Turcas* P. XX. *epistolas* P. XXI. *colloquia mensalia* P. XXII. *indicem generalem* cum *accessionibus* nonnullis P. XXIII. *vitam Lutheri* ac *indices speciales* P. XXIIII. Multa huius operis, ad praecipua, quae nostro prodierunt seculo, referendi, sistere possem elogia, si ephemerides litterarias vellem excerpere. Vnum sit instar omnium, quod his conceptum est verbis 38): *der* WALCHISCHE *Name, womit dieses Werck pranget, kan einen ieden hinlänglich unterrichten, was er sich von selbigem zu versprechen habe.* Immo vero nihil promisit editor, quod non satis superque praestiterit. Ingrederemur itaque campum tam amplum, vt emetiri eundem neutiquam possemus, si cuncta, quae in vasto hoc opere sunt notabilia, vellemus obseruare; vnde pauca modo breuiter licebit annotare. LVTHERI *commentario in Genesin* tributa maxima encomia WALCHIVS 39) affert copiosius, quam ante eum ab aliquo factum; ipse vero sic tandem recte iudicat: *es bleibet diese Schrift des seeligen Lutheri ein herrliches Werck, daraus gelehrte und ungelehrte zum wahren Verstand des ersten Buchs Mosis so wohl; als auch zur gründlichen Einsicht vieler theologischen Sachen und zu ihrer eigenen Erbauung grossen Nutzen schöpfen können.* Pars vicesima secunda huius operis complectitur *colloquia mensalia*, quae multi mallent e libris LVTHERI eiecta, quam inter eos conseruata. Notum est, quam acerba et dura de iisdem tulerint iudicia pontificii, e quibus vnicum modo producam CLAVD. FRAS-

38) theol. Büchersaal. vol. I. p. 576. 39) praef. pag. p. 3. sqq.
40) disquisit. biblic. p. 543.

FRASSENIVM 40), ſic cenſentem: *Talmudiſtae commentitium et ficti-tium eſſe docent operis huius* (Iobi) *argumentum, meramque parabolam Iſraelitis ad conſtantiam et virtutem informandis excogitatam: quorum delirio ſubſcribit Maimonides in more Neuoch. part. 3. cap. 22. in eamque inſaniam eunt anabaptiſtae, nec non et* LVTHERVS *in conuiuiali ſermone, titulo de patriarchis et prophetis, vbi ſcribit, librum, Iobi nomine inſcri-ptum, meram inuoluere ac referre fabulam perbelle excogitatam ad conci-liandam afflictis patientiam.* Simili modo alii, qui non impediuerunt, quo minus haec colloquia Ienae 1591. fol. cum praefatione ANDR. STAVGWALDI ſint excuſa 41), neque a renouata editione potuerunt de-terrere WALCHIVM, in docta praefatione idoneas inſtituti ſui cauſas affe-rentem. Cognitum ſcilicet eſt et perſpectum, quod in hoc libro ſint varia, quae numquam a LVTHERO potuerunt proficiſci, cum is in ſcriptis aliis longe aliter ſentiat. Quare ſi dicta ſunt a LVTHERO, quae in hoc libro ab eodem prolata perhibentur, is e mente aliorum potius, quam ſua, locutus eſt cenſendus. Ne dicam, quod verba eius non ſatis recte capi, aut minus apte intelligi potuerint. Variis itaque modis ob haec colloquia LVTHERVS fuit excuſatus et defenſus ab iis, quos IO. FABRICIVS 42) GEORG. HENR. GOETZIVS 43) I. A. FABRICIVS 44), et plures 45), copioſe ad-duxerunt. *Introductiones* in libros et ſcripta LVTHERI atque *praefationes* a WALCHIO iisdem praemiſſae, egregiae ſunt, ſingularique elaboratae ſtu-dio, quae lectorem inſigniter praeparant, eidemque praeferunt facem, cuius ope perſpicit, quae lectionem valde iuuant. *Commentarius de vita et rebus geſtis* LVTHERI, ſub titulo: *ausführliche Nachricht von* D. MARTINO LVTHERO, et diligenter et accurate et copioſe eſt elaboratus adeo, vt re-centioribus de LVTHERO ſcriptis minime cedat, multis potius palmam praeripiat. *Indices* etiam tanta confecti ſunt ἀκριβείᾳ, vbertate, iudicio, vt Springinsgutianorum, de quibus ſupra, iacturam haud aegre feramus. Quae cum ita ſint, vnusquisque rerum Lutheranarum peritus ſponte fate-bitur, quod Walchianum nomen per operam LVTHERI ſcriptis nauatam magnum

41) vit. I. A. FABRICII centifol. Luther. p. 302.

42) hiſt. biblioth. P. I. p. 471. ſq.

43) eclog. theol. num Lutherus librum Iobi cum Terentii ſcriptis et Virgilii Aeneide contulerit? in meletemat. annaeb. p. 391. ſqq.

44) centifol. Lutheran. P. I. p. 301. ſqq. P. II. p. 758. ſq.

45) ex his primo loco nominandus eſt WALCHIVS, qui non ſolum in praefa-tione colloquiis praefixa, verum etiam in vita Lutheri col. 818. ſq. hoc de momento ſolide egit.

magnum apud feram quoque posteritatem sit futurum, laudesque Walchianae sint mansurae.

Libri ac commentationes, quibus *Ienae* etiam vel elaboratis, vel saltem excusis, varia LVTHERI scripta aut renouata, aut illustrata, aut vindicata, e I. A. FABRICII centifolio Lutherano p. 23. 26. 50. 62. 90. 101. 119. 120. 121. 122. 129. 183. 284. 296. 299. 307. 308. 310. 311. 315. 316. 320. 324. 325. 326. 329. 338. 353. 354. 362. 366. 367. 368. 369. 388. 395. 404. 450. 460. 469. 471. 572. 591. 592. 598. 602. 642. 750. 770. 789. 792. 794. 800. 839. 841. 852. 856. 881. 883. 912. 917. 918. 923. 931. 933. poterunt cognosci. Addo LVTHERI scriptum *von heimlich gestohlnen Briefen*, quod DIET. HERMANN. KEMMERICHIVS Ien. 1731. 8. recudendum curauit et praefatione *vom Recht und Vnrecht des Briefaufbrechens* auxit. Operam scriptis quibusdam minoribus LVTHERI Ienae a IO. IAC. RAMBACHIO nauatam CHRISTIAN. FRID. BOERNERVS in praefatione tom. I. edit. lipf. opp. LVTHERI p. 2. T. V. p. 9. 15. collaudat. Idem in praefatione tom. XV. p. 3. sqq. litem ob LVTHERI *postillam domesticam* Ienae excusam, olim coortam, exponit. Praefationes Rambachianae *von dem Seegen der Schriften* LVTHERI, nec non *von der Vortreflichkeit der Schriften* LVTHERI, in supplemento editionis operum LVTHERI lipsiensis p. 132-144. sunt repetitae.

## III

## Varia theologorum ienensium MSSta.

QVAMVIS facile concedam, quod omnia, quae recensebo, praestantissimorum theologorum ienensium opera non sint inedita, varia potius fruantur luce; forte tamen non ingratum erit cognouisse, vbi manu scripta lateant, vnde intelligi poterit, an typorum ope expressis vel augendis, vel confirmandis, queant inseruire.

IOANNIS MVSAEI, magni quondam et doctissimi theologi ienensis, *locorum theologicorum*, nondum editorum, duo perspicere mihi licuit exemplaria, haud ineleganter exarata 46), quorum vnum manu sua scripsit b. parens meus, ERICVS ZACHARIAS A SEELEN, pastor quondam in terra ad Albim kedingensi, quae ducatus bremensis pars est, aselensis, de quo ex ipsius philotheca, quam inter cimelia mea asseruo, propitia possum verita-

46) si deceret filium, laudare parentem, dicerem, quod pater meus accurate satis scripserit, quamuis litterarum compendiis, quae vocari solent abbreuiaturae, non raro vsus sit.

veritate referre, quod tempus haud exiguum 47) Ienae exegerit, ibidemque non magni nominis theologorum modo, FRIDEM. BECHMANNI, SEB. NIEMANNI, ſed philologorum etiam, hiſtoricorum, philoſophorum, IO. FRISCHMVTHII, CASP. POSNERI, IO. ANDR. BOSII, GEORG. GOEZII, PHIL. MVLLERI, ERH. WEIGELII 48), GEORG. SCHVBARTI, VAL. VELTHEMII, IO. FRID. NICOLAI, fuerit auditor. His omnino addendus eſt laudatus MVSAEVS, qui quod eum amauerit, e memorata philotheca, nomine ipſius quoque exornata, apparet; quod hic vero illum indefeſſo audiuerit ſtudio et, quae in calamum dictauit, ſedulo exceperit, MSSta, quae penes me ſunt, luculenter demonſtrant. In his principatum obtinent citati loci theologici, de quorum vno exemplari iam egi in philocal. epiſt. p. 368 ſq. vbi allata hic non repetam, cum ab illis diuerſa queam dare. Communicauit enim mecum ſuum etiam, quod poſſidet, exemplar, M. IOACH. HENR. OSTERMEIERVS, eccleſiaſtes trauemundanus, quem generum dilectiſſimum iure mihi gratulor, quod a meo haud parum differre, animaduerti. In ipſa operis σκιαγραφίᾳ dari aliquod diſcrimen, cognoſcetur e titulis, quos eo, quo in hoc exemplari ſequuntur, ordine exhibebo. Prolegomena de theologia in genere. Cap. 1. de natura theologiae p. 1. cap. 2. de partibus theologiae p. 32. cap. 3. de theologiae principio p. 38. Pars prima theologiae, quae eſt de fine theologiae vltimo, tam obiectiuo, quam formali. Locus I. de fine obiectiuo, p. 102. Locus II. de theologiae fine formali, qui eſt beatitudo aeterna, p. 263. Partis generalis ſecunda pars, de theologiae ſubiecto, p. 337. Locus I. de creatione, p. 338. Locus II. de angelis bonis, p. 420. de angelis malis, p. 444. Locus III. de creatione hominis ad imaginem dei, p. 475. Locus IIII. de peccato, p. 513. Partis generalis pars tertia, de principiis et cauſis ſalutis. Locus I. de praedeſtinatione, ſiue electione aeterna, p. 557. Locus II. de Chriſto. Pars prior de perſona Chriſti, p. 637. Altera pars, de officio Chriſti triplici, p. 734. Locus de fide iuſtificante, p. 765. de iuſtificatione, p. 817. de ſacramentis in genere p. 861. de baptismo, p. 901. de coena domini p. 933. de magiſtratu politico p. 976. de coniugio p. 1020. Theologiae pars ſpecialis. Prolegomena, p. 1075, Partis ſpecialis pars prima, de nomine eccleſiae, p. 1078. de natura et definitione eccleſiae, p. 1088. de diſtin-



47) M. ADRIANO BEIERO, archidiacono ienenſi, audit *ſtudioſus induſtrius, inquilinus et conuictor quadriennis ſincerus.* Sed diutius Ienae eum commoratum eſſe, aliunde cognoui.

48) hic eum *mathematum cultorem ſtrenuum* vocat.

distinctionibus ecclesiae in vniuersalem et particulares, visibilem et inuisibilem, p. 1205. de proprietatibus ecclesiae p. 1221. de notis ecclesiae, p. 1249. de subiecto ecclesiae, p. 1286. de capite ecclesiae, Christo p. 1296. Vtrum, praeter Christum, aliud detur ecclesiae visibile caput? p. 1311. de plantatione ecclesiae per apostolos, et speciatim de apostolis, eorumque vocatione, p. 1339. de ecclesiae iam plantatae conseruatione et gubernatione p. 1363. de ecclesiae conseruatione et gubernatione post apostolorum tempora, et speciatim de ministrorum ecclesiae vocatione, p. 1387. de potestate ecclesiastica, p. 1406. de potestate ecclesiastica externa, p. 1438. de malis, quae ecclesiae aduersantur, et speciatim de haeresi, p. 1463. de externis caussis ecclesiam affligentibus eamque subuertentibus, p. 1495. de mediis et caussis ecclesiam conseruantibus p. 1505. de nouissimis p. 1523. de resurrectione mortuorum p. 1530. de iudicio extremo, p. 1533-1549. Ex hac inscriptionum serie apparet, quod alia sit in codice ostermeieriano, quam in meo, dispositio. Alia vero etiam nonnumquam est tractatio, et in illo quidem, minori scriptionis genere magnam partem consignato, vberior atque elaboratior, ad quam MVSAEI, qui haud dubie plus vice simplici locos theologicos praelegit, atque auditoribus in calamum dictauit, curae posteriores videntur accessisse. E diuersa autem, neque vno eodemque tempore facta, tractatione, qua modo aliquid additum, modo omissum, propter ea forsan, quae magis iudicauit scitu necessaria, ortum sine dubio est, quod vnus codex habeat, quo alter destituitur. Sic e. g. in codice ostermeieriano p. 405. mouet quidem et excutit MVSAEVS quaestionem: quo die plantatus sit paradisus? frustra tamen in eodem quaesiui obseruationes, quae in meo codice p. 213 sq. sic leguntur: *Dicitur deus Gen. II. 8. plantasse hortum Eden ab oriente, et in eo collocasse hominem. Quo de horto variant auctores, et sunt nonnulli, qui existimant, hortum Eden, quem paradisum vocant, non fuisse peculiarem locum amoenum, arboribus et fructibus exornatum, sed per illum hortum mystice significari in homine primo abundantiam quandam bonorum spiritualium, quae collata fuerit homini in statu integritatis, vt ita, hominem constitutum esse in horto Eden, idem sit, ac eum esse in summa voluptate, et omnium rerum spiritualium abundantia constitutum. Ita olim sensit Origenes et Valentius haereticus. Sed haec opinio non est admittenda. Nam Moses h. l. agit historicum. Historici autem non est metaphorice, sed proprie loqui. Et praeterea etiam ex circumstantiis longe aliter apparet. Porro putant quidam, paradisum quidem re vera fuisse locum amoe-*

*amoenissimum, sed per eum denotari, dicunt, totum terrarum orbem, qualis quidem fuerit ante lapsum. Et hanc sententiam amplexus est nonnemo in hac nostra Salana, qui publice anno huius seculi quinto docuit, nempe celebris ille historicus, Elias Reusnerus, cuius elegantissima scripta adhuc exstant. Statuit nempe is, quod per paradisum nihil aliud intelligatur, quam hic terrarum orbis, qualis ante lapsum fuit, qui incultus et sine labore arbores, plantas, herbas, et omnis generis fructus produxit: quando autem Adam propter peccatum dicitur eiectus horto, non esse illud intelligendum de motu locali, quasi loco motus fuerit, sed quia per maledictionem amoenitas illa et fertilitas desiit, et homo magno labore coactus est, terram colere. Verum haec opinio, vtut probabilis videtur, admittenda tamen non est, quia manifestam vim infert textui: deus enim dicitur plantasse hortum, et in eo collocasse hominem, vt illum coleret et custodiret: dicitur ita Adam horto rursus eiectus, et ita variis circumstantiis a Mose describitur, vt omnia haec mystice explicare, admodum durum sit. Denique alii putant, fuisse quidem locum partialem, sed extra hunc, quem nunc incolunt homines, orbem constitutum. Nam nostram terram, dicunt, vndique cingi oceano, illum autem locum amoenissimum fuisse vltra oceanum constitutum. Sed neque haec sententia vllo nititur fundamento, idcirco etiam a nobis merito posthabetur. Plerorumque doctorum sententia est, paradisum fuisse locum in oriente, et volunt nonnulli auctores, quod tractus ille orientalis, qui dicitur in historiis Mesopotamia, cum circumiacentibus regionibus, fuerit ille locus amoenissimus, id quod probare volunt ex fluuio Euphrate, et aliis, qui circumfluunt terram illam. Nobis videtur probatu difficile esse, quod regio hodie sit, in qua fuerit paradisus. Nam ex fluuiis illis non potest certum deduci argumentum, quia nullum est dubium, quin per diluuium vniuersale etiam ipsa flumina alios meatus acceperint, vt ita sciri non possit, an fluuius ille Euphrates sit, qui ante lapsum dicebatur Phrat.* Huiusmodi obseruationes ex antiquitate, philologia et historia sanctiori adornatae in opere hoc musaeano passim occurrunt, quae ad dogmata rite declaranda vtiliter et cum iudicio adhibentur. Optassent multi, vt ipse auctor istud in lucem protraxisset, quod illum in animo habuisse, quae IO. IAC. MVLLERVS ad BALTH. BEBELIVM d. 19. Aug. 1669. Ienae 49): *Ille noster* (MVSAEVS) *nunc in eo est, vt tractatum suum de ecclesia auctiorem propediem inuulget: post illa editionem locorum theologicorum*



49) vid. delic. epist. p. 368.

*corum omni contentione procuraturus;* CHRIST. FRID. KNORN ad eumdem BEBELIVM Osterrod. d. 20. Mart. 1678. MVSAEVM *in amplificandis edendisque locis suis theologicis Ienae totum audio occupatum,* scripserunt 50), testantur. Si spes affulgeret, fore, vt huic operi musaeano edendo aliquis manus admoueat, isque velit codices conferre, ego pariter ac OSTERMEIERVS nostros ad hoc institutum exsequendum sponte offerimus.

EIVSDEM *theses theologicae in collegio priuato ad disputandum propositae ac ventilatae in academia ienensi anno* 1671. Disputatio I. est de natura et constitutione theologiae II. III. de principio theologiae IIII. de fine theologiae obiectiuo V. VI. de attributis dei VII. de deo ratione personarum considerato, et rel. Seriem disputationum spisso hoc volumine contentarum in fine scripsit b. parens meus. Is addidit quoque copiosum valde *discursum*, vt vulgo vocant, ipso libro fere maiorem, in quo obiectiones, aliaque notatu digna reperiuntur.

EIVSDEM *quaestiones de syncretismo.* A me manu parentis scriptae asseruantur.

EIVSDEM *controuersiae.* Vastum implent volumen, cui insunt I. *controuersiae cum pontificiis*, quibus finitis parens meus *notata ex discursu magn. Dn. D. Ioh. Musaei super dispp. contra pontificios* subiunxit. II. *controuersiae cum caluinianis*, quibus *discursus a magnifico D. D. Praeside adiectus, ad obiectiones contra theses conscriptas*, additur III. *controuersiae cum socinianis*, quibus itidem copiosus *discursus* a patre meo adiunctus.

EIVSDEM *disputationes anti-caluinianae priuatim traditae et sub eiusdem* (MVSAEI) *praesidio ventilatae* 1669. Possidet eas OSTERMEIERVS.

FRIDEM. BECHMANNI *loci theologici in collegio priuato, Ienae* 1671 *traditi.* Et hic manum parentis video.

EIVSDEM *praelectiones in augustanam confessionem.* Ab OSTERMEIERO possidentur.

GEORG. GOEZII *homileta, siue de formandis sacris concionibus libellus.* Reperitur in bibliotheca ostermeieriana.

IIII

50) conf. loc. cit. p. 409.

IIII

IVSTVS LIPSIVS Ienae quondam professor.

ILIADA post Homerum canerem, si de magni huius ICti, critici, philologi, antiquarii, historici vita, fatis, scriptis, moribus, AVB. MIRAEI 51), IO. MEVRSII 52), VALER. ANDREAE 53), FRANC. SWEERTII 54) MELCH. ADAMI 55), et plurium, eorum praesertim, qui de professoribus ienensibus data egerunt opera, relationes, hac vice vel copiose repetere vellem, vel amplificare studerem. Ne de personato ADOLPH. CLARMVNDO (I.C.RVDIGERO) dicam, qui in vita LIPSII 56) multa quidem congessit, sed, more suo, variis in rebus errores commisit. Quare, pro instituti ratione, solum istud attingam momentum, quo inter professores publicos ienenses locus ei olim fuit concessus. Negasse istud quidem, annotante, praeter alios, IO. MVLLERO 57), dicitur; sed non negare ausi sunt Belgae, siquidem diserte scribit SWEERTIVS 58): *Ienae apud Saxones professionis publicae ac doctrinae suae specimen dedit*; ANDREAS, iisdem vsus verbis 59): *professionis publicae ac doctrinae specimen dedit Ienae apud Saxones;* MEVRSIVS 60): *Ienae paulo plus annum haesit et docuit.* Vnde non dubitarunt etiam ADAMVS 61), ad philosophos Germanos eum haud dubie referens ideo, quoniam musis ienensibus aliquamdiu interfuit, IO. HALLERVORDIVS 62), et plures alii, istud asserere. Mirum quidem videri poterat, quod in omnibus ipsius elogiis, quae magno numero ADRIAN. PARSIVS 63), TOB. MAGIRVS atque CHRISTIAN. WILHELM. EYBENIVS 64), congesserunt, ne vnica quidem vice Ienae fiat mentio.



51) Huius exstat *vita* LIPSII Antu. 1609. 8. quam SWEERTIVS loc. cit. p. 499. *accurate et docte descriptam* pronuntiat. 52) athen. batau. p. 109. sqq. 53) biblioth. belg. p. 599. sqq. 54) athen. belgic. p. 498. sqq. 55) vit. philosoph. p. m. 465. sqq. 56) vit. clariss. in re litteraria viror. P. I. p. 85. sqq. 57) atheism. deuict. p. 45. conf. CLARMVNDVS loc. cit. p. 91. sq. vbi copiose narrat, quod LIPSIVS officium ienense omnino infitiatus sit, Ienam ipsi in memoriam reuocantibus succensuerit, etsi septem ibi magistros crearit. Quasi vero non honori potius, quam ignominiae sibi ducere potuerit, quod in tam celebri academia egerit professorem. *Ob polygamiam Iena eiectus* a WERNSDORFIO comment. de indifferentism. relig. p 50. dicitur. Hinc fortasse illae lacrymae. Hinc illud odium in Ienam, quae eum tamen ex itinere germanico in patriam bello afflictam redire dubitantem benigne suscepit, officioque publico ornauit.
58) loc. cit. p. 499. 59) l. c. p. 600. 60) l. c pag. 111.
61) loc. cit. p. 468. 62) biblioth. curios. p 225.
63) ind. batauic. p. 13[illegible]. sq. 64) eponymolog. crit. p. m. 517. sqq.

mentio. Sed et hinc non euincetur, quod Athenae Salanae eum nunquam habuerint professorem, cum illa tendant potius ad magnam, quam in Belgio potissimum sibi pepererat, famam, et scriptis quidem praesertim, quae nondum ediderat, cum aetate non adeo prouectus Ienae doceret. Quamuis itaque non fuerit diu Ienae, fuit tamen, atque in hac academia munus doctoris publici administrauit. Et quomodo potuit hoc in dubium vocari, cum prostent orationes octo, quas ibi habuit, a THOMA SAGITTARIO primum editae, deinceps cura IO. HENR. KROMAYERI recusae? Contra solem itaque locutus est LIPSIVS, cuius negatio, omnium firmissime e commentariis academicis haud dubie falsitatis conuincenda, ortum videtur traxisse e Germanorum, apud quos se commoratum esse, sibi forsan non satis putauit honorificum, contemtu, a quo nonnulli (absit, vt de omnibus istud affirmem!) Belgae etiam non fuerunt plane immunes. Iena itaque habuit LIPSIVM, et habuit, de quo potissimum ei gratulandum est, sacra lutherana professum. Valde quidem, etsi singularem de constantia librum conscripserit, inconstans fuit in religione, quam ad regiones et vrbes, in quibus vixit, conformauit, dum Ienae fuit lutheranus, Lugduni batauorum reformatus, Louanii pontificius, ideoque a WERNSDORFIO 65), FECHTIO 66), et pluribus theologis 67), in numerum indifferentistarum relatus, siquidem omne inter religiones discrimen infitiatus est, et cunctas, dummodo sint christianae, pari passu ambulare, sibi persuasit. Fateri istud non est veritus, cum veteri in academia ienensi collega, CONRADO SCHLVSSELBVRGIO, Lugduni batauorum collocutus. Scriptum 68), quo istud memoriae prodidit SCHLVSSELBVRGIVS, cum hodie ad rariora polemica pertineat, ipsa dabo SCHLVSSELBVRGII verba 69): "Wie ich anno christi 1582 in meiner Wiederreise von An-„torff ihn (Lipsium) auf der Vniuersität Leiden, da er Professor war, „besuchet, als meinen alten Freund, und ihn fragete: Wie er es doch „könnte verantworten, dass er wäre von der *wahren Religion, zu welcher* „*er sich zu Iehna an.* 1572. *bekannt*, abgefallen, und hätte den Herrn „CHRISTVM verleugnet und verlassen? darauf gab er mir in seinem Hause, „in Gegenwart M. Henrici Latomi, gewesenen Predigers zu Antorff, diese „Antwort: Mi Schlüsselburgi, alter Freund und *Collega*: Ich habe den „Herrn

65) loc. cit. p. 50. 66) hist. et exam. theol. indifferentist. p. 16.
67) MVLLERO loc. cit. SAM. POMARIO Lehr- und Schutz-Schr. wider den Guttmann. Offenbar. Patron. P. I. p. 610. 68) Antwort und Erklärung auf die Schmehe Karten D. Christoph. Pelargi. Rost. 1616. 4. 69) Pag. D. iij. 2.

„Herrn CHRISTVM nicht verleugnet, noch verlassen, ob ich wohl alhie „mich zu D. LVTHERS Lehre nicht bekenne, und mit den Caluinisten umgehe. Denn *omnis religio et nulla religio* 70) *sunt mihi vnum et idem.* „*Et apud me lutherana et caluinistarum doctrina pari passu ambulant.* „Darauf erschrack ich und sprach zu ihm: Mein lieber Lipsi: Wo ihr bey „solcher Meinung bleibet, so werdet ihr übel fahren, et rel. Iena itaque merito laetatur, quod paradoxum in nonnullis, magnum tamen in multis, hunc virum habuerit, cordato theologo, laudato SCHLVSSELBVRGIO 71), idonea fide testante, eo tempore, *da er ein eifriger Lutheraner war, und mit seinem Eide bekreftigte, daß er D. Lutheri Lehr, für die einige, ewige, Göttliche Wahrheit hielte.* Vtinam in hac mente perseuerasset!

## V

## SEBASTIANVS NIEMANNVS, lubecensis, theologiae professor ienensis et Superintendens.

OMNIBVS Lubecae ordinibus, qui viros litteratissimos postulant, Iena longa annorum serie multos dedit tam egregie formatos, omnique disciplinarum genere imbutos, vt vrbi valde profuerint, hodieque prosint, commoda eius amplificarint et nostra aetate amplificent, ornamentis eius iure meritoque accensendi. At Lubeca vicissim concessit Ienae virum, qui decori ipsius et famae magna dedit incrementa, ad academiae Salanae lumina idcirco referendus. Is est SEBAST. NIEMANNVS, Lubecae natus, in quo Iena 72) habuit theologum cum excellentissimis comparandum, sincerae doctrinae contra KEDDIOS, MASENIOS, alios, strenuum vindicem, qui bella domini fortiter gessit: philologum praestantissimum: philosophum peritissimum: historicum, qui annales rerum in sanctiori republica gestarum tam sedulo tamque accurate excusserat, vt alios hanc quoque scientiam magna cum laude magnoque cum fructu docere potuerit. Haec dum scribo, non abripior affectu amoris, siquidem beatus parens meus eum quoque veneratus est inter praeceptores suos, quod e philotheca eius intelligo: non moueor iudicio, quamuis solidum istud inuenerim, IO. DIECMANNI, theologi πολυμαθεστάτȣ, supremi sacrorum praesulis bremensis ac verdensis, quem olim in examinibus sacri officii candidato-

70) haec verba dederunt forsan nonnullis occasionem atheismi eum habendi suspectum. 71) pag. D. iij. 1. 72) conf. RVD. AVG. BENED. THAVERI *gloriam academiae ienensis* (Erford. 1744. 4.,) vbi p. 13. NIEMANNVS honoris causa nominatur inter eos, quibus haec academia gloriam suam potissimum debet.

didatorum publicis saepius audiui NIEMANNI, doctoris sui, ἀκρίβειαν, peritiam, ingenii monumenta, (ad quae non raro solebat prouocare, iisdemque magna tribuere elogia), dexteritatem, industriam, valde praedicantem. Sola enim ipsius scripta sunt ita comparata, vt iisdem satis queam effatum meum tueri. Recenserem ea et plura afferrem, quae NIEMANNO ad laudem valent immortalem, si alii hoc labore nondum essent defuncti. Nominabo ex his modo tres, qui poterunt sufficere. Hi sunt IO. MOLLERVS 73), IO. CASP. ZEVMERVS 74), ac BALTH. MVNTERVS 75), qui de rebus ac scriptis niemannianis vberius sunt commentati. Quis vero mirabitur, quod tantum virum alii etiam sibi exoptarint? In his erant Cimbri, quibus ingens oboriebatur gaudium, cum perciperent, se nacturos esse NIEMANNVM sacris primo loco praeficiendum. Praefectus iisdem est cum summa praesulis flesuicensis dignitate, qua sic effulsit, sic meritus est, vt cum ienenses, NIEMANNI sui nondum obliti, eum mortui theologi primarii, IO. MVSAEI, spartam, quam haud dubie ornasset, capessere, optarent, Cimbri ipsum sibi vindicare mallent, quam aliis porro permittere. Vnde etiam in Cimbria vitam cum morte commutauit. En! Lubeca, quantum decus produxeris, dum produxisti NIEMANNVM. Quanta sunt merita tua in academiam et ecclesiam ienensem, in Cimbriam, dum illis optimorum filiorum tuorum haud postremum concessisti!

*** *** ***

Quemadmodum vero non est dubium, quin hic lubecensis Ienae, vbi magna cum laude vixit et docuit, in Holsatiam inde vocatus, fausta quaeuis precatus sit; ita nos quoque in vrbe Lubecensi candide vouemus, vt non hoc iubilaeum modo bene ac feliciter Ienae eueniat; sed per omne etiam tempus reliquum cuncta eidem prospere ac salutariter succedant. Sunt hodieque (plures olim fuerunt) in collegio nostro, qui ienensem academiam studiorum gratissimi agnoscunt matrem, eidemque idcirco optime cupiunt. Nos reliqui cum eorum votis nostra lubentissime coniungimus. Omnes idcirco sincere optamus, vt Iena floreat, vt maximum eius decus, academia, conseruetur, vt excellentissimorum doctorum, almam Salanam mirifice ornantium, ope, studio, labore, optimae litterae maiora

73) Cimbr. litterat. t. I. p. 464 sqq. 74) vit. theol. ien. vnde NIEMANNI memoria repetita est ab HENR. PIPPINGIO in memor. theolog. dec. I. p. 13. sqq.
75) dec. I. lubecens. extra Lubecam claror. p. 11. sqq.

maiora semper capiant incrementa, illique nullo non tempore valeant prosperrime. IAC. SCHALLERS, professor quondam argentoratensis, in epistola 76) ad BALTH. BEBELIVM inter alia scripsit: *Ego per totum vitae meae tempus nullibi beatius vixi, quam Ienae.* Faxit numen benignissimum, vt ienenses omnes, et DOCENTES et DISCENTES, non his modo diebus iubilaeis, sed secuturis etiam, diutissime viuant beate, immo beatissime!

76) scripta est Argentorati d. 8. dec. 1655. et a me philocaliae epistolicae inserta, vbi citata verba p. 113. leguntur.

---

# D. IO. CAROLI CONR. OELRICHS

COM. PAL. CAES. IVR. PROF. PVBL. ORD. IN GYMNASIO REG. SEDINENSI

DE

## DVARVM AC TRIVM ET QVIDEM SVPERIORVM ATQVE OMNIVM FACVLTATVM DOCTORIBVS

COMMENTATIO

Non mirabimini, VIRI CELEBERRIMI, me e longinquo, non excitatum, ductum pietatis solum studio, atque nominum VESTRORVM admiratione commotum, scriptione hac venire in gaudii VESTRI IVBILAEI partem. Is enim totus a pio animo et eruditione auersus esset, ne quid grauius dicam, qui raram hanc felicitatem, qua academiae VESTRAE, dei gratia, bis centum abhinc annis, frui contigit, si non verbis, mente tamen et cogitatione non extolleret, atque prouidam hanc non minus, quam potentem summi numinis curam, cui musarum sedis, quam incolitis, diuturnitas, per tantum aeuum et tot inter summa pericula, quot in bello huius temporis internecino germanico cincti fuistis, commendata fuit, haud praedicaret, cuperetque perennem. Ego sane non animo, non verbis dumtaxat, sed corpore etiam, hilariis VESTRIS lubens adessem, si officii mei ratio, et temporis tristitia, id permitterent. Tanto huius rei flagro desiderio, quanto gaudio perfundebar, quod certe non exile erat, quum nuperis secularibus sacris academiae gryphiswaldensis, vicinae nobis atque sororio quasi vinculo iunctae interesse, per clementissimas litteras regias, mihi esset datum. Sed, licet

 absens,

absens, intermittere tamen nolui, festum hunc diem celebrare, adclamando VOBIS eminus, ex veteri romanorum formula: IO! FELICITER! Velitis igitur quaeso, VIRI CELEBERRIMI, leuidense hoc scripturae genus, tamquam mei, erga VESTRAM academiam inclitam, animi, fausta quaeuis atque prospera, ad extremum vsque orbis terrarum diem, ei vouentis, interpretem, benigne accipere. Diu quidem haeseram, quo de argumento in primis, in festiuitate VESTRA iubilaea, verba ad VOS facerem, quod ad hanc etiam esset adcommodatum. At id mecum reputanti in mentem maxime veniebat sollemnitas ea, qua in secularibus celebrandis promotiones fieri solent, omniumque facultatum creari doctores, et singuli in ea quidem scientia, cui se maxime dicarunt. Rariora enim eruditorum certe sunt exempla, qui in duabus, tribus, vel omnibus facultatibus, tantos fecerunt progressus, quantos probare opus est, ad summos, in vna; consequendos honores. Atque hodie, amplificatis multum singularum disciplinarum terminis, sperare vix licet, vnum hominem sustinere amplius posse omnium facultatum summum gradum academicum. Quum tamen, superioribus temporibus, non defuisse animaduerterem plurium et omnium facultatum doctores, atque hos inter vnum aut alterum nostrae etiam aetatis deprehenderem, a celebritate VESTRA forte non omnino alienum fore, mihi persuasi, si rara eiusmodi orbis eruditi phaenomena, quae in eo eluxerunt et ad meam peruenerunt notitiam, iusto recenserem ordine: quod, quantum ego quidem scio, argumentum, nemo vsque adhuc, data opera, est persecutus. De reliquo D. O. M. etiam atque etiam rogo, vt meis, pro prosperitate VESTRAE academiae, deuota mente, susceptis votis adnuat benignissime, praecipue vero secularem VESTRAM celebritatem felicissime peragere, ac laetiora secularia redire, VOSQVE, VIRI CELEBERRIMI, in huius musarum sedis maiorem gloriam, eruditionis incrementum et illustrium familiarum VESTRARVM decus atque solatium, ad seram vsque senectutem saluos atque incolumes esse iubeat. VOS ego denique, vt, VESTRO me fauore complecti, non dedignemini, oro atque obtestor. Dabam Sedini XIIII. cal. febr. a CIↃIↃCCLVIII ipsos inter strepitus bellicos.

PAX! PAX! PAX!

O veneranda! o regina dea!
Reuerenda o pax!
Quae domina choros facis et nuptias,
Accipe nostra haec sacra libamina.

Accipe

Accipe pretiosissima per Iouem,
Accipe nec fac, quod facere solent
Dum moechantur feminae adulterae,
Quae reclusis paullum foribus
Vix se ostendunt dispicientes
Si quis ad ipsas studiose venit,
Regrediuntur:
Qui si abscesserit, iterum interuident.
Tu nihil in nos fac dea eimodi.
Quin potius te pandas totam
Prout addecet ingenuas.
Soluas bella acresque tumultus,
Te Belliluam (λυσιμαχῃ) vt vocet omnis.

ARISTOPHANES in *pace*, v. 975.

---

ID QVIDEM, cum ex ipso vastissimo eruditionis ambitu, tum maxime ex vita hominis breui, sua sponte fluit, vnam personam omnium scientiarum et artium opibus exhauriendis esse imparem: 1) sed quamlibet potius disciplinam totum omnino hominem, integrumque vitae humanae spatium 2) requirere. Id iam secum pensitans PLATO dixit: *duas artes, aut studia duo exercere humanam naturam non posse:* 3) indeque statuit, in bene constituta republica illam fore legem perquam vtilem, qua singulis singulae artes demandentur, negentur plures. Non minus id respexisse videtur XENOPHON, aetate quidem, haud tamen praeceptis, cum PLATONE plane coniunctus philosophus, qui ait: *fieri non posse, vt qui multas artes exercet, multa praeclara faciat.* 4) Iure



roma-

1) Romani inde, *omnium habere memoriam, diuinitatis magis, quam mortalitatis esse*, dicebant §. 14 *pr. const. de confirm.* D et *l.* 2. C. *de* V. I. E.

2) Id cum POMPONIO *l* 20. D. *de fideicom. libertat.* probe intellexit is, qui dixisse fertur: Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην.

3) PLATO in *dialog. de legib.*

4) XENOPHON in Κυρου παιδεία s. *de institutione Cyri, lib. VIII.* Eo etiam tendunt adagia: *Er kann viele Handwercker, aber betteln ist das beste. Vierzehn Handwercker, funfzehn Vnglück. Wer viele Handwercker zugleich lernet, lernet selten was*

*wohl*

romano 5) etiam et canonico 6) prohibitum legimus, ne quis duobus adſcriptus ſit collegiis: 7) quod et propter adſeſſores iudiciorum ſuperiorum et aduocatos, *formula noſtra nouiſſima* 8) fuit cautum. Neque ego his ſapientiſſimis enunciatis contrariam, ſine vlla exceptione, in me tuendam ſuſciperem ſententiam. Tamen teſtis eſt experientia, optima rerum magiſtra, vnum ingenium ſaepius valde excellere alteri, atque laborem et induſtriam vnius hominis ſuperare aliquando difficultates a pluribus haud vincendas: immo multum eſſe, quod expugnare poſſit pertinax opera et intenta ac diligens cura. Tantum ergo abeſt, vt reprehendendi ſint, vt laudem potius, ſine inuidia mereantur, qui ad magna quaelibet et ardua nati, inſtar ſtirpium, vno loco defixarum, in vna haerere ſcientia nolunt. Habent enim, quod iam CICERONI, 9) huic, dono quodam prouidentiae, Latio dato oratori, recte viſum fuit, omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quoddam commune vinculum, et quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Non moneo, quod neminem, qui a litteris nomen habet, latebit, nullam eſſe ſuperioris facultatis 10) ſcientiam, quae, ad eam diſcendam ſolide, omnia in ſe ſubſidia ita complectatur, vt ceteris facultatibus ſuperioribus plane non indigeat. Actum agerem, ſi rem non dubiam, exemplorum numero illuſtrare vellem: vno tamen, ne lentius me diſputaſſe quiſquam dicat, vti, non erit incommodum, neque graue cuiquam, ſi hoc a iuris prudentia, cui ſtudia mea in primis dicaui, petam. Quam multis enim ad veram ſolidamque eruditionem iuris adſpirantes inſtructi eſſe debeant ſtudiis ſubſidiariis, ii, qui iuſti ſunt huius rei arbitri, facili intelligent negotio. Nil dicam de immenſo ipſius doctrinae

*wohl und recht*: id eſt: plura opificia exercentem, raro in ſingulis excellere, aut operae pretium facere. Illuſtrarunt hoc prouerbium diuus MARTINVS LVTHERVS in *comment. ad prouerb. Salom. XII, 11.* et V. C. IO. NIC. HERTIVS in *epidipnide paroem. iur. priu. et publ. germ. Giſſ.* 1698. *p.* 20. *n.* 20.

5) *L. I. §. fin. D. de colleg. et corpor. l. 17. §. 4. D. ad municipal. l. vlt. C. de adſeſſorib. l. 23. C. de teſtament. l. 2. C. de executor. et exactor.*

6) *C.* I. *diſt. LXXXVIII.*

7) Hinc valent ſtatuta opificum vetantia, ne aliquis plura exerceat opificia, aut pluribus adſcriptus ſit ſodalitatibus.

8) CODEX FRIDERICIANVS *part. I. tit. XIIII.* §. *V.* et *part. IIII. tit. VI. ſect. II.* §. 11.

9) CICERO pro ARCHIA poëta, *cap. I.*

10) de origine huius adpellationis, in primis, qui factum ſit, vt *facultatis* nomen inderetur collegio et quidem ſolis in academiis, docte atque enodate diſputauit V. C. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS in *praef.* ad HERM. CONRINGII *antiquit. acad. p.* 13.

ctrinae iuris campo, quem emetiri paucos, quotidiana testatur experientia. Quin immo intentos nonnullos vni dumtaxat iuris parti, romano aut canonico, doctoris etiam, in vno solum vel altero iure, gradum, qui alias nonnisi vtriusque, quae dixi, iuris consultissimis solet conferri, consecutos 11) deprehendimus: at e contrario vnicum triplicis quoque iuris, romani scilicet, canonici et germanici, doctoris ita promoti, habemus exemplum: 12) sed non minus hoc, quam illa contra omnem vsum et

 morem

11) Sic enim IACOBVS WELSEN, Landsberga in noua Marchia brand. oriundus, *Aureliae*, iuris tantum ciuilis doctor creatus, atque inde, quod non vtriusque iuris doctor esset, locum in facultate iuridica *ienensi* obtinere non potuit. Huius rei testis est ADR. BEIERVS in *nomenclatura rector. et prof. ienens. p. 568.* Contra IOANNES WERNDLE, qui *de iure decimarum* tractatum reliquit, iuris solum canonici doctor erat. Vtrumque perhibet etiam V. C. CHRIST. GOTTL. IOECHERVS *im gelehrten Lexico.* Plura posterioris generis exempla dabit haec commentatio. Singulare etiam est, academiam *louaniensem* duplici gaudere facultate iuridica, vna iuris canonici seu pontificii, altera iuris ciuilis seu caesarei, quarum quaeuis suum habet decanum: inde quinque ibi numerantur facultates. Vid. NICOL. VERNVLEIVS *de acad. louaniensi, lib. II. cap. III.* In aliis contra academiis dumtaxat ius canonicum docendi munus exstat: in aliis nulla plane facultas iuridica. *Illud* de academia *lomucensi in Morauia* refert IO. GEORG. HAGELGANS in *orbe litt. acad. p.* 15. vbi ait: *eam gradus tantum in theologia, iure canonico et philosophia conferre, neque alios professores, quam in his facultatibus alere.* Editor vero *des academisch. Addreß-Calenders* anni CIↃIↃCCLVI. *p.* 87. omnes iam disciplinarum partes ibi doceri contendit. Ceterum V. C. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVM in *biblioth. hist. academica,* ipsius editioni HERM. CONRINGII *antiquit. acad.* subiuncta, ne verbo quidem huius mentionem fecisse academiae, miror. *Hoc* ratione academiarum, *dillingensis, graecensis in Styria,* et *Theodorianae* s. *paderbornensis* laudatus HEVMANNVS *c. l. p.* 45 69. et 146. monuit atque probauit. De discrimine doctores inter iuris canonici et ciuilis conferantur GOTHOFR. LVD. MENCKENII *progr. de orig. tituli* I. V. D. *Viteb* 1717. 4. PAVLLVS VOETIVS *de more promouendi doctores vtriusque iuris,* quae tractatio facit *caput VI.* EIVSDEM libri *de vsu iuris ciu. et canon. in Belgio vnito* et *Progr. inaug. de priuileg. ICtor.* editum *Cracouiae in sollemni promotione iur. vtr. doctorum, anno* CIↃIↃCCXXXXVIII. *fol.*

12) Qui rara atque a nemine antea visa aut audita semper venditabat IO. PET. DE LVDEWIG, vir alias portentosae lectionis et eruditionis, seculique nostri verum decus, is etiam in eo id probauit, quod auditorem suum, IO. GOTTL. GONNE, virum praeclare doctum, ob ipsius in iure romano et canonico non minus, quam germanico doctrinam, *triplicis iuris doctorem,* Halae, CIↃIↃCCXXXXIII. rite et sollemniter creauit atque renuntiauit. Vide V. C. GOTTL. AVG. AVG. IENICHEN *allerneneste Nachrichten von iuristischen Büchern, tom. III. p.* 651. et ex eo V. C. CHRISTOPH. WEIDLICHIVM *im Lexico der ietztleb. Rechtsgel. part. I. pag.* 296. itemque *in den zuverlaess. Nachricht. von den ietztleb. Rechtsgel. p.* 248.

morem academicum esse, per se patet. In ea vero non sum sententia, vt credam, iura romana et canonica, a quibus, qui horum solida eruditione excellit, eamque, more in academiis recepto, probauit, iuris vtriusque doctor audit, totum absoluere ICtum: multum abest, vt eiusmodi doctor, splendido sacerdotis iustitiae praeconio, queat insigniri, vt potius ceteras iuris prudentiae partes omnes atque adfines cum ea artes et scientias, quantum eam ornant et adiuuant, cognitas habere debeat atque perspectas. Quae de vasto doctrinae iuris ambitu breuiter strictimque disputaui, etiam ex parte de reliquis facultatibus superioribus dici possunt: quae non minus ex aliis scientiis multa accipiunt adiumenta. Ex parte autem dixi non sine caussa: quum, me quidem iudice, nulla superiorum facultatum tam latos habeat terminos et adeo multa studia subsidiaria requirat, quam iuris prudentia. At quid de philosophia dicendum? quam *inferiorem* facultatem dixerunt veteres: quid? quod ipsos philosophos professorum numero non habendos esse speciali lege, 13) cauerunt. Vnde id factum sit, iurene an iniuria? disquirere iam nec lubet, nec licet: id tamen omnes, qui cuiuis disciplinae suum statuere norunt pretium, mihi daturos esse, non spero tantum, verum etiam confido, nullam superiorem facultatem carere posse philosophia: quippe quae cum harum omnium sub se complectitur fundamenta, tum lucem accendit omnibus, atque auxilium praestat. 14) Non ergo mirum, multos eruditos, doctoris vel in theologia, vel iuris prudentia, vel medicina, 15) dignitatem adeptos, summos etiam in philosophia honores 16) adsumsisse. Eorum igitur, qui gradui academico in vna

13) *L. 1. §. 4 D. de extraord. cognit.* Hoc VLPIANI placitum illustrauit in peculiari *programm.* IO. ALB. SPIESIVS Altorfi CIↃIↃCCXXXII 4.

14) Conf. in primis V. C. IO. FRID. CRAMERI *diss. vsum philosoph. in facultatib. superiorib ostend.* et V. C. PET. AHLWARDT *diss. de vera philosophiae relatione ad superiores sic dictas facultates.*

15) Singulare admodum est priuilegium academiae *Iuliae*, *paduanae* aliarumque nonnullarum *italicarum* academiarum, quod, qui ibi suprema, in medica arte, laurea ornantur, eo ipso simul doctores fiant philosophiae. Sic ab HENRICO MEIBOMIO promotum dixit, haec obseruans V. C. GABR. WILH. GOETTEN, *im gel. Europa, part. I. pag. 768. in nota*, BARTHOLDVM BEHRENS.

16) His ornati, ab antiquissimo inde aeuo, dicti fuerunt *artium liberalium magistri:* hodie plerumque se dicunt *philosophiae doctores.* Pro hac adpellatione valde pugnat BALTHASAR CELLARIVS in *politica p. 264.* cui tamen se grauiter opposuit V. C. PHIL. BALTHAS. GERDESIVS in *orat. actui inaugurali disputatorio et renuntiationis* AVGVSTINI BALTHASARIS *in doctorem iuris*, praemissa, quae exstat in cele-

vna superiorem facultatum quoque adiunxerunt philosophicum, recensum instituere peculiarem, non e re erit. Hoc autem eo magis notandum, quo rarius est, eruditos sibi non numquam duarum atque trium superiorum, quin etiam omnium facultatum gradum academicum comparasse; quos ordine recensebo alphabetico, et ita quidem, vt omnium superiorum, aut trium in genere facultatum doctores praecedant: hos vero sequantur duobus gradibus academicis in facultatibus superioribus, eosque inter etiam tribus, adiuncta scilicet, a nonnullis quoque, laurea philosophica, ornati. Caue tamen tibi persuadeas, me, magnificos hos titulos in vno homine, pro tot etiam verae atque solidae eius, in singulis facultatibus, eruditionis, habere testimoniis: statuo potius, exempla istius modi si dentur, raras in terris aues nigroque esse simillimas cygno. Vera etenim saepius

celeberrimi huius viri *rituali acad. p.* 64. vbi haec leguntur: *Equidem in quibusdam academiis haecce philosophicam facultatem inuasit ambitio, vt suos promotos appellent doctores philosophiae. Si mihi dicendum sit, quod sentiam,* pergit, *existimo, quod decani philosophicae facultatis, qui philosophiae doctores renuntiant, re vera nihil creent; non doctores, quos citra crimen creare non possunt, nec magistros, quos noluerunt. Stat ergo perennis et inuiolata eminens illa potestas, superioribus tantum facultatibus propria creandi doctores et licentiatos.* Eamdem tuetur sententiam GEORG. CHRISTOPH. WALTHERVS *de iurib. et priuil. doctor. omn. facultat. cap. I.* et *XIII.* Ego quidem litem hanc meam non facio, id tamen, me vel non monente, quilibet perspiciet, omnem abire controuersiam in logomachiam: siquidem *magister* et *doctor*, re ipsa, conueniant, atque vnum idemque, nimirum dignum publice iudicatum, qui alios artis suae praecepta queat docere, significent. Inde etiam in pacto duces inter megapolitanos, Albertum, Magnum, et Balthasarem atque ciuitatem rostochiensem, Wismariae anno CIↃCCCCLXXXII facto, apud KLVVERVM *in der Beschreibung von Mecklenburg P. III. p.* 601. *doctores iuris* adpellantur *Meister.* Ipsos itaque philosophiae magistros, qui doctores audire malunt, nescire, quid velint, videre mihi videor: quum titulus academicus *magistri* antiquissimus sit omnium; prout prolixe docuerunt VV. CC. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS in *obseruat. von dem Titul: Magister philosophiae,* in EIVSD. *actis philosophor. part. XVI.* et IO. BVRCH. MENCKENIVS in *diss. de honorifico Magistri nomine eiusque iuribus insigniorib.* quae exstat in EIVSD. *diss. litt. p.* 78. Addatur solida hoc de argumento obseruatio IO. GOTHOFR. MEIERI in *diss. de doctoratu Lutheri §.* 5. *p.* 16. Communicauit etiam cum orbe erudito SIMON FRIDERICVS HAHNIVS in *collect. monumentor. part. I. n.* 5. ex aeuo vetustissimo magnificam inscriptionem litterarum ad philosophiae magistrum, quae his verbis concepta legitur: *septiformi studiorum lampade renitenti.* Atque, nisi in Germania constans multorum seculorum vsus, atque mos, quos quidem in eiusmodi rebus multum valere arbitror, refragarentur titulo doctoris philosophiae, vix audirentur abiudicantium hunc philosophis voces. Denique id, tribus vt aiunt verbis, monuisse ab hoc loco non erit alienum, dari tamen in *Anglia*

ſaepius deprehendimus CICERONIS dicta: *inſignia virtutis multi ſine virtute conſecuti ſunt* 17) et *titulos eſſe honorum dumtaxat vocabula, non vero dignitatis et verae laudis inſignia.* 18) Atque ſic etiam triplex gradus doctoris, triplex ſubinde non eruditionis, ſed ignorantiae eſt indicium: ita vt in plurium facultatum doctores non numquam quadret illud:

*Fili impudentiae, indoctiſſime fili ſtultitiae,*
*Dic quid ſuperbis, cum nihil ſcias?*
*Inter quidem grammaticos tu Platonicus. Si vero Platonis*
*Dogmata quis quaerat, grammaticus tu rurſus,*
*Ab altero fugis ad alterum. Neque vero artem*
*Noſti grammaticam, neque Platonicus es.*
*Omnia quidem noui, dicis. Imperfectus vero in omnibus es.*
*Guſtans omnes, nihil habes proprium.* 19)

Non nego, vnum aut alterum in omnibus facultatibus, a quibus doctoris aut alius gradus academici nomen geſſit, virum ſe praeſtitiſſe atque egregia dediſſe ſpecimina: plurimi tamen plurium facultatum doctorum in vna tantum

*Anglia* ſollemniter creatos in ipſis philoſophiae partibus doctores, *muſica* videlicet, *grammatica* et *rhetorica.* De muſicae doctoribus in peculiari libello: *Von den academiſch. Würden in der Muſick. Berol.* 1752. 8. commentatus ſum. Summos honores in *grammatica* apud Anglos olim viguiſſe, teſtis eſt ANTON. A WOOD in *hiſt. et antiq. vniu. oxonienſis, lib. I. p.* 24. qui haec habet; *Ad doctoratum iam deuenimus, quem gradum, quoad* HENRICVS II. *rerum potitus eſt, inter Anglos receptum non fuiſſe ſatis liquet: deinceps vero pariter manifeſtum eſt, tum a grammatices, tum muſicae, nec non philoſophiae, artiumque in genere profeſſoribus capeſſi ſolitum. Hiſce nimirum, poſt annos complures in ſtudiis collocatis, tamquam ſcientiarum, in quibus occupati fuerunt, egregie peritis, aliis tandem informandi munus titulusque ille doctoris* (ad docendum habilem indicans) *haud immerito deferebantur. Quibus tamen facultatibus, quod opes et honores haud perinde ac per reliquos obtinerentur, euileſcere demum apud vulgus occepit doctoris praefatio, adeoque vnius tandem muſicae profeſſoribus adhaeſit, qui ad gradum vtique illum adſpirare etiam num ſuſtinebant.* Iam nemo dubitabit, fidem omnino mereri, quando in *Lexico eruditorum* IOECHERIANO in vita ROBERTI WHITTYNDON ſ. WHITTINGTON dicitur, eum Oxonii per impoſitionem laureae *grammatices* et *rhethorices doctorem,* ſollemni ritu eſſe renuntiatum. Idem etiam in more fuiſſe *Patauii* anno CIϽCCCLXXXXII teſtis eſt IAC. FACCIOLATVS in *faſtis gymnaſii patau. part.* I. *p.* 25.

17) CICERO *lib. III. ad famil. ep. XIII.*
18) IDEM *c. l. lib. X. ep. XVI.*
19) *Anthologia graecor. epigramm. c. interpret. lib. II. cap. XXXXII.*

tantum fcriptis clari, 20) exftiterunt. Alii contra, vnius gradus academici praeconio contenti, in aliis vero facultatibus, muneribus, 21) aut fcriptis bonae

20) Inde etiam ex doctoribus theologiae et medicinae, itemque ex doctoribus iuris et medicinae ii dumtaxat, qui fcriptis medicis nominis fui famam reliquerunt pofteris, a V. C. CHRIST. WILH. KESTNERO in fcenam producti funt *im medicinifch. Gelehrten Lexico.*

21) Sic MATTHAEVS MOLITOR, *f.* MOLNERVS. I. V. D. decani facultatis iuridicae in vniuerfitate francofurtana et fimul paftoris ad aedem b. Mariae eiusdem vrbis officio eft functus, eiusque fucceffor IOANNES LINDHOLTZIVS, iuris doctor et dictae facultatis decanus, paftoris non minus fuftinuit munus. Vide fis IO. CHRISTOPHORI BECMANNI *notitiam acad. francof. p.* 67. 179. *et* 235. vbi *pag.* 179. perrarae huius tam diuerforum munerum coniunctionis has adfert rationes: *Quod ficuti,* ait, *mirum videatur, (nam fi conueniens non eft, theologos negotia fori tractare, feu, vt vulgo loquuntur, pedem alterum in cathedra facra, alterum in aula vel curia habere, nec ICtis conueniet, cathedram ecclefiafticam eoque pertinentia occupare) mores tamen iftorum temporum ita tulere, legimusque in actis noftris, alios quoque miniftros facros francofurtanos illius temporis nomina fua matriculae facultatis iuridicae dediffe, idque amore, vt vero fimile eft, ftudii iuris canonici: quales fuere magifter* BLASIVS FVNCK, *f. theol. licentiatus, collegiatus concionator francofurtanus et magifter* VALENTINVS TAMMENDORF, *praedicator francofurtanus, vt verba matriculae veteris fe habent. - - Inualefcente tamen doctrina renafcentis euangelii haec συμβίβασις, feu potius mixtura diuerforum eiusmodi vitae generum, ceffauit.* Huc vsque BECMANNVS. Verum enim vero licet ceffauerit hic mos in terris proteftantium, ibique haud frequentia hodie fint theologiae et iuris vtriusque doctorum exempla: eo frequentiora contra in hunc vsque diem funt apud catholicos: frequentiffima tamen, apud hos, theologiae et canonum i. e. iuris canonici doctorum documenta: quod tum ex indice theol. et iuris doctorum, quem dabo, patebit, tum aliis etiam exemplis, fi e re foret, poffet probari. Conf. fi placet, indicem profeffor. acad. vratislauienfis, *im academifch. Addreß-Calender* a. CIƆIƆCCLVI *p.* 12. Inde vero, quum nihil infolens et infuetum hoc effe deprehenderem catholicos inter, omnes, quos ex iis obferuaui, theol. et canonum doctores, ignotiffimos maximam partem, recenfere, haud operae pretium effe duxi. Id autem addere hoc loco non erit incommodum, medicos etiam nonnumquam facerdotis effe exfecutos munus et verfa vice. Sic IOANNEM MEY, *f.* MAIVM, profefforem theologiae et paftorem Mittelburgi, fimul artem medicam exercuiffe, ornatum quoque huius honoribus fummis, CHRIST. WILH. KESTNERVS im *medicinifch. Gelehrten Lexico, p.* 546. adnotauit. IENKINVM etiam THOMASIVM, facerdotem in Anglia, praeterea medicinae doctorem fuiffe, ex *vnfchuld. Nachricht.* a. CIƆIƆCCVIII, p. 596. conftat. Omitto exemplum *paftoris illius roterodamenfis,* medicum fimul fe gerentis, de quo AVG. PFEIFERVS in *theol. med. catechet.* in *praef.* commemorauit, eum haec diuini vatis, IESAIAE *LXIII.* 1. verba: *Ich bins der Gerechtigkeit lehret vnd ein Meifter zu helffen,* aureis litteris, aedibus infcripfiffe fuis: qui fic magis inter circumforaneos, quam, hoc loco, adnotari meretur. Adnumerandus

 denique

bonae frugis, 22) inclaruerunt, quin immo nonnumquam excelluerunt: qua in re HERMANNVS CONRINGIVS omnium maxime praeclaro est documento. Hic omnium litterarum homo, non solum in theologia, iuris prudentia, medicina, sed etiam philosophia, historia, atque prudentia ciuili

denique eiusmodi est eruditis ADAMVS COERBACH *f.* KOERBAGH, famosissimus auctor librorum pestilentissimorum atque rarissimorum: *Wordenboeck f. Bloemhof der Bastard-Woorden* et *Lightschynende in duystere Plaatsen der Godsgeleerheit* cet. qui *medicinae D.* atque *aduocatus amstelodamensis* fuit: ipse quoque in inscriptionibus librorum, quos dixi, se vocat *Rechtsgel. en Genees-Mr.* De huius viri fatis conferri merentur V. C. IO. DAN. GRVBERI *commerc. epist. Leibnit. tom. prodr. p.* 1307. in primis vero *viri ill.* ERN. IOACH. DE WESTPHALEN *exercitat. miscellae Hal.* 1722. 4. vbi *num. III.* de libris damnatis et vulgo suspectis, sigillatim *Vanini, Bruniorum,* COERBACHII, *Beurlandi,* agitur.

22) Huc pertinet memorabile exemplum viri, rarissimis ingenii, memoriae, ceterisque egregiis naturae dotibus praediti, CHRISTOPHORI CAROLI REICHEL, *med.* D, *atque philos.* M. *et practici apud dresdenses celeberrimi,* qui, in prima iam iuuentute, publica diligentiae dedit specimina, habita, anno CIↃIↃCCXXXXIII, in schola illustri et prouinciali misnensium, praeside rectore M. THEOPHILO GRABENERO, dissertatione *de numo Dionis,* editaque eodem anno in lingua germanica et italica oratione valedictoria ibidem recitata, qua *comparationem numorum cum discipulis* instituit. Deinde Vitebergae omnium facultatum doctores audiuit, ibique CIↃIↃCCXXXXVI *epistolam* vulgauit *nouam ac succinct. Naphthae Petrolei et inde productorum historiam, complexam,* et eo ipso loco, anno CIↃIↃCCXXXXVIII magistri lauream accepit. Eodem anno, diebus XI. XII. XIII. mensis Iunii in omnibus facultatibus superioribus dissertationes, suo marte elaboratas, publice defendit. Praeside enim V. S. R. IOACH. SAM. WEICKHMANNO de *terminis metallariorum a suggesta sacro haud alienis,* praeside V. ILL. AVG. A LEYSER *de citatione symbolica per tesseram fissam: Kerbholtz, Bergholtz,* et praeside V. C. GEORG. AVG. LANGGVTH de *vsu medico luti thermarum* disputauit. Anno vero CIↃIↃCCL die XXIII Mart. *disputationem inauguralem* de *tabaco eiusque vsu medico,* sine praesidio, publico eruditorum examini submisit. Eodem anno publici etiam iuris fecit *diatriben de vegetabilibus petrefactis.* In his non substitit vir diligentissimus: in rebus quoque aerariis adeo profecit, vt iam ante ab AVG. BEYERO, *regi Pol. a negotiis commissis et geometra subterraneo,* ex potestate ipsi concessa, *geometra,* publica tabula, fuerit pronunciatus die XXII Iunii anni CIↃIↃCCXXXXIIII, quum duobus, ante hanc diem, mensibus, ab alio praeceptore suo, KLOTZSCHIO, diploma de arte docimastica, vbiuis ab eo, si vellet, exercenda; nomenque *exploratoris metallorum,* quem vulgo *Guardein* vocant, iam accepisset. Humanitatem praeterea, quae non semper in eruditis conspicitur, cum doctrinae copia, laudabili studio, coniunxit, cuius rei ipse ego testis sum: quum enim anno CIↃIↃCCL in itinere litterario versarer, atque Dresdae virum celeberrimum adirem, non tantum comiter me excepit, verum etiam proposi-tum

ciuili incomparabilem doctrinam, libris quam plurimis 23) abunde probauit, amplissimos tamen titulos academicos ambire vetuit modestia, et summos tantum in medicina 24) atque philosophia adsumsit honores. Ex his, quae iam dixi, hanc elicio conclusionem: HOMO DOCTVS ET

Ii 2 SAPIENS

tum meum, freybergenses videndi metallifodinas, datis litteris commendatitiis ad ipsius amicos huius loci, viros in rebus aerariis peritissimos pariter atque humanissimos, multum adiuuit: pro quo beneficio gratias laudato viro publice hic ago habeboque maximas: quippe, hac via, occasionem nanciscebar commodam atque fructuosam, officinas omnes, quae aeri contundendo, praeparando et coquendo inseruiunt, videndi. Quo tempore in secturas etiam aerarias, non sine summis vitae periculis, descendi: prouidentiam tamen diuinam tum in his, tum in multis aliis vitae atque fortunae meae fluctibus mirifice sum expertus, quam religiosissimo gratissimoque animo supplex veneror atque dum viuam, venerabor.

23) Quae fuerit caussa, cur parum multos libros medicos ediderit CONRINGIVS, *med.* D. patet ex *Conringianis epistolicis*, quae cura CHRISTOPH. HENR. RITMEIERI *Helmst.* 1708. *12mo* prodierunt *p.* 50. vbi ait: *medici argumenti pauca abs me in lucem data, ad alia me vocantibus cum magnis principibus, tum etiam (ne quid dissimulem) ingenii mei late diffusa curiositate.* Exponit etiam *ibidem p.* 137. qui factum sit, vt theologica quoque tractauerit: *Abstinere operam,* ait, *ab omni sacro argumento, eamque solis politicis impendere, vtinam liceat! Nec vero me latet, posse me ita in multorum amicitia viuere, qui sacris illis disputationibus offenduntur: nec adeo sum imprudens, vt sciens volensque gratis mibi ipsi damnum creem: nec ex illa opera est, cur vel nomen exspectem, vel lucrum, cum vtrumque aliunde mibi rectius queat parari, imo paretur, hinc nec teruncio factus ditior. At vero conscius mibi sum, quid a deo sim nactus prae multis, quidue vicissim mei officii sit, quamue poenam merear, si illi desim intentus vnice seculi huius desideriis. Vnum illud, (testor deum) me adigit, ad illa sacra certamina non omnino deserenda.*

24) Ferunt, CONRINGIVM in omni doctrinarum genere versatissimum, ineuntem nuptias, ex sponsa sua quaesiuisse: an doctorem, in theologia, iure, an medicina, maritum optaret? atque, quum med. D. ipsi magis arrideret, in ipsius gratiam summos, in hac facultate, accepisse honores. Referunt id V. C. IO. PETR. DE LVDEWIG in *opuscul. miscell. tom. II. lib. IIII. opusc. I. col.* 1050. vbi ait: *In medica arte celebris historia est de* CONRINGIO, *quod, iuris prudentia relicta, medicinae se dederit in gratiam vxoris.* Ad hunc prouocat V. C. IO. WILH. GOEBELIVS in *notis* MELCH. SCHMIDII *progr. in obitum* CONRINGII adiectis, quod praemissum est EIVSDEM *operibus* a laudato GOEBELIO, *Brunsu.* 1730. *tomis VI. in fol.* editis. Add. V. C. GOTTL. STOLLIVS *in der Hist. der medicinisch. Gelahrheit, p.* 289. Verum ea de re dubius sum, quum ipse CONRINGIVS aliam atque aliam honoris doctoris in medicina adsumti prodat rationem: ita enim legitur in aliis *Conringianis epistolicis*, iis nimirum, quae *Guelph.* 1749. *in 8uo* publici iuris facta sunt 17. seq. *Ad medicorum lauream petendam, me partim vitae necessitas, partim vulgi importunitas adegit: quod sine illa nemo aliquid in me esse artis, facile persuaserit: quod tamen, vt sit etiam plebi persuasissimum, interest meae indigentiae.*

SAPIENS IN SE SEMPER HABET HONORES, IPSIQVE MAXIMVS EST HONOS, HONORES, QVOS NON HABET, MERERE.

ORNATI HONORIBVS ACADEMICIS IN OMNIBVS FACVLTATIBVS SVPERIORIBVS ATQVE EX PARTE ETIAM IN PHILOSOPHIA

BOETTICHER, (BERNHARDVS) *theol. et iur. canon. baccal.* 25) *medicinae licent. et art. liberal. magister*, primum Rostochii a. CIↃCCC XXXX, postea in noua pomeranorum acad. Gryphiswald. a. CIↃ CCCCLVI professor. 26)

BRASAVOLVS, (ANT. MVSA) *omnium facultat.* D. 27)

CAPITO, (WOLFG. FABRITIVS) anno aetatis suae XX in *medicina*, XXVI *in theologia*, et XXXXIIII in *iuris prudentia* D. creatus.

DE

25) Infimum hunc in iuris prudentia honorem academicum in Anglia etiam esse in vsu, HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMIVS im *englisch. Kirchen- und Schulen-Staat*, *p.* 339. obseruauit. Add. ANTON. A WOOD in *hist. vniu. oxon. lib. I. p.* 21. qui testatur, illum qui baccalaurei gradum in artibus obtinuerit, potiori olim loco habitum esse, quam si in iure, vel medicina, immo vel in theologia, hunc honoris gradum fuerit adeptus. De dignitate baccalaurei iuris *Patauii*, conferendus est IAC. FACCIOLATVS *c. l. part.* II. *p.* 10.

26) Haec. MART. RANGO in *praef.* ad *Colbergam togat. Colb.* 1680. 4. et GEORG. DE FVRST *in den Reisen durch Europa p.* 32. Falluntur tamen in eo, quod BOETTICHERVM primos inter professores academiae gryphicae collocant, cuius, in indice omnium huius vniuersitatis professorum, ex ipsis annalibus eruto, et *actis iubilaei* nouissimi adiecto, nulla est mentio facta. Id etiam hoc occasione, dum prelo haec iterum subiicitur commentatio, monitum volo, BERNALDVM BODEKERVM, *theol. et iur. canon. baccal. medic. licent. et art. liberal. magistrum*, quem sic commemorauit IVST. CHRIST. SCHOMERVS in *diss. de funct. ecclef. et polit. combinat.* §. 18. sine dubio esse BERNHARDVM BOETTICHERVM: quum vterque in nomine, si rationem habeamus dialecti eius aetatis, et dignitatibus academicis, plane conueniat. Inde tribuenti mihi hic in prima huius commentationis editione BERNALDO BODEKERO peculiarem, ante illum, locum, seducto a SCHOMREO, somnum obrepsisse, lubens largior, ac si nihilo minus admissae culpae reus sum, veniam quam peto daboque vicissim, me indepturum spero.

27) Huius exempli atque subsequentium, quibus nullam probationem additam inuenies lector, testis est V. C. CHRIST. GOTTL. IOECHERVS in nouissima editione *Lexici eruditorum*: quod breuitatis studio, semel monuisse, sufficiat: vbi hi eruditi, cum hic a me nominatis honoribus academicis, iisdem adducuntur verbis. Sequutus vero sum narrationem celeberrimi auctoris, existimans, eum, haec, quae dixit, nonnisi iusta inquisitione praeuia, retulisse. Ex adiectis reliquis articulis notis ac testimoniis et suppleri et emendari poterit opus IOECHERIANVM.

DE COLLAS, (10.) *omnium facult.* D. 28) S. R. M. Borussiae protribunus cohortis architectorum castrensium, belli atque redituum regiorum a consiliis, regiae societatis scientiarum anglicanae, itemque regiae academiae scientiarum berolinensis, collega.

Ii 3 FERDI-

28) Quam primum rarissimum hoc orbis eruditi phaenomenon nostrae aetatis, in catalogo sociorum academiae scientiarum regiae berolinensis, fastis vrbis politicis, quam dixi, (*Adreß-Calender von Berlin*) addito, offenderem et ipsius effigies *part. LXXV. des neuen Büchersaals der gelehrt. Welt* praemissa, hac cum inscriptione: IOANNES DE COLLAS, *omnium facult. Doctor. S. R. M. in Prussia Cons. Cam.* (*Krieges-und Domainen-Rath*) et *Geometr. Director*, (*Königl. Preussisch. Obrist Lieutenant der Ingenieurs*) *Reg. Soc. Anglic. et scient. Berolin. socius Hered. Domin. in Domelkein*, oculis sese meis repraesentasset, vix iis credidi: tantorum enim maximeque a se diuersorum honorum et munerum hominem exsistere, in admirationem me rapuit atque stuporem, eoque magis, quum de erudito hoc nil legissem antea, et, ne fando quidem, audiuissem. Tenebar ideo magno desiderio, talem eruditum adeo multas personas sustinentem penitius cognoscendi, litteras ad eum exarabam atque vitae eius curriculum studiorumque rationem maximopere ab eo petebam, ad quas quidem responsionem accipiebam, indicantem nonnullos ipsius labores, his verbis:

*J'ay bien receu l'honneur de la votre du 2. Iuillet par Mr. Pierre* de Pellet *avec la dissertation de* Botding *et* Lodding *du mois de Mai passé, dont je vous suis obligé, et en vous remerciant; comme vous me demandés l'histoire de ma vie, je me ferai un veritable plaisir de vous l'envoyer, selon vos ordres par Mr. le Conseiller et Professeur* Kurella. *Ie prens aussi la liberté de vous envoyer ma taille douce q'on à imprimé à Leipzig dans la* xxv Oeffnung der gelehrten Welt (*de l'an* 1713) Büchersaal, *et comme à mes propres depens j'avois alors par curiosité leué et fait la Carte de toute la Prusse, en vne, et en 4 Cartes de la grandeur ordinaire que je voulois faire imprimer, les envoyant par Berlin pour en avoir la permission: par malheur j'ai envoyé aussi mon Livre, que j'avois fait* in Quarto (*pour moi et non pour la presse*) von der wahren Beschaffenheit des Königreichs Preussen in XII. Theilen, *avec la description, où toutes les Cartes particulieres des* 32. *Baillages de Sambland, Natangen, et Oberland joint aux Plans des Villes et Forteresses, Maisons de Plaisance et Palais que j'y avois fait batir se trouvent. Là dessus, sans doute par meprise et mesentente, on m'a renuoyé ces Livres et les Cartes faites pour le bien public, me defendant de les faire imprimer quoi que je crois que le Roi permettra, que la Carte generale de son Royaume de Prusse soit imprimée, d'autant plus que depuis la contagion tout s'est bien changé et amélioré.*

Weissenstein *à deux*
*Lieues de* Königsberg
*le* 31. Iuillet 1750.

I. DE COLLAS.

At promissam vitae eius historiam, repetitis licet illico precibus, obtinere non potui: neque sperare hanc amplius licet, quum hic vir, iam anno CIↃIↃCCLIII diem obierit

FERDINANDVS f. FERRANDVS (*Cordubensis*, f. *de Corduba*) *omn. facult.* D.

Singu-

obierit supremum, et eius filii, posteris memoriam tradi patris, detrectent. Nonnulla tamen de ipsius viri studiis cognosci possunt ex opere historico: *Preussische Merckwürdigkeiten, oder Nachlese zum erläutert. Preuss. tom. V. p.* 21. 814. itemque ex diar. litt. *Neuer Büchersaal der gel. Welt, part. XXV. p.* 68. *et part. XXVI. p.* 144. *seqq.* et ex WILL. DERHAMI *physico theologia* (edit. III.) *p.* 892. vbi noua eius exstat obseruatio, cum londinensi scientiar. societate a. CIƆIƆCCXII communicata: *quod hirundines, bieme, viuant sub aqua.* Haec dum scribo, clarissimus atque humanissimus GEORGIVS CHRISTOPHORVS PISANSKI, *lycei parochialis Regiomonti in Borussia pro-rector* dignissimus, mecum communicat exemplum litterarum a viro docto, cui aetas nondum vidit parem, GODOF. WILH. LEIBNITZIO, ad laudatum DE COLLAS a. CIƆIƆCCXII exaratarum: quae, quum vsque adhuc ineditae et, in nonnullis, huius viri studiorum testes sint, eas hic legere, forte non erit molestum. Sunt vero sic conceptae:

*Monsieur!*

*Vos lettres me donnent toujours beaucoup de contentement, et si je n' etois trop distrait, j'aurois bien souvent l' honneur de vous entretenir. Ie vois, que vos connoissances et recherches ne sont pas seulement fort etendues, mais encore fort exactes et profondes, et j' applaudis à notre Societé et au pais du Roi de vous avoir. I'espere de venir à Berlin l'année qui vient, peut-etre à la fin de l'hyver et alors je me ferai montrer tout ce que vous nous avés envoié, et en dériserai une partie, pour entrer dans le Tome prochain de nos* Miscellanea, *qui apparemment ne paroitra pas si tot, si je ne viens moi même à Berlin pour le pousser. Cependant, je vous prie, de nous communiquer aussi, ce que vous avies destiné à la Societé Roiale de Londres et qui s' est perdu. Ie suis bien aise, que vous ayés pensé à la Variation de l' Aimant. Quand j' étois à Torgau l'année passée aux noces du Czarewitz, je proposai à Sa Majesté Czarienne de faire observer cette variation dans ses vastes Etats. Car ces pais sont encore* Tabula rasa *en matiere d' Observations Magnétiques et comme ils sont fort septentrionaux etc. elles y serviront à examiner l' Hypothese des poles Magnetiques mobiles. Sa Majesté Czarienne a paru fort portée à faire de telles Observations, et je ne doute point qu' Elle n'y pense et á d'autres aussi, quand Elle sera plus libre. L'inclinaison de l' aiguille n' a pas encore eté assez approfondie et la question est, comment une même aiguille change d'inclinaison, quand elle est transportée d' un lieu à un autre et cela periodiquement. Les recherches sur l'art des Charpentiers, que vous avés faites, comme je vois, me paroissent fort importantes; et je souhaiterois de savoir à combien de longueur vous croiés qu'on puisse pousser un pont de bois sur une riviere, sans lui donner des piliers ou soutiens, qu' aux deux extremités. I'estime fort aussi vos recherches sur les insectes, mais si vous aviés observé quelque chose d'utile sur la peste, vous obligeriés extremement le Genre humain. La derniere peste de la Prusse vous aura fourni occasion d' y réfléchir. Ie m'imagine, que la peur contribue beaucoup à changer les fievres malignes en pestilentielles. Mais tout ce que vous avés envoié ou faites esperer, me paroit curieux et digne de consideration,*

Singularia prorsus sunt et miraculi instar, quae de viro hoc, dum adhuc esset iuuenis annorum plus minus viginti, a STEPHANO PASQVIER 29) traduntur. Iuuabit prolixam eius narrationem ex IO. LIMNAEI 30) translatione in linguam latinam hic adiicere, quae sic concepta legitur: *Omnes septem callebat artes liberales, testibus litteratis vniuersitatis parisiensis. Praeterea omnibus instrumentis musicis, vt et voce poterat canere melius, quam quisquam alius, qui Lutetiae, aut alibi cognitus. Bellicis in negotiis omnes superabat, gladio maiore, vtroque, qui regitur, brachio, ad miraculum vsque prae ceteris ludebat. Quando enim aduersarium suum perspiciebat, saltu in eum ad viginti, aut viginti quatuor pedes irruere erat dispositus. Erat* magister artium, magister medicinae, 31) doctor legum canonumque, doctor theologiae. *Disputando etiam in collegio* Nauarreno, *in praesentia quinquaginta doctissimorum viro-*

*ration, et si j'étois en état de contribuer à votre encouragement en quoi que ce soit, je n'y manquerois pas assurement. L'esperance, que vous me donnés de pouvoir avoir un jour l'avantage de vous voir, me réjouit par avance. En attendant, je suis avec passion*

*Monsieur*

Hannovre, *Votre très humble et*

*ce* 18. d'Octobre 1712. *très obéissant Serviteur*

LEIBNITZ.

29) in *Recherches de la France, lib. V. cap. XXXVIII. p.* 698.

30) in *iure publ. I. R. G. lib. VIII. cap. VIII. n.* 59.

31) in omnibus facultatibus magistri titulum academicum obtinuisse olim, animaduertit V. C. IO. BVRCH. MENCKENIVS *c. l. p.* 78. Add. EIVSDEM *progr.* de *dignitate magistri, praesertim lipsiensis*, quod subiunctum etiam est EIVSDEM *declamationibus de charlataneria eruditor.* Aliud exemplum *magistri medicinae* probat nota 62. De *magistris theol.* non nihil habet nota 52. Quin immo, ab antiquissimis inde temporibus, *cuiuslibet disciplinae praeceptorem*, honoris caussa, *magistrum* vocatum fuisse, docet *l.* 57. *D de V. S.* Inde adpellatio facile intelligenda, qua IVSTINIANVS *imperator, antecessores iuris* dixit *magistros legum.* § 1. *const. de iura doc. rat.* quos tamen aliquando *legum doctores* quoque nominauit *l. 6. C. de prof. et med.* Verum academica doctoris vox seculo demum XIII fuit audita. Denique id moneo, eodem in sensu, quo IVSTINIANVS *magistri* vocabulum accepit, hoc etiam num apud catholicos esse frequens, qui nonnumquam scholae praefectum, dicunt *magistrum*, addito disciplinae, quam docet, nomine. Sic romana facundia, nostra aetate clarus, clarior futura, senescente magis ac magis latinae linguae maiestate, PAVLLINVS CHELVCCI a S. IOSEPHO, *magister* dicebatur scholae rhetoricae *luccensis*, quod in huius vna classe docebat rhetoricam: quamuis gradum magistri academicum non haberet. Conf. huius viri vitam a V. C. IO. ERH. KAPPIO conscriptam praemissamque ILLIVS *orationibus* vol. II. Lipsiae 8. cura laudati KAPPII, recusarum.

*virorum et trium millium studiosorum, tanta ingenii subtilitate ad omnes propositas quaestiones respondit, vt qui ipse praesens non fuerit, credulitate sua id non posset adsequi. Eleganter loquebatur latinam, graecam, hebraicam, chaldaicam, arabicam aliasque complures linguas. Armorum erat eques, atque si possibile, hominem centum vsque ad annos vitae producere terminum sine cibo, potu, somnoque, non posset tamen eam sibi parare rerum scientiam, quam ille habebat extemporaneam. Nobis sane terrori fuit, plus enim tenuit, quam naturae humanae conueniens videbatur. Erroris quippe arguebat quatuor cunctos ecclesiae doctores. Breuibus, non erat, eius sapientiae quod toto respondeat in orbe.* Iisdem fere verbis portentosissimae huius rei exposuit historiam IO. LAVNOIVS, 32) prouocans ad excitatum STEPHANVM PASQVIER, quem sua ex MSCto codice, ob oculato teste confecto, hausisse addit. Nomen vero adolescentis his locis non est adiectum, atque etiam in prima huius commentationis editione omissum: quod tandem me docuit IO. TRITHEMII *chronicon sponheimense*, f. *spanheimense* 33) vbi haec leguntur: *Verum, ista nobis scribentibus* FERRANDVS CORDVBENSIS *ad memoriam reducitur, qui anno* CIↃCCCCXXXXVI *iuuenis annorum* XX *miles auratus, artium, medicinae et sacrae theologiae doctor, cum octo equis, de Hispania venit in Franciam et totam Parisiorum scholam sua mirabili scientia vertit in stuporem. Erat enim omni facultate scripturarum doctissimus, vita et conuersatione honestissimus, non — — arrogans et superbus, sed humilis multum et reuerentia plenus. Memoriter tenuit Bibliam totam, Nicolaum quoque de Lyra, scripta sancti Thomae Aquinatis, Alexandri de Hales, Ioannis Scoti, Bonauenturae et aliorum in theologia complurium, Decretum quoque et omnes vtriusque iuris libros, et in medicinis Auicennam, Galenum, Hipocratem et Aristotelem atque Albertum omnesque philosophiae et metaphysicae libros et commentaria ad vnguem, vt aiunt, memoria conseruabat. Denique linguas, hebraicam, graecam, latinam, arabicam et chaldaeam perfecte legit, scripsit, intellexit. Romam a rege Castellae missus orator, in omnibus Italiae Galliaeque gymnasiis publicis disputans, conuicit omnes, ipse a nemine vel in minimo conuictus. Varia de ipso inter doctores parisienses mouebatur opinio, aliis magum illum ac daemone plenum cauillantibus, aliis sentientibus contrarium. Non defuerunt, qui Antichristum*

32) in *historia gymnasii parisiens. p.* 158.

33) in *operib.* a MARQ. FREHERO *edit. tom.* II. *p.* 415.

*stum putarent propter incredibilem scientiam scripturarum, qua cunctos mortales videbatur excellere.* Inde hoc commemorare loco FERDINANDVM s. FERRANDVM *Cordubensem* nullus dubitaui.

FERRARIVS (IO.) *theol. baccalaureus, iuris doctor, et medicinae licentiatus.*

IEHLIN (ANDR) *theol. iuris et med. promotus doctor.* 34)

DOCTORES TRIVM FACVLTATVM NON NOMINATARVM

DAVIANVS, (XAVERIVS AEMILIVS)

LOPIS, (IOANNES)

DOCTORES TRIVM FACVLTATVM NOMINATARVM ET NON NOMINATARVM INCERTAE TAMEN FIDEI

CANTERVS, (ANDR.) 35)

COTTVNVS, (IO.) 36)

TAS-

34) de hoc fulgentissimo reipublicae litterariae sidere, si titulos spectes, sic refert auctor libelli: *Die edelgebohrne Iungfer Alchymia. Tub.* 1730. 8. cuius verus parens est IO. CONR. CREILINGIVS, *prof. quondam med. et phil. Tubingae, p.* 278. *et* 281. *Zu Weitzenkirchen, einem Ort in Ober-Oesterreich, ist ein Pfarrer, Namens* ANDREAS IEHLIN, *der in allen drey Facultaeten, als der Medicin, Iurisprudentz, und Theologie promouirter Doctor war, der auch zugleich in der Chymie gute Progressen machte.*

35) Circumfertur epistola quaedam FRIDERICI III *imp. Viennae,* die XXV. Ian. a. CIϽCCCCLXXII ad iuuenem decem annorum huius nominis, filium IO. CANTERI, *Groningani,* data, qua imperator eum ob singulares eius atque plane stupendas animi dotes, rei insolentia permotus, Viennam, cum sponsione gradus doctoris et muneris, in ipsa aula caesarea, summi, inuitat. Litterae hae humanissimae exhibentur a IO. MOLLERO in *continuat allegor. p.* 432. et ab eo, qui PETRI LAVRENBERGII *acerram philol.* locupletauit, libro praemittuntur. Dubium vero est, an dignus tantum sit iudicatus, cui in facultatibus, theologica, iuridica et philosophica summi conferrentur honores: quippe his studiis egregie imbutus, in ipsis imperatoris litteris, praedicatur: de medica vero eius scientia nihil prorsus ibi legimus. At in DAV. VECHNERI *vniuersae Germ. breuiario,* ab ABRAH. VECHNERO aucto, procul dubio hic ANDREAS CANTERVS intelligitur, quando *p.* 351. dicitur: *Habebat Groninga circa a.* CIϽCCCCLXXXVIIII *ciuem* IOANNEM CANTERVM, *trium facultatum doctorem, qui ex coniuge item doctissima legitur suscepisse aliquot filios et filias, ita omnes a prima pueritia erudite educatos: vt illi quidem etiam sapientissimos illius seculi doctrinae studio vincerent: haec vero miraculum mundi appellaretur.*

36) IO. ANDREAS SCHMIDIVS in *diss.* inscripta: *Coecus de colore iudicans* §. *V. p.* 12. COTTVNVM vocat *theologiae, medicinae* et *philosophiae doctorem.* Sed dum fontem consulo, ex quo ii, qui de huius viri vita commemorarunt, sua hauserunt, DEMETRII scilicet PROCOPII *recensionem eruditorum graecorum,* anno CIϽIϽCC XX graece conscriptam et cum latina versione a V. C. IO. ALBERT. FABRICIO



editam

TASSVS, 37)
WESSELIVS (IOANNES GANSFORTIVS) 38)

## ORNATI HONORIBVS ACADEMICIS IN THEOLOGIA ET IVRE ATQVE EX PARTE ETIAM IN PHILOSOPHIA

BARONIVS, (IVSTVS) vid. CALVINVS (IVST.)
BARTHEL, (CASP.) *theol. ac iur. vtr. D. et phil. M.* 39)
BODENSTEIN, (ANDREAS DE CAROLSTADT) *theol. et iur. vtr. D.* 40)
DE

editam infertamque EIVSD. *bibliothecae graecae vol. XI* nihil horum de COTTVNO dictum inuenio, qui *p. 779. medicus et theologus, neque vllo Aristotelicorum philosophorum inferior* dumtaxat adpellatur.

37) trium facultatum doctor, anno aetatis suae decimo tertio factus esse dicitur apud V. C. IO. AD. BERNHARDVM *in der curieusen Hist. der Gelehrten, p. 225.* At quarum trium doctor fuerit, non est expressum: licet HENRICVS CAROLVS HEEGIVS in *diss. de titulomania eruditor. sect. III. §. 6.* prouocans ad hunc locum, dicat trium *superiorum* facultatum doctorem renuntiatum esse TASSVM. Neque apud vllum alium scriptorem huius rei testimonium me legere memini; TORQVATVM vero TASSVM hic intelligi haud posse, certa et expedita res est.

38) Hunc trium facultatum doctorem dicit IACOBVS FRIDERICVS REIMANNVS *in der Einleitung in die Hist. litt. der Teutschen, tom. III. p. 159.* inductus forte hunc in errorem a GERHARDO GELDENHAVERO, quem fabulae huius parentem haud obscure facit auctor vitae WESSELI, quae exstat in opere: *Effigies et vitae professor. acad. Groningae et Omlandiae,* vbi *p. 14.* haec leguntur: GELDENHAVRIVS *refert, magno et assiduo et vix credibili labore hoc eum assecutum esse, vt non solum theologiae maiestatis lauream mereatur, sed etiam ICtis et medicis doctoribus annumeraretur; adeoque summis in omnibus facultatibus titulis fuit ornatus, vt vulgo quidem perhibetur. Mihi tamen vix verisimile videtur. Si enim iam tam triplici hac laurea insignitus fuisset* WESSELIVS, *non video, quomodo cohaereant, quod postea admissus non fuerit ab heidelbergensibus, eam ob caussam, quia titulo doctoris destitueretur. Pro exaggeranda ergo* WESSELI, *viri incomparabilis, eruditione, hanc de tribus titulis fabulam et plura alia, iactatam iam olim fuisse, credo.* Add. GEORG. HENR. GOETZII *comment. hist. theol. de* IOANNE WESSELO *Lub.* 1719. 4.

39) Vita huius viri exstat in V. C. IAC. BRVCKERI *pynacotheca viror. illustr. f. Bildersaal ietztlebend. Gelehrt. in Deutschland, dec.* VIIII. atque seorsim edita est *latine* et *germanice Francof. et Lips.* 1752. 8. Maiore studio conscripta legitur in V. C. CHRISTOPH. WEIDLICHII *Geschichte der ietztleb. Rechtsgel. in Deutschland, tom. I. p. 28 seqq.* et in primis in EIVSD. *zuverlässigen Nachricht von den ietztleb. Rechtsgel. part. I. p. 33. seqq.*

40) Hoc probat titulus libelli trium foliorum huius auctoris, adducti a litteratissimo IO. GOTTL. DVNCKELIO *im Beytrage zum Ioecherisch. Gelehrten-Lexico, tom. II. part. IIII. p. 608.* qui sic est conceptus: *Conclusiones decem Christianissimae per* ANDR.

DE BRONCHORST, (OTTO, S. R. I. *comes in Gronsfeld,*) *theol. et iur. vtr. D. ac philos. M.* 41)

CALVINVS, (IVST.) al. BARONIVS, (IVST.) *theol. et iur. D.* 42)

CARITH, (MART.) *theol. et iur. D. ac philos. M.* 43)

CHISIVS, (FABIVS) e domo Chigi in Siena, nuntius pontificius in negotio pacis westphalicae, qui postea pontifex factus et ALEXANDER

Kk 2 VII. di-

ANDR. BODENSTEIN DE CARLSTADT, *theol. et V. I. Doctorem, Wittenbergae disputatae* 4. Annus quidem impressionis in titulo non est additus, quem tamen esse annum CIϽIϽXX, *conclusio III.* prodit. *Lexicon eruditor.* IOECHERIANVM, CAROLSTADIVM gradu etiam academico I. V. D. fuisse ornatum, non adnotauit. Omnium optime huius viri vitam et scripta ad annum vsque CIϽIϽXXII recensuit V. C. DAN. GERDESIVS, quem non nisi gratissima mente, ob beneuolentiae atque amoris mihi exhibita specimina nominare possum: tantis enim me sibi obstrinxit meritis, vt

*Huic meritas grates, vbicunque licebit,*
*Pro tam mansueto pectore semper agam.*

OVIDIVS *in* IBIN

Conferantur EIVS multiplici doctrina referta *miscellanea groningana, tom. I. part. I. p.* 1.56. vbi harum *conclusionum* eodem cum titulo mentio est facta, illarumque argumenta sunt exhibita. Add. MELCH. ADAMI *vit. theol. p.* 38. *edit. in fol.* et *p.* 81. *edit. in 8uo,* quo loco eaedem leguntur *conclusiones.* Iunge IO. HORNBECKII *summam controu. p.* 613. et IO. LANGII, eiusdem cum CAROLOSTADIO aetatis, *orationem* in *actu disputatorio recitatam* insertamque V. C. VALENT. LOESCHERI *actis et document reformat. tom. III. p.* 586. vbi *praestantissimus iuris vtriusque et theol.* D. *adpellatur.* Singulare est, quod WOLFG. FRANTZIVS *de interpretat. sacrarum scripturar. in praef. p.* 51. ex IO. AVRIFABRI *praefat.* ad LVTHERI *colloquia mensalia a.* 1569. edita, refert, ANDREAM CAROLSTADIVM doctorem theologiae octo annis fuisse prius, quam lectionis bibliorum initium fecisset. Nihilo tamen minus, ait FRANTZIVS, dicitur in *statutis theologicae facultatis wittebergensis,* CAROLSTADIVS in examine pro dignitate doctoris bene respondisse, ibique *sufficientissimus* adpellatus esse.

41) vide IO. CHRIST. ITTERVM de *gradib. acad. p.* 409. *edit. de a.* 1698. *in 4to.*

42) de hoc IVSTO (non IOANNE, preut *lexicon eruditor.* IOECHERIANVM per errorem dicit) CALVINO, probe secernendo a reformatore IO. CALVINO, *nouiodunensi,* nonnulla, ab omnibus, qui illius apostatae vitae atque scriptorum meminerunt, praetermissa, studiose adnotauit V. C. IO. HILDEBR. WITHOFIVS *in dem kurtzen Verzeichniss derer, welche sich iemals im Hertzogthum Cleve durch öffentliche Schriften hervor gethan haben;* qui lectu dignissimus conspectus insertus est *den duisburgisch. Intelligentz-Zetteln a.* CIϽIϽCCLI *et* CIϽIϽCCLII. dignus omnino, qui perfectus expletusque omnibus suis numeris et partibus, separatim typis exscribatur.

43) MARTINVS RANGO in *Colberga togat. p.* 1.

VII. dictus est, anno aetatis suae XX *philosoph. M. et iuris D.* anno vero XXVII *theol. D.* est creatus 44)

ECKHER, (FERD. BALTHAS.) *theol. et iur. vtr. D.* 45)

FORIS, (FRANC.) *theol. et iur. D.*

FRIEDLIEB, A FRIEDENSBERG (CONR.) *theol. et iur. D.*

GENET, (FRANC.) *theol. et iur. D.*

GRYNAEVS, (IO.) *theol. D. iur. L. et philos. M.*

AB HAVTEVILLE, *comes.* Vid. TANCREDE.

HENRICVS, (HIERON.) *theol. et iur. D.*

HOFSESS, (FRANC. ANDR. MICH. ADAM) *theol. et iur. vtr. D.* 46)

HOFSESS, (IOSEPH. MARIA MARTINVS) *theol. et iur. vtr. D.* 47)

IACOBVS, (VSTIENSIS) *theol. et iur. vtr. D.* 48)

IONAS, (IVST.) *theol. D. iur. L. et phil. M.*

KRAKER, (CHRISTOPHOR.) *theol. et iur. vtr. D.* 49)

LAZZARINVS, (DOMINICVS) *theol. et iur. vtr. D. ac philos. M.* 50)

MANNARINVS, (THOM.) *theol. et iur. D. ac phil. M.*

MARGALLO, (PETRVS) *theol. et iur. canon. D.*

MIDDENDORPIVS, (IAC.) *theol. L. iur. D. et philos. M.*

NAVCLERVS, (IO.) *theol. et iur. D.*

NAVSEA, (FRID.) *theol. et iur. ciu. D.*

DE NIEM, (DIET.) 51) *theol. et decretal. M.* 52)

DE

44) Conf. vitam huius praesulis romani, praemissam V. C. IO. GOTHOFR. DE MEIERN *indici vniu. in acta pac. westphal. n.* I. *p.* I. *seqq.*

45) *Academisch. Addreß-Calender a* CIↃIↃCCLVI. *p.* 60.

46) vid. *Anhang zu den franckfurtsch. gel Zeitung. a.* CIↃIↃCCLIII. *n. LXX. p.* 392.

47) Conf. *eumdem locum.*

48) Ita ipse nomen suum titulosque academicos expressit hic, munere librorum censoris ordinarii, per dioecesin cracouiensem, functus. Vide PAVLLI *comitis in aureo Potock* PILAVITAE POTOCKI *opera,* quae *Polonorum* PEIRESCIVS, illustrissimus comes IOSEPHVS ANDR. ZALVSKI prodire iussit *Varsauiae a.* CIↃIↃCCXXXVIII. *fol. p.* 202. Quum IACOBVS, de quo iam verba facio, a patria *Vstiensem* se dixisse, mihi videatur, hunc ipsi dedi locum, silentibus prorsus de eo scriptoribus historiae litterariae polonicae, quos fere omnes consului.

49) V. C. IO. DAN. IANOTZKI *im Lexico der ietzt lebend. gel. Pohlen, part. I. p.* 81.

50) vide V. C. IO. GOTHOFR. DE MEIERN *acta pacis westphalicae. tom. III.* in *praefatione.*

51) HERMANN. KIRCHNERVS in *orat. de ducib. comitib. ac baronib. superiorib. seculis magistris ac doctorib. promotis,* in EIVSD. *orat. vol. II. p.* 75. Prodiit etiam

DE ODDIS, (HIERON.) *theolog. M. iur. vtr. D. et phil. M.*
ODROVASIVS, (CESLAVS) *theol. et iur. D.*
OLEVIANVS, (CASP.) *theol. et iur. D.* 53)
PAPADOPOLI, (NICOLAVS COMNENVS) *theol. et iur. D. ac philos. M.*
DE PAVINIS, (IO. FRANC.) *theol. et iur. D.*
PICOTT, (FRANC.) *theol. et iur. D.*
PIRRVS, (ROCCHVS) *theol. et iur. D.*
PSAVME, vel PSEAVME, lat. PSALMEVS, (NICOL.) *theol. et iur. can. D.*
DE PVTEO, (FRANC.) *theol. et iur. D.*
REGIVS, (HIERON.) *theol. et iur. D.*
RETTI, (FRANC.) *theol. et iur. D.*
SALVVS, (ALPHONS.) *theol. et iur. vtr. D.*
DE LA SAVSSAYE, (CAROL.) *theol. et iur. vtr. D.*
SCHONAEVS, (ANDR.) *theol. et iur. D.*
SCHVLTHEIS, (PHIL. AD.) *theol. et iur. vtr. D. ac phil. M.* 54)
DE S. SEVERINO, (ALOYS.) *theolog. et iur. D. ac philos. M.*
SOMMIER, (IOANN. CLAVD.) *theolog. et iur. D.*
TANCREDE, (M. P. comes ab HAVTEVILLE) *theol. et iurium D. regens.* 55)
TAVRELLVS, (FRANC.) *theol. et iur. D.*
TOPIVS (LIVIVS IO.) *theol. et iur. D.*
TORQVEMEDA, (IO.) *theol. et iur. can. D.*
VETRANVS, (FRANC.) *theol. et iur. D.*
DE VOERDA, f. DE WOERDA, (NICASIVS) *theol. L. iur. D. et phil. M.* 56)



etiam cum WOLFG. GRVNINGII et ARN. REYGERI *orationib. vtrum dignitas doctoral. obfuscet generis nobilitatem?* nec non *diss. de nobilitate, ex* ANDR. TIRAQVELLI *comment. de nobilitate*, edita a IOANNE ZVR NEDDEN. *Spir. Nemet* 1610. 4.

52) de origine atque antiquitate tituli *magistri theologiae* docte disseruerunt VV. CC. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS et IO. BVRCH. MENCKENIVS *excit. locis.* Alia quaerendo in *lexico eruditor.* IOECHERIANO, sua sponte, vno fere loco, se offerunt duo *magistri theologiae*, TANCREDVS DE TANCREDIS et MICH. TELLEZ, quorum vnus *parisiensis*, alter *hispanus*. Conf. quoque supra not. 31.

53) PAVLL. FREHERVS in *theat. viror. erudit. claror. p.* 269.

54) vid *Grosses Vniuersal-Lexicon aller Wissenschaft. und Künste, tom XXXV. p.* 1602.

55) id habet titulus huius libri: *de obligationib. et actionibus tractatus, auctore* M. P. TANCREDE, *comite ab* HAVTEVILLE, *in facult. iurium ac s. s. theol. doctore regente. Trai. ad Rhen.* 1756. 8.

56) Is suo exemplo docuit, nec oculorum priuatis vsu praeclusam esse viam ad profundissimam amplissimamque doctrinam. Quamuis enim, a quarto aetatis anno, deplo-

VSTIENSIS IACOBVS. Vide: IACOBVS.

## ORNATI HONORIBVS ACADEMICIS IN THEOLOGIA ET MEDICINA ATQVE EX PARTE ETIAM IN PHILOSOPHIA

ALLATVS, (LEO) *theol.* et *med. D. ac phil. M.* 57)

BARTHOLINVS (CASP.) *theol. ac med. D. et phil. M.*

CASTELLVS, (BARTHOLOM.) *theolog. ac med. D. et phil. M.*

DATHE-

deplorando lacrimabilique fato, vtroque captus esset oculo, nihilominus liberales artes, mira sagacitate, didicit et tantam rerum sacrarum cognitionem sibi comparauit, vt, proximo, a supremis honoribus, gradu, eum laeti lubentesque ornarent academiae *louaniensis* theologi, eumque tanta animi alacritate in suum reciperent consortium, quanta iam antea id fecerant sapientiae humanae doctores. Neque intra has regiones NICASII adsidua atque continua diligentia se continebat, sed, ad ipsam abditam atque reconditam legum scientiam, irrequietum et indefatigabilem conuertebat animum, adeo laeto prosperoque successu, vt leges, visas et lectas numquam, felici complecteretur memoria et cum ingenti audientium stupore, sine vlla haesitatione, recitaret. Nec inhonoratam hanc pernobilem commemorabilemque industriam tulerunt ICti *colonienses* et ad selectissimam ICti dignitatem, fausto omine, euexerunt tam rarae inusitataeque doctrinae alumnum. Erat praeterea, singulari romanae ecclesiae indulgentia, sacris initiatus, et vtebatur ea communi vniuersi coetus vtilitate. Quoties enim sacram adscendebat cathedram, PERICLEA eloquentia sua, ita mouit flexitque audientium mentes, vt lacrimis omnium, etiam constantissimorum, vultus manarent. Tandem anno CIↃCCCCLXXXXII ad veram aeternamque commigrauit lucem, robusta et satis adhuc firma aetate. Debeo haec, quae iam dixi, *celeberrimo* GOTTL. AVG. IENICHEN, viro multis modis de historia iuris litteraria promouenda egregie merito, in *suppl. ad* MART. LIPENII *bibliothec. iurid. p.* 16. Hoc dum scriptura prosequor, non sine insigni moerore, acerbissimum recordor fatum, quod, aliquot ante annos, ICtus magni nominis, CHRISTOPH. LVDOV. CRELLIVS, *acad. witebergens. verum decus*, est expertus, qui, infortunio quodam, vtriusque oculi luminis iacturam fecit plane irreparabilem: viget tamen hac in calamitate, omnium certe durissima, per dei singularem gratiam, animo et corpore, et ita quidem, vt munere suo, et docendo, et disputando, fungi queat ex asse.

57) Testem habeo V. C. GOTTL. AVG. IENICHEN in *epist. de doctis, qui, extra patriam, patriam inuenerunt. Lips.* 1729. 4. prouocantem in rei fidem, ad LVD. ELL. DV PIN *bibliotheque des auteurs eccles. tom XVIII. p. I.* qui liber mihi iam non est ad manus. Mirabar equidem, litteratissimum virum in excitata epistola, quae adiecta quoque est EIVSD. editioni GREGOR. MAIANSII *epistolar.* scribere, honorem ALLATII nemini vel paucis contigisse, exstantibus tamen, prout iam videre est, bene multis, hanc in rem, exemplis. Quod si ita scripsissent quam plurimi alii, qui nil nisi, quod de pane lucrando est, discunt, id non miratus essem: verum, considerata aetate, qua hoc tulit iudicium laudatus vir, facile id condonandum est ipsi, pro quo sponderem hodie, nemine etiam haecce monente, aliter eum sentire.

DATHENVS, (PETR.) *theol. et med. D.* 58)
FERSIVS, (IO.) *theol. ac med. D. et phil. M.*
GLODENSTEDE, (HELMOLD.) *theol. Baccal. med. D. et phil. M.*
HVNDT, (MAGNVS) *theol. ac med. D. et phil. M.* 59)
IORDANVS, (A SANCTA AGATHA, HYACINTH.) *theol. et med. D.*
MANCVSVS, (IOSEPH.) *theol. et med. D.*
OVSEL ſ. OISEL ſ. LOISEL, (PHILIPP.) *theol. et med. D.*
PANTALEON, HENR. *theol. L. et med. D.*
DE PISA ſ. PISANVS, (ALPHONS.) *theol. ac med. D. et phil. M.*
PISTORIVS, (IO.) *theol. et med. D.* 60)
POLLICHIVS, (MART.) *theol. ac med. D. et phil. M.* 61)
ROZONVS, (MARC. ANTON.) *theol. ac med. D. et phil. M.*
VERDVCCIOLVS, (FELIX) *theol. et med. D. ac phil. M.*

## ORNATI HONORIBVS ACADEMICIS IN IVRE ET MEDICINA ATQVE EX PARTE ETIAM IN PHILOSOPHIA

AGRIPPA, (HENRIC. CORNEL.) *iur. et med. D.*
DE BERNSTEIN, (HENRICVS) *iur. D. et med. M.* 62)
BEVTHERVS, (MICH.) *iur. et med. D.* 63)
DE CASTELLO, (THVRA ſ. BONAVENTVRA) *iur. ac med. D. et phil. M.*
HOERNIGK, (LVDOV.) *iur. ac med. D. et phil. M.* 64)

HOR-

58) vide GEORG. DAN. SEYLERI *Elbingam litt. p.* 15.

59) Ex omnibus optime de hoc viro, vere MAGNO, commentati ſunt VV. CC. IO. ZACH. PLATNERVS in *progr. de* MAGNO HVNDT, *tabular. anatom. vt videtur, auctore. Lipſ* 1734. 4. et FRID. BOERNERVS in *bibliotheca libror. rarior. phyſico med. hiſt. crit. ſpec. I. p. 6. ſeqq.*

60) LIPSIVS erat, quod ad fidem attinet. Ex lutherano enim reformatus, et deinde catholicus factus.

61) Elucubratiſſima de POLLICHIO *eiusque honoribus et ſcriptis* exſtat *commentatio* FRID. BOERNERI. *Guelph.* 1751. 4. edita, inſerta etiam EIVSD. *noctibus guelphicis, num. III.* ex qua diſcimus, POLLICHIVM iuris doctorem non fuiſſe, quod multi ſibi perſuadent, quos ſecutum quoque vidimus *lexicon eruditorum* IOECHERIANVM. Poſſideo etiam IO. GOTHOFR. HOERII *epiſt. ad* FRANC. WOKENIVM *de* MART. POLLICHIO. *Viteb.* 1728 *fol.* quam fugiſſe litteratiſſimum BOERNERVM ex eo coniicere licebit, quod, ne verbo quidem, eius, *loco cit.* meminerit.

62) LAVRENT. PECKENSTEIN in *theatro Saxon. cap. X. p.* 88. *ſeqq.* Conf. de *M med.* not. 31.

63) vide *des beſchäftigt. Secretarii tom. I. expedit. V. p.* 461.

64) Hunc etiam in philoſophia ſummos honores eſſe conſecutum, *lexicon eruditorum* IOECHERIANVM non notauit, quod tamen nonnullorum ipſius librorum inſcri-

HORLACHER, (CONR.) *iur. ac med. D. et cand. s. s. theol.* 65)
IVNIVS, (IO. FRID.) *iur. et med. Lic.* 66)
LANGIVS (FRID.) *iur. et med. D.* 67)
LEYSERVS s. LYSERVS, (POLYCARP.) *iur. ac med. D. et phil. M.* 68)
LOEW, (IO. FRANC. AB ERLSFELD) *iur. ac med. D. et phil. M.*
MAYOW, (IO.) *iur. et med. D.*
MILAN-VISCONTI DE (DAN.) vid. VISCONTI
MONTALBANI, (OVIDIVS) *iur. ac med. D. et phil. M.*

OLIZAR,

inscriptiones e gr. *Stella notarior.* docent, et IO. CASP. WETZEL in *der historisch. Lebensbeschreib. der berühmtest. Liederdichter, part. III.* in *praef.* tradit.

65) Hos honores, ab ipso, nomini suo adiectos cernere licet in inscriptione EIVSD. libellorum: *Schauplatz der göttl. Weisheit in und aus den Geheimnissen der Medicin. Francof.* 1699. 8. et *Dreyfacher medicinisch. und chirurgisch. Wunderschatz. Vlm* 1697. 8.

66) Licentiati medicinae gradum hic primo consecutus est Halae anno CIↃ IↃCCXXXVIIII elaborata atque publice habita *diss. de morbis spasmodico-conuulsiuis, praeside* V. C. IO. IVNCKERO, ex cuius adiecta *epist. gratulat.* proferri in primis merentur verba, quibus de candidati sui raris ingenii dotibus atque summa diligentia exponit: ita vero ait: - - *Iam quid cum tali iuuene agendum sit, qui quatuor eruditorum ordinibus inscriptus est, inque singulis non perfunctorie, sed ordine et solide res suas perfecit, sapientissimo dei regimini, cuius prouidentia actiones humanae administrantur, merito iure relinquimus.* Deinde, anno CIↃIↃCCXXX *licentiati iuris* honores obtinuit Ienae, postquam *diss. de vitiis pecorum venalium,* suo marte, exaratam, praeside V. C. CHRIST. GOTTL. BVDERO, publice defendisset.

67) vid. V. C. GEORG. ANDR. WILLII *nurnbergisch. Gelehrt. Lexic. tom. II. p.* 394.

68) Viro huic, ingenio perspicaci et ad omnia facto, praedito, qui non tantum in iuris prudentia, medicina et philosophia, sed etiam theologia omnibusque fere disciplinis, egregiis inclaruit speciminibus, monumentum honoris erexit academia Iulia anno CIↃIↃCCXXVIII publicique iuris fecit hac inscriptione: *Supremum amoris officium* - - *4to.* vbi non tantum singula huius viri vitae momenta, sed etiam scripta in VII classes diuisa, theologica, iuridica, medica, philosophica et litteraria, historica, geographica, poëtica, adducuntur. Qua occasione, paucis monere, haud abs re erit, contra EIVSD. *Progr. de acuminibus spuriis in re poëtica vitandis. Helmst.* 1725. *4to.* foras exiisse IO. HERM. ZSCHORNII *epist. ad* POL. LEYSERVM - - *qua a censoria ipsius animaduersione vindicatur acumen carminis illius gallici ab academia gallica, mille libris monetae gallicae, superiori anno, remunerati: Qu' est ce que Dieu! Ratisbon.* 1726. *4to.* Prodierunt etiam contra LEYSERVM, G. C. H. (qui est GEORG. CAROL. HERINGIVS, *secretarius quondam summi directorii status, belli et domaniorum,* quod *Berolini* est,) *Gedancken von der Nutzbarkeit und Nothwendigkeit der Geographie, auch von der Methode und Ordnung dieselbe zu tractiren, über des* H. D. *und Prof.* LEYSERS *von der allgemeinen Art darin abgehende Meynung, mit darzu dienlichen Anmerckungen entworfen,* Berlin, 1728. 4.

OLIZAR, (AARON ALEXANDER) *iur. et med. D.* 69)
PATIN, (CAROL) *iur. Lic. med. D. et phil. M.*
PILARINO ſ. PYLARINVS, (IACOB.) *iur. et med. D.*
POLITIVS, (ANTON.) *iur. ac med. D. et phil. M.*
PROSIMVS, (IO. DOMINIC.) *iur. ac med. D. et phil. M.*
ROESLER, (MATTH.) *legum Lic. med. D. et art. M.* 70)
SCROETERVS, (IO. FRID.) *iur. ac med. D. et phil. M.*
SCHVLTZE, (ANDR.) *iur. et med. D.*
STANCHIVS, (MICH.) *iur. et med. D.*
SVSANNEAV, lat. SVSANNAEVS, (HVBERTVS) *iur. et med. D.*
TRIPANI, (LVCAS) *iur. et med. D.*
VERDVYN, (HENR.) *iur. et med. D.* 71)
VERGERIVS, (PETR.) *iur. vtr. ac med. D. et phil. M.*
VISCONTI-DE MILAN, (DAN.) *iur. et med. D.* 72)
VRSIN, (IO.) *legum L. et med. D.*
AM WALD, (GEORG.) *iur. L. med. D. et phil. M.* 73)
A WOOD, (ROBERT.) *iur. et med. D.*

IO.

69) vid. DAN. HENRICI ARNOLDI *Hiſtorie der königsbergiſch. Vniuerſitaet, tom. II. p. 339.* et EVMDEM *in den Zuſaetzen* ad h. librum *p. 60.*

70) videatur *Geſchichte der Iuriſten-Facultät zu Roſtock, part. I. p. 68.* cuius amoeniſſimi libelli auctor eſt V. C. ERN. IO. FRID. MANTZELIVS. Add. V. C. DAN. HENR. ARNOLDI *Zuſätze zur Hiſtorie der königsbergiſch. Vniuerſit. p. 18.*

71) vide inſcriptionem EIVSD. *diſſ. de teſtamento atque haereditate Lazari, bis mortui, aliorumque bis mortuorum,* quae recuſa iterum prodiit *Lipſ. 1756. 4.*

72) IO. CONR. BARCHVSEN in *pharmacop. ſynopt. in ep. dedicat.*

73) GEORG. CHRISTOPH. WALTHERVS *de iurib. et priuileg. doctor. p. 244.* Confer tamen IO. HARTM. BEYERI *epiſt. med.* 124. vbi viuis coloribus depictus legitur famoſus AM WALD, qui, quum ſufficientia doctoratus ſui in arte medica teſtimonia edere atque publico doctorum examini ſe ſubiicere recuſaret, vna cum panacea ſua, Augusta Vindelicorum excedere iuſſus. Vide LVCAE SCHROECKII *memoriam ſecularem collegii medici auguſtani,* ſubiunctam V. C. IACOBI BRVCKERI *hiſtoriae vitae* ADOLPH OCCONVM, *p. 116.*

# IO. ACHAT. FELIC. BIELKII

SS. THEOL. DOCT. ILLVSTR. COLLEGII GROENING. QVOD STARGARDIAE EST RECTORIS ET PROF. REGII

COMMENTATIO

DE

## MEMORABILIBVS TEMPORVM QVIBVS IENENSIS ACADEMIA FLORERE COEPIT EIVSQVE PROFESSORVM IN PHILOSOPHIAM ET THEOLOGIAM MERITIS

Qvamqvam vero ea rerum externarum ratio esse videatur, vt omnia sursum ac deorsum eant, rotunda misceantur quadratis: sapientem tamen et in his inesse nexum, neque omnino quidquam temere et coeco quodam fieri casu, ab iis, qui cuncta a nutu diuino pendere, caelestique subesse numini, credunt, in dubium vocari prorsus nequit. De minimis, si quae sunt, aeque atque de maximis idem iudicium ferendum est, salua quidem sartaque huius mundi contingentia, et inprimis libertate ea, vnde omnis imputatio, laus, vituperium, praemium, poena proficiscuntur.

Quae quum ita sint, fieri non potest, quin quoties noui euentus exsistunt, ii non solum attentionem nostram prouocent, verum etiam omnia ista, quae antecedunt eosdem, comitantur, consequuntur. Iustum quotquot litteris scientiarumque studiis pretium statuere didicerunt, quantum sit academiis illustrioribusque scholis ad concelebrandam prouidi numinis gloriam tribuendum, haud aegre perspicient. Ego vero numquam in eorum castris pugnabo, qui, nescio quam κακοζηλιαν christianorum in constituendis academiis inuenisse sibi visi sunt. Equidem in papatu plura huiusmodi quid prodentia occurrere, nemo rerum gnarus diffitebitur: absit tamen, vt inde academiarum ortum repetamus in orbe christiano florentium. Cui enim instituto ipsa ratio patrocinatur et sacrae pandectae fauent, de eo quidem nil, nisi profanum vulgus tam abiecte sentiet, tam praepostere iudicabit. Neque pontificum romanorum callida, quam in ciuitatibus scholasticis ornandis posuerunt, cura caussae nostrae aduersatur. Fatendum enim est cum S. R. HEVMANNO *) quum papatus studiis sapientiae olim attulerit interitum, eumdem postea, condendo academias, vitam reddidisse iisdem studiis et vigorem incredibilem. Nec profecto erudi-

*) vid. consp. reip. litt. cap. IIII. §. 40. p. m. 112.

eruditio sacra, LVTHERO duce, triumphare potuisse, certe non diu triumphatura fuisse videtur, nisi nutrices nacta esset academias. Videlicet

*ludit in humanis diuina potentia rebus.*

Sed quorsum haec? Quum quippe hoc anno alterum academiae patriae iubilaeum, quod felix faustumque deus ter optimus maximus esse iubeat, in orbem redeat, quod a nostro in his terris pomeranicis officio abhorreat, suscipere non putamus, si, memoriam *munificentissimi ill. collegii nostri conditoris* grate recolentes, simul pietatis nostrae gratique animi monumentum statuamus, inprimis quod non pauci, quorum merita Salanam nostram eiusque omnis eruditionis professores concelebrant, illustrant adhuc Pomeraniam. Reuocabitur autem omnis tractatio nostra, caelestis prouidentiae testimonia vbiuis productura, ad duo capita, cuius PRIVS *memorabilia eorum temporum, quibus Ienae gymnasium, et deinde academia florere coepit*: POSTERIVS *vero professorum ienensium exstantiora de philosophia pariter atque theologia merita, velut in compendio exhibebit.*

# CAPVT I

## SISTENS MEMORABILIA EORVM TEMPORVM QVIBVS IENAE GYMNASIVM ET DEINCEPS ACADEMIA CONDI COEPIT.

## SECTIO I

### MEMORABILIA EORVM TEMPORVM QVIBVS IENAE GYMNASIVM FVNDATVM EST.

I

EQVIDEM quam turbulenta res humanas tempora afflixerint ante, quam Ienae musarum artiumque liberalium domicilium conderetur, historiarum annales loquuntur satis superque. Infelix istud bellum smalcaldicum, nisi notum omnibus esset, inprimis nobis commemorandum esset. At sufficiat heic reuocasse saltem in memoriam, quod fini nostro, hoc est, prouidentiae diuinae praedicandae, maxime consentaneum est. Nimirum vix post tot exantlatos labores beatam animam patri caelesti reddiderat b. D. MART. LVTHERVS, quum bellum exardesceret, cuius exitus hic erat, vt constantissimus princeps IOANNES FRIDERICVS vna cum libertate dignitate electorali ab imperatore CAROLO V exueretur, adeoque etiam Vitemberga, cui inprimis propter academiam ibi flo-

 rentem

rentem, elector fauebat, in ditionem MAVRITII transiret. a) Tristi huic iacturae ienensis schola suos debet natales, contigitque, vt, prouido deo, ex insigni malo insigne bonum eliceretur. Teste enim CASP. SAGITTARIO, b) captiuus princeps IOANNES FRIDERICVS ad aliud religionis bonarumque artium asylum, suasu praecipue GREGORII PONTANI, c) cancellarii sui, et NICOLAI AMSDORFII, d) Ienam nostram, amoenitate loci aërisque salubritate commendabilem, consecrauit, et, vt serenissimi filii, laudati oppidi coenobium Paullinum auditoriis futurae vniuersitatis publice dedicarent, statim primo captiuitatis anno, paterne eosdem monuit. Qui per omnia parentis voluntati obtemperantes, absque mora conuocarunt viros eruditos, atque insequenti anno CIↃIↃXXXXVIIII die XVIIII martii gymnasium sollemniter introduxerunt.

II

NEQVE pacatior ciuitatis christianae status erat, quum nouum Ienae exsisteret gymnasium. Nam, anno CIↃIↃXXXXV concilio, quod male minabatur bonae protestantium caussae, Tridento Bononiam a pontifice translato, ad tempus obmutuere oracula fulminantia. Nimirum huius translationis is erat finis, vt caesari aegre faceret PAVLLVS III pontifex romanus, suspicatus, PETRVM ALOYSIVM, filium suum spurium, Parmae et Placentiae ducem, PALLAVICINI aliorumque insidiis CAROLI V iussu necatum esse. Quot ac quantos haec res motus dederit, pluribus IO. SLEIDANVS autumauit. Certe caesar desperabundus de concilio, quo religionis discordiae tollerentur, aliam, ad eumdem finem obtinendum, viam iniit, multo tamen spinosiorem, vnde non mirum est, voti sui haud damnari potuisse sollicitum de tranquillanda Germania imperatorem. Namque publicae religionis normam eamque valde ambiguam componi iussit,

a) vid. IOANN. SLEIDAN. commentar. libr. XX. p. m. 576. sq.
b) hist. IOANN. FRIDERICI I. elect. §. 23. p. 44 sq.
c) Hinc b. M. ADR. BEIERVS in nomenclatore profess. iuris:
*Huius* (Pontani) *consilio nostri fundamina ludi*
*Absens elector, Ian Friderice, locas.*
Tandem aulae valedicens Pontanus, Ienam se contulit, ac munere professorio in gymnasio ibidem recens fundato perfunctus est. Conf. IOANN. ABRAH. WIMMERI vita Gregor. Pontani. Altenb. 1730. p. 237.
d) de AMSDORFIO vid. scriptores apud WIMMER. l. c. p. 238. Egregia prorsus eius elogia adfert CHRISTIAN. FRANC. PAVLLINVS disquisit. curiosa: an mors naturalis plerumque sit substantia verminosa? p. 174.

iussit, quam, sub titulo *Interim*, in comitiis augustanis proposuit, et paullo post legis instar omnibus promulgari curauit. Orationem imperatoris, qua hunc librum, qui maximas, praeter eius opinionem, turbas excitauit, commendatum iuit, lege sis apud IOANN. SLEIDANVM, *e*) ipsam vero foetus historiam exhibet M. IOANN. ERDMAN. BIECKIVS. *f*) Nobis quidem satis est, hoc loco laudasse, in reiiciendo hoc libello, IOANN. FRIDERICI, electoris tum captiui, eiusque filiorum principum constantiam. Quod enim ad illum pertinet, CAROLVS V, per Granuellanum et Atrebatensem episcopum, ducem captiuum vrgebat, vt decreto pareret, et editi libri doctrinam sequeretur. Et quamquam pollicitationibus animum eius tentabant, et spem aliquam libertatis ostendebant; constans ille tamen in sententia permansit, et „superiori, inquit, „anno, quando conditiones mihi caesar tulit, haec etiam perscripta „fuit, vt et ipsius concilii de religione decreta futura probarem. Quum „autem intelligeret, me nullius periculi terrore, vel metu posse induci, „vt adsentirer, conditionem illam remisit, neque de religione quicquam „deinde mecum egit. Quod maximi certe beneficii loco tunc habui, „et hoc velut onere grauissimo subleuatus, reliquas omnes conditio-„nes, quibus de mea persona, deque fortunis omnibus pro suo arbitratu „caesar statuebat, eo facilius et aequiori animo tuli, sperans, futurum, vt „religio mihi mea deinceps permitteretur libera. Nunc autem quando „rursus me vrget, et mandat, vt decreto facto subscribam, equidem pro-„fiteor, me iam inde ab adolescentia sic institutum, ac deinde sacrorum „librorum lectione sic esse confirmatum, vt hanc doctrinam plane conue-„nire cum prophetarum et apostolorum scriptis, nec vllius erroris con-„uinci posse, iudicem. Hac nimirum de caussa et parens meus et ego, „nonnullique alii principes eius doctrinae confessionem scripto compre-„hensam exhibuimus olim, et legitimo permisimus concilio. Quum ergo „hac sui verbi cognitione me deus illustrarit, non mihi licet ab agnita „veritate discedere, nisi aeternum exitium mihi conciliare velim. *g*)



*e*) libr. XX. p. m. 580.

*f*) In dem dreifachen Interim Lips. 1721. Auctores tristis huius foetus, quem aeque pontifex rom. atque protestantes auersabantur, erant IVL. PFLVGIVS, episc. numburg. MICH. SIDONIVS, episc. merseburg. et IOANN. ille AGRICOLA, Islebius. conf. b. IO. FR. BVDDEVS isag. in vuiuers. theol. l. II. c. 2. ad §. 8. p. 437. sq. IO. MVSAEVS praelect. in epit. form. conc. proleg. thes. IV. p. 2. sq. s. R. IO. GE. WALCHIVS in den Relig. Streitigkeiten der euangel. luth. Kirche. P. I. c. 2. §. 11. p. 115--140.

*g*) l. XX. p. 583.

DE filiis autem electoris beatissimi ita habet SLEIDANVS: „Legatum caesar ad noribergenses et quosdam alios miserat, qui decretum factum eis persuaderet. Quum is in ea profectione venisset ad Saxoniae ducis captiui filios, idem egit; sed illi constanter negabant. Ad caesarem ergo reuersus, rem omnem exponit. Itaque captiuum principem caesar denuo sollicitat, deque filiis queritur, quod et decretum nuper factum repudient, et illud oppugnari tum scriptis, tum concionibus permittant. Petit igitur, agat cum illis, vt de vtroque sibi satisfaciant. Ad haec ille: quamobrem editi libri doctrinam ipse non probet, nuper se demonstrasse Granuellano et Attrebatensi. Quod quum ita sit, non posse filiis esse autorem quod ipse, pacata conscientia, facere nequeat, hoc illi faciant. Orare se plurimum, vt boni consulat, et se suosque liberos tueatur.„ Haec illius constantia, addit SLEIDANVS, et in rebus aduersis animi fortitudo singularis, magnum ei conciliauit amorem passim apud omnes. *h*)

III

SIC ergo ecclesiae nostrae ratione comparata, gymnasium Ienae exsistere coepit, nullum sane alium in finem, nisi vt esset propugnaculum veritatis, qua antiquius, qua diuinius, qua carius nihil vmquam caelitus nacti sunt purioris euangelii professores. Et profecto vix vlla schola, quae eiusmodi auspicia gloriari possit, floruit post hominum memoriam, talpaque coecior sit necesse est et impius, qui singularem circa ea prouidentiam caelestem non videat, admiretur, concelebret.

IIII

BENE multa vero licet sint notatu dignissima, quae ab anno conditi gymnasii ienensis, vsque ad annum, quo vniuersitatis priuilegia ab imperatore Ferdinando eidem tributa, accepimus, in Germania gesta; nihil tamen obstat, quo minus potiora breuibus complectamur. Versetur primum oratio nostra in rebus politicis; deinde procedat ad ecclesiastica. In scenam igitur prodeat nouus Saxoniae elector MAVRITIVS, qui CIↃ IↃXXXXVIII. d. XXIIII febr. spectante IOANNE FRIDERICO, septemuiratus dignitatem a caesare impetrauerat. *i*) Vt quippe ille socerum suum Landgrauium Hassiacum carceribus, quibus per aliquot annos, quo iure, non definio, vexabatur, liberaret, arma tandem capessiuit, quorum

*h*) l. XXI. p. 591.
*i*) SLEIDAN. libr. XX. p. 577.

rum is fuit succeſſus, vt maxima celeritate, tumultuarie Oeniponte diſcederet caeſar cum Ferdinando fratre, et per alpes Villacum, *illud plus vltra* Caroli, deflecteret. Ne ergo hoſtis ad ſuam laudem referret Ioannis Friderici magnanimi, iam toto quinquennio captiui, libertatem, iam paullo ante, quam in fugam ſe daret imperator, eum dimiſerat. Inſequebatur *pacificatio paſſauienſis*, et paullo poſt demum cuſtodia liberatus eſt penitus Landgrauius, quarto ſcil. ſept die CIƆIƆLII. Ipſis calendis dicti menſis caeſar Auguſta diſceſſerat et prolixe de ſua beneuolentia pollicitus, Ioannem Fridericum, qui etiam iam liber eum, quocumque iret, comitabatur, a ſe dimiſit, quo facto poſtridie domum verſus profectus eſt. *k*) Sic aliud quaſi agendo Mauritius Ioannis Friderici, cuius dignitati et prouinciis inhiauerat, non ſine exoptato euentu, factus eſt liberator, qui et paullo poſt anno CIƆIƆLIII in proelio cum Alberto Brandenburgico, victor licet, tormento manuario traiectus ad ilia, biduo poſt animam poſuit. *l*) Mortuo Mauritio, Ioannes Fridericus ex filiis alterum, Ioannem Guilielmum, vt ſua repeteret, miſit ad caeſarem in Belgium, qui nihil, quo, quae inſidiis amiſerat, ſibi reſtituerentur, non egit; ſed ſpe excidit.

V.

A. CIƆIƆLIIII die XXI februarii SIBYLLA cliuenſis, Ioannis Friderici coniux mortalitatem poſuit Vinariae et vndecimo poſt eam die, princeps ipſe, quum aliquando decubuiſſet aegrotus, ſoluit naturae debitum. Deceſſerunt vterque in vera dei cognitione, et ipſe quidem, dum vxori ſepulcrum in aede ſacra paratur, iubet, ſibi locum aliquem ad latus illius reſeruari, quod breui ſecuturus eſſet. Neque fefellit eum opinio. Namque Martii die tertio ſub horam decimam ante meridiem, quum ex lectulo concionem ex ore AMSDORFII audiſſet, implorata numinis diuini miſericordia ſuumque ſpiritum deo commendans, ex hac aerumnoſa vita caeleſtem in patriam emigrauit. Bella, quae tunc mouerat Albertus Brandenburgicus, ſuis quoque prouinciis minantia, prudentia ſua amouit tranquillasque poſteris reliquit. *m*)

VI

*k*) Iubila Ienae aliorumque oppidorum ob hunc reditum lege in IO. MICH. WEICHSELFELDERS Leben Io. Fridr. des Grosmüthigen. p. 861. ſqq.

*l*) id. l. XXV. p. 93.

*m*) vid. SLEIDAN. li. XXVI. p. 753. conf. omnino WEICHSELFELDERS Leben Ioh. Fridr. p. 938. et HORTLEDERI tom. II. libr. 3. c. 88. p. 741. vbi programma academicum in obitum Sybillae inſertum eſt. Orationem funebrem habuit theologus ienenſ. *Ioann. Forſterus,* quam exhibet WEICHSELFELDER p. 943. -- 952.

qui

VI

SEQVENTI anno iam affecto d. XXV. octobr. cuiusmodi rarius in Germania aliisque regnis accidere solet, Carolus V. cui omnia fere ex animi sententia cesserant, nisi quod Ioannis Friderici constantiae impar fuerat, vltro se abdicabat imperio, quod qua Hispaniam Philippo II. qua Germaniam germano fratri Ferdinando, romanorum regi, consensu statuum tradidit. Sic enim in fatis erat, vt non ab illo, sed ab hoc academica, seu, si mauis, vniuersitatis, priuilegia impetraret dulcissima patria nostra, eaque adhuc viuo Carolo V. qui natus octo et quinquaginta annos, sex menses, et quinque vigintique dies, die demum XXI Septembr. CIƆIƆLVIII

IIIVƆICIƆ

qui et extrema incomparabilis electoris Ioannis Friderici copiosius descripsit p. 952. sqq. Funeralia eiusdem exstant apud HORTLEDERVM l. c. p. 1006. sq. Non possumus quin et hic monumentum in templo vinariensi a serenissimis filiis positum huc reponamus:

ILLVSTRISSIMIS ET INCLITIS PRINCIPIBVS DN. IOANNI FRIDERICO I. DVCI SAXONIAE IMPERII ROM. NATO ELECTORI, LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE ETC. ET DN. SYBILLAE NATAE DVCI CLEVENSI BERGENSI ETC. DESIDERATISSIMIS PARENTIBVS LVCTVOSI FILII, IOANNES FRIDERICVS II. IOANNES WILHELMVS, IOANNES FRIDERICVS III. GRATITVDINIS ERGO

POSVERVNT

ANNO DNI CIƆIƆLV.

Confessis stabili per saeua parentibus arma
Iustificam pietate fidem, pietatis amantes,
Grata piis soboles, vno tres pectore fratres,
Hanc tabulam posuere, annis vt euntibus esset
Adsertae fidei monumentum, et pignus amoris.
Christe tuis praesens, qui tuta vmbracula praebes,
Vt superent etiam, quae non superanda putantur,
Da pacem atque hostes compesce. Tuere timentes.
Te mediante Patrem, cuius sapientia splendes
I procul infelix hominum sapientia iustum
Ante deum in solo reddit fiducia Christo.

SAGITTARIVS hist. *Ioann. Frider.* ipsi etiam, inquit, ab ecclesia christiano-euangelica honorificum epitaphium datum est, quod amor piorum expresserit, nullam habens inuidiam magnaeque fuit gloriae. Factum autem ita:

Iohannes Fridericus, dei gratia electus martyr Iesu Christi, dux afflictorum, princeps confessorum fidei, comes veritatis, signifer sanctae crucis, antesignanus patientiae et constantiae, haeres vitae aeternae, obdormiscens in Christo migrauit ex hac miserrima vita in caelestem patriam, Vinariae mense martio die III anno CIƆ IƆLIIII aetatis LI.

CIↃIↃLVIII agnita, vt fertur, veritate euangelica, facta de Ioanne Friderico Electore infecta exoptans, animam efflauit fessam, expertus huius mundi schematis transituri vanitatem. *n*)

VII

IAM quod ad *statum ecclesiasticum* eorum temporum spectat, referri huc praesertim merentur persecutiones moestae a parte imperatoris propter libellum *interim* continuatae per omnem fere Germaniam. De pulsis Augusta verbi diuini ministris id saltem obseruare liceat, quod Saxoniae elector captiuus, vbi rem per internuncios cognouit, et consolatus sit et pecunia quoque iuuerit discedentes theologos. *o*) Maxime autem Magdeburgum, ob infractum suorum animum et in doctrina puriori seruanda constantiam collaudatur a SLEIDANO. *p*) Postquam enim duplicem proscriptionem et acerbam oppido obsidionem et deditionem narrauerat, addit denique: „*Ad hunc modum liberati magdeburgici, praeter multorum exspectationem, summam nominis gloriam adepti sunt apud exteras nationes, quod prope soli per omnem Germaniam exemplo suo docuissent, quid possit constantia.* Neque piget omnino ex FLACII Illyrici, dein quoque ienensis, vita, quam IOA. BALTH. RITTERO debemus, sequentia transscribere theologos magdeburgenses concernentia: *q*) *Zur Zeit der Belagerung liessen sich verschiedene der Adiaphoristen heraus, man wuerde nach eroberter Stadt Magdeburg die Theologos und Prediger daselbst, Amsdorfium, Gallum, Illyricum und Alberum an die Stadmauren aufhaengen: Sintemahlen solche die vornehmsten Lehrer der Stadt abgaben, welche sich dem Interim so hart entgegen gesetzt. Allein als ein sonderbahres Kennzeichen der goettlichen Guete und Pro-*

Mm *uidenz*

*n*) conf. SLEIDANVS continuar. M. IOANN. SCHADAEI l. I. p. 142. vbi doctoris Constantini Pontii, qui Carolo V. a confessione erat, mentio cum laude iniicitur, vt veritatis euangelicae tandem martyris. vid. idem l. IIII. p. 160. SAGITTARIVS autem in vita electoris §. 24. p. 52. habet sequentia: Poenituisse tandem Carolum V. quod tam duriter habuerit Ioannem Fridericum, vel id indicio est, quod post sollemnem imperii abdicationem, quum rerum gestarum historiam in mappis depictam in monasterio hispanico, quo in vitae reliquum consumsit, parietibus affigi curasset, quoties historiam capti electoris spectasset, ingemiscens dixerit: Hunc si reliquissem, qualis fuerat, mansissem et ego, qualis eram. Duo adhuc testes huius rei excitat WEICHSELFELDER l. c. p. 857.

*o*) l. XXII. p. 654.

*p*) l. XXIII. p. 667. conf. ALBINI chron. Saxon. in auctar. p. 104.

*q*) edit. sec. p. 46.

*uidenz preisete er* (Flacius), *daß sie nicht nur zeit waehrender Belagerung sicher sind erhalten, sondern auch nachmahls bey Vebergabe der Stadt ohnangetastet gelassen worden: anerwogen, als der Rath bey waehrender Accordirung auch besonders des Flacii und Galli bey dem Churfuersten, Herzogen Moritz, Erwaenung thate, so fiele die gnaedige Antwort dahin, er haette nichts wider sie, und koenten sie frey und sicher, entweder in seinen, oder in andern Landen leben, wo sie wolten, welcher Punct sodenn auch dem errichteten Accord selbst ist einverleibet worden. u. s. w.* Instauratio concilii tridentini ipsis septembr. calendis CIↃIↃLI tantum abest, vt laetiora fata puriori coetui christiano promitteret, vt potius ad eum opprimendum comparata videretur. Nulla certe obliuione delendae Galliae regis litterae sunt, ad, vti vocabat, conuentum tridentinum, quibus vehementer eius institutum sibi displicere, sollemnissime protestabatur. r) Sed quanta quanta quoque erant mala, quae protestantium ecclesiam adfligebant: interioribus tamen eius dissidiis nihil calamitosius cogitari poterat. Nam vt taceamus viri in omni genere doctrinae eruditissimi ANDR. OSIANDRI, s) qui antea Norimbergae cum laude aliquot annos docuerat, anno vero CIↃIↃXXXXVIII ob edictum imperatorium de libro *interim* in Borussiam profectus, sequenti anno in academia regiomontana professor publicus constitutus est, controuersiam motam de iustitia dei essentiali in nobis habitante, qua nos coram deo iustos esse dictitabat, cui sese, at satis infeliciter, opposuit FRANC. STANCARVS: vt porro sicco silentii pede praetereamus lites a GEORGIO MAIORE sparsas de necessitate bonorum operum ad salutem, quas adaugebat infausto omine NIC. AMSDORFIVS, t) cetera vir magnus et pius, in alia quaeuis ruens, certe nullae huius seculi contentiones acriores fuere, disputationes feruentiores nullae, quam de rebus adiaphoris, ex libro *interim augustano* exortae, quarum FLACIO Illyrico, in reliquis bellis domini milite strenuo, aduersarium vehementiorem minus-

r) SLEIDAN. l. XXII. p. 655.

s) SLEIDAN. l. XX. p. 583. l. XXII. p. 647. RITTERVS in vita Flacii p. 49. sqq. IO. MVSAEVS praelect. in epitom. form. concord. p. 141. sqq. S. R. IO. GE. WALCHIVS in den Relig. Streitigk. der Euangel. Luther. Kirche t. I. p. 85. sqq et 97. sq. WEICHSELFELDER im Leben Ioh. Fridr. de sedandis Osiandricis controuersiis sollicitum electorem sistit. p. 935.

t) SLEIDAN. l. c. l. XXII. b. 10. MVSAEVS l. c. p. 181. WALCHIVS l. c. p. 98. sqq. &c.

minusque exorabilem noui profecto neminem. Misera haec rerum conditio, illo famoso *paruo interim*, h.e. formula, Lipsiae CIƆIƆXXXXVIIII conscripta, vt ita loquar, perficiebatur, *u*) et lacrimabile schisma pariebat, non prius e medio sublatum, donec *formula concordiae* esset ad vmbilicum perducta. Quae speciatim in colloquio wormatiensi, fere in fine anni CIƆIƆLVII acta sunt, ad componenda litigia adiaphoristica, pluribus *continuator Sleidani* commemorat, notatque inter alia, theologos ienenses, quod frustra a reliquis augustanae confessionis theologis petierint, vt citra ambages Zwinglii, Osiandri, Maioris, adiaphoristarumque doctrinas impuriores condemnarent, Wormatia abiisse, vnde deinceps vanus colloquii exitus pependisse videtur. Quae autem Ernestinis theologis de conuentu francofurtano sententia fuerit, exposuit b. D. VAL. ERN. LOESCHERVS. *x*)

## SECTIO II
### MEMORABILIA EORVM TEMPORVM QVIBVS IENAE ACADEMIA CONDITA EST

### VIII

PATET ex dictis, tranquillis quidem temporibus, si statum spectemus politicum; at maxime turbulentis et inquietis, si ecclesiasticum cogites, euenisse, vt, quod adhuc academiae patriae deerat, ab FERDINANDO imperatore suppleretur, et Iena die II febr. CIƆIƆLVIII, vti constat, sollemnissime inauguraretur, praesentibus quidem serenissimis Saxoniae ducibus IOANNE FRIDERICO II, IOANNE WILHELMO et IOANNE FRIDERICO III et ERNESTO, principe hennebergensi. Exstat IOAN. STIGELII epistola, continens descriptionem pompae et spectaculorum, quae celebrata sunt in promulgatione priuilegiorum academiae ienensis, scripta ad IOAN. MARIVM SCAEVOLAM CIƆIƆLVIII, quam vir, quum viueret, illustr. BVRC. GOTTH. STRVVIVS recudi curauit, *y*) et in



*u*) Non theologorum saxonicorum, verum quorumdam aulicorum Mauritianorum foetum hunc esse, ex libro: Endlicher Bericht und Erklaerung der Theologen zu Wittenberg und Leipzig etc. Wittenb. 1550. 4to obseruat IO. DAV. IAENKEN im gelehrten Pommerlande, siue potius in der Lebens-Geschichte D. Io. Bugenhagens, p. 70 seqq.

*x*) conf. hist. motuum P. II. p. 116. et 120.

*y*) biblioth. libror. rarior. eiusd. thec. I. p. I. sqq.

in compendium misit alibi. z) Videlicet iam communis fama diuulgauerat, academiam a Ferdinando imperatore concessam, atque a Carolo V. eiusdemque fratre fuisse confirmatam, quum ad promulgationem priuilegiorum accederet IOANNES FRIDERICVS, eidem ipse interfuturus. Describitur ergo, quomodo aduentans princeps a rectore tunc temporis IOANNE SCHROETERO, medicinae doctore, cum comitatu academico sollemniter ac piis gratulationibus fuerit exceptus, atque prolixa ordinis scholastici serie a foro vsque ad portam in vrbem deductus, vsque ad diuersorium. Ingressus princeps cum magno agmine equitatus, eumdemque comitabantur comites et proceres et equestris ordinis homines. Princeps ipse ad latera ducebat fratrem GVILIELMVM ducem Saxoniae, et ERNESTVM, principem hennebergensem, filium GVILIELMI; ne dicam de reliquo comitatus ordine et signis laetitiae a militibus publice exhibitis. Postero die coetus scholasticus longo agmine ad aedes, in quas princeps diuerterat, procedit. Eo prodeunte, cum fratribus duobus et hennebergensi, omnique comitatu aulico, pompa scholastica procedit ad templum. Conscenso ibi theatro dux IOAN. FRIDERICVS surgens, composito ad lenitatem ac grauitatem vultu, oratione latina adloquitur ordinem scholasticum, quae etsi data opera prolixitatem non habebat, erat tamen ita concepta verborum delectu, temperata adfectibus, concinna periodis, condita suauitate sententiarum, plena grauitate rerum, vt eius gratiam, inquit STIGELIVS, ne quidem extrema, quod aiunt, linea attingere nostra possit infantia. Erat tamen haec fere rei summa: Quoniam exemplum maiorum suorum, PATRIS maxime, secutus, quum inde ab initio suae gubernationis, vna cum fratribus, in id operam dedisset, vt veram de deo doctrinam et recta studia bonarum artium conseruaret ac propagaret, eoque nomine et academiam ienensem auxisset professoribus et salariis, et hoc tempore cum fratribus coram adesset, vt accepta ab inclyto caesare FERDINANDO rege romanorum, priuilegia donaret ac traderet academiae, precari sese, vt id omne feliciter ecclesiae et reipublicae eueniat, hortarique tum professores, tum senatum oppidanum, vt studio concordiae, acceptum decus custodiant, vt habeat hoc quoque in loco hospitium filius dei, ex quo eius vox, studio adnuntiantium pacem, audiri, iucundeque

z) thesaur. variae erudit. ex scriptorib. potissimum sec. XVI. et XVII. alias biblioth antiq anni CIↃIↃCCVI mens. iul. p. 314 sqq. vbi et NIC. REVSNERI panegyris actus doctorei ICtorum celebrata sollemniter in academia Salana etc. recensetur.

que sonare ad posteros possit. De hac, pergit STIGELIVS, principis oratione diligenter percontatus, reperi, eam litteris non fuisse consignatam, sed ad occasionem extempore ita conceptam, id quod eruditorum adplausum et venerationem erga principem, mirifice auxit. Hoc sermone principis finito, prodit vnus ex consiliariis, iuris doctor, et ex diplomate regio ipsa priuilegia recitat. Tum CHRISTIAN. BRVCK, I.V.D. et cancellarius, ex mandato principis orationem habuit lingua vernacula, qua propensam principis in academiam voluntatem, condita statuta, leges ac iura vniuersitatis toti ordini significauit, protectionemque et tutelam principis promisit. His peractis, gratulatio et gratiarum actio a STIGELIO, nomine academiae facta, atque inde coetus e templo domum reuersus epulis exceptus fuit. Postea spectacula equestria fuerunt celebrata, in quibus GVILIELMI ducis virtus laudatur. Subiungit tandem STIGELIVS epigrammata facta inter spectacula equestria, lectu haud iniucunda.

## VIIII

QVAMQVAM vero laetiora iam quaeuis promittebat haec noua Ienae facies, inprimis quod et theologis et philosophis, et in omni eruditionis genere versatissimis viris floreret; tamen non plane respondit spei euentus. Namque MATTHIAS FLACIVS Illyricus iam CIƆIƆLVII quod vocationem Saxoniae ducum sequeretur, eo ipso VICTORINVM STRIGELIVM offendit. Teste enim b. SPENERO *a*) hic illum, quo minus acceptaret dictam vocationem, litteris dehortatus est. Nam scripserat, si diuersis seiuncti viuerent locis, suum cuique honorem mansurum esse et amicitiae nihil decessurum: secus si fieret, hoc est, si Ienam se transferri pateretur, alterum alterius honoribus obstiturum, et in odia degeneraturum, qui illos hactenus iunxisset, adfectum. Ex quo, ait laudatissimus theologus, colligitur, huic vni deinceps, quod minabatur, studuisse STRIGELIVM, vt se superiorem doctorem pessumdaret. *b*) Equidem tristis eheu! experientia paullo post docuit, quemadmodum feruor, quo inter se flagrabant, eos in deuia seduxerit, vt FLACIVS synergismum STRIGELII impugnaturus in alterum rueret extremum, et peccatum originis



*a*) in den theolog. latein. Bedenken p. III. c. XVII art I. dist. II. n. 13. p. 187. conf. RITTER. im Leben Flacii. p. 91. sq.

*b*) Concordant haec cum iis, quae narrat RITTERVS l. c. p. 98. sq.

ginis ipsam hominis substantiam esse, incaute satis propugnaret. c) Historiam lacrimabilis huius controuersiae pluribus b. IO. MVSAEVS, d) S. R. IO. GE. WALCHIVS, e) alii, memoriae prodiderunt. Ceterum quum scribit vir summus IO. LAVR. MOSHEMIVS: *Si grauissimis viris credendum est, parum curate loquendo potius, quam peruerse sentiendo peccauit* (Strigelius), *idque tantum, quod aduersarii probabant, significare voluit, aptum natura esse corruptum hominem ad recipiendam vim diuinam, quae sola et vnica morbis mederi valet*: miror sinistrum eiusdem de FLACIO iudicium: *volunt aliqui*, inquit, *ignoratione notionum et distinctionum philosophicarum in hanc fraudem Flacium impulsum fuisse, magisque insolenti vocabulo, quam re ipsa peccasse. Hi si vera nobis narrant, quod dubito, aut effrenato ingenio fuerit, aut incredibili peruicacia abundauerit necesse est. f*) Videlicet ex singulari adfectu, quo se in PHILIPPVM MELANCHTHONEM vir summus ferri itemdidem prodit, haec verba profluxisse videntur. Certe quae mens STRIGELIO, cui cancellarius CHRISTIAN. PONTANVS impense cupiebat, sederit, locupletes testes sunt triginta theologi ienenses exsules. Forsan heic, quid neglectus formularum caute loquendi, quid philosophiae in theologicis abusus potuerit aliquando, maxime tempora loquuntur, quae *formulam concordiae* antegressa sunt. Laudes ceterum ienensium theologorum intuitu purioris doctrinae lutheranae enarrat b. D. VAL. ERN. LOESCHERVS. g)

## X

ERGO auspicia quidem academica Ienae inquieta admodum et ad rixas comparata erant, progressus tamen, ienensibus theologis pacis amantiores fuisse nullos, demonstrauit. h) Quodsi enim seculo XVII. exce-

c) obseruatu dignum est, quod refert RITTERVS l. c. p. 15. not c. ex KOENIGII bibliotheca veteri atque noua, LEONHARD FVCHSIVM, celeberrimum illum medicum tubingensem, amicum Flacii intimum docuisse: *morbum esse substantiam.* At vero hanc opinionem Flaciano errori obstetrices manus praebuisse, ego propterea, quod peccatum originis non tam pro morbo cum Strigelio, quam pro ipsa potius morte ille habuerit, dubito. Ipsa potius Strigelii disputatio effecit, vt is peius loqueretur, quam sentiret.

d) praelect. in form. concord.

e) WALCH. in den Relig. Streitigk. P. I. p.

f) institut. hist. christ. recent. sec. XVI. sect. III. c. 2. §. 26. p. 197.

g) hist. motuum P. II. p. 155.

h) de colloquio altenburgico CIƆIƆLXVIII. vt et de controuersis cum theologis electoralibus conf. LOESCHERI hist. motuum P. III. p. 19. sqq. et passim.

exceperis syncretisticas controuersias, *i*) quibus deinceps nostro aeuo ita dictae pietisticae quodam modo accesserunt, in quas tamen obtorto veluti collo tracti sunt, nihil, quod in polemica theologia notatu inprimis dignum sit, meminimus. *k*)

## CAPVT II
## DE PROFESSORVM IENENSIVM DE PHILOSOPHIA ET THEOLOGIA MERITIS EXSTANTIORIBVS.

XI

PROGREDITVR nostra oratio ad academiae patriae laudes, quas ex professorum suorum de republica litteraria meritis adepta est. Neque profecto in omni eruditionis et doctrinae genere defuere viri, quorum memoriam nulla vmquam obliuio oblitterabit, quorum magna nomina iam dudum sunt aeternitati consecrata. Quemadmodum autem, quo minus in tam late patentem iam excurramus campum, propositi limites vetant; ita philosophicae pariter atque theologicae scientiae studium nostrum prouocabunt, quaeque suppeditat earum memoria in his terris, paucis delineabimus, reliqua iis relinquentes, quibus locupletiora patent scrinia. XII

*i*) De controuersiis syncretisticis vid. s. v. WALCHIVS in den Relig. Streitigk. der euangel. Kirch. P. I. c. 4. §. 6. sqq. p. 219. sqq. praecipue de Musaeanis p. 371. sqq. Non possumus, quin, quae p. 225. sq. leguntur, huc transferamus: In die dritte Classe derienigen Personen, welche bey diesem Streite vorkommen, muessen wir dieienigen bringen, die zwar Calixto und seinen Anhaengern in der Hauptsache nicht beistimmen; gleichwohl aber nicht alles, was die Wittenberger, besonders Calouius, vornahmen, billigen, noch in allen Stuecken ihre Parthey ergreiffen konten. Zumahl als man den Consensum repetitum auffezte, und ein neu symbolisch Buch wider die Calixtiner einfuehren wolte. Sie hatten bisher gesehen, was die allzugrose Hitze, die man bey dieser Controuers gebraucht, vor Schaden gebracht, und erkanten voraus, wie unsere Kirche noch enger werde eingeschraenckt, und in weit groessere Vnruhe gesetzet werden, wenn das Vorhaben mit dem Consensu repetito seinen Zweck erreichen solte. Dieses thaten nun die ienaischen Theologen allhier, absonderlich der selige Ioh. Musaeus, ein Mann von grosser Penetration, der nach derselbigen voraussahe, was die wittenbergische Anschlaege mit dem Consensu repetito nach sich ziehen moegten. Dieses stunde den Wittenbergern nicht an: daher sie auf die Ienaischen losgiengen, und weil Musaeus der vornehmste war, so erregten sie die so genanten Musaeanischen controuersien, womit der Streit noch laenger verzoegert, und viel Vnruhen in der Kirchen erwecket wurden.

*k*) Quod pertinet ad pietisticos motus, conf. iam laudatissimus WALCHIVS l. c. c. V. sect. 1. p. 838. sqq. inprimis §. LI. LII. CXXXXIIII.

XII

ET quod quidem philoſophiam concernit, omnium temporum hiſtoria vniuerſitatis Salanae, quam longe a pruritu nouaturiendi condendique ſectas ea abfuerit, quemuis condocebit. Ea adhuc ſeculi decimi ſexti conditio erat, vt ſalutaris quidem doctrina inſtauraretur priſtinaeque ſuae puritati a megalandro LVTHERO redderetur; ſed philoſophiae Ariſtotelico-Scholaſticae terminus nondum adparuerat, non ſane, noſtra quidem ſententia, ſine prouido numine. Namque et ſapientiae humanae fontes ipſas ſanctiores pandectas aperuiſſe, nobis extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Praelucere nimirum rationi ſacra ſcriptura debebat, vt ſcopulos euitare diſceremus deinceps, circa quos tot olim ingenia infeliciter obhaeſerant. Eadem ergo, vti alibi, ita Ienae erat philoſophiae ratio, nec eſſet omnino, quod de illa doleremus, niſi terminorum ſcholaſticorum eorumque nimis vagorum in theologia vſus, vſus autem? immo potius abuſus iuſto frequentior tot, eheu! diſſidia, tot altercationes in eccleſia peperiſſet. Memoratu ceterum ex eodem ſeculo dignus eſt IVSTVS LIPSIVS, ille philoſophiae ſtoicae inſtaurator, qui anno CIƆIƆLXXII profeſſione eloquentiae et hiſtoriarum Ienae ornatum ſe ipſemet diffiteri non potuit, quam quoque diſſertatione pro loco *de terra pretioſa* auſpicatus eſt. *l*) At quemadmodum vltra biennium in Salana non commoratus eſt, neque, quod ſciam, ibidem ſtoicae philoſophiae amorem prodidit: ita nihil quod tunc Stagyritae auctoritatem laedere potuiſſet, vel dictum eſt, vel ſcriptum. Mirum magis eſt, PETRVM RAMVM cuius fortuna, poſt triſtia eius mortalitatis fata, etiam in Germaniae academiis varia erat, veteri philoſophandi generi in Salana noſtra nihil obfuiſſe. Nam quod v. cl. AB. ELSWICH *m*) refert, GERHARDVM ab huius viri partibus non abhorruiſſe penitus, equidem non pugnabo; fruſtra tamen hic quaeſiueris, quibus ſectatorum RAMI catalogum augere poſſis. *n*)
Etſi

*l*) aliquando quidem religionis metu inductus negauit hoc ipſum LIPSIVS. Certe SCHLVESSELBVRGIVS apud CRENIVM animaduerſion. philologic. et hiſt. P. VII. p. 45. ſq. refert, quum ab illo Lugduni hac de re quaereretur, Lipſium reſpondiſſe, ſe eſſe hominem chriſtianum et perinde ſibi eſſe, huic ne an illi ſectae addiceretur. Vitam huius viri AVBERT. MIRAEVS ſcripſit ediditque Antwerpiae CIƆIƆCVIII quae quoque eius praemiſſa operibus eſt. Conf. cl. IAC. BRVCKERI hiſt. philoſ. tom. VI. p. 771. add. FREHERVS theatr. vir. erud. claror. p. 1501.

*m*) Schediaſm. de varia fortuna Ariſtot. p. 54.

*n*) Singulare eſt iudicium ERICI VOLCMARI a BERLEPSCH, quod tulit occaſione controuerſiarum Ariſtotelico-Ramiſticarum, Ramiſmum gradum eſſe ad
Calui-

Etſi vero ſeculo decimo quoque ſeptimo erant, qui iugum Ariſtotelico-Scholaſticum moleſte ferrent perſpicerentque, quantum illud ſit, in quo disconueniat inter ſpiritum ſanctum et peripateticorum anteſignanum: reperiebantur tamen, qui, dum iſti hunc conciliare maximo ſtudebant opere, magno conatu nihil agerent, in quibus cetera vir doctus IOANNES ZEISOLDVS eminuit, cuius tractatus *de Ariſtotelis in illis, quae ex lumine naturae innoteſcunt, cum ſacris litteris conſenſu ab eaque apparente diſſenſu* prodiit Ienae CIↃIↃCLXVII. *o*) Multo cautius de genuinis Ariſtotelis principiis meruit PAVLLVS SLEVOGTIVS, philologus et philoſophus ſuae aetatis nemini ſecundus, quem hoc quoque nomine laudauit ill. LEIBNITIVS *p*) cuiusue vita legitur apud FREHERVM. *q*) Qui philoſophorum eiusdem ſeculi RENATO CARTESIO illuſtriorem nominis famam conſequutus ſit, me quidem fugere, ingenue fateor. Vbi tamen huius placitorum adſeclas perluſtramus, eorum quidem etiam per Germaniam numerum non exiguum conſcribere poſſemus: verum ienenſium profeſſorum, qui iis ſeſe adſcribi voluerit, innotuit forte nullus. In aduerſariorum potius CARTESII numero nomen ſuum profeſſus eſt IO. MVSAEVS, cuius, ni fallimur, auctoritate et pacis ſtudio factum eſt, vt arcerentur illius philoſophumena alioquin ſua laude haud plane defraudanda. Diuiſerat iam per aliquot luſtra cum Carteſio Ariſtoteles imperium, quum in medium prodiret CHRISTIAN. THOMASIVS, ornamentum proprium academiae halenſis, id prae ſe ferentis ſingulare, vt omnibus fere ſcientiis nouum aut induerit, aut induere conata ſit habitum. Communi is cum LEIBNITIO praeceptore gauiſus eſt, nempe ſuo parente IACOBO THOMASIO, qui niſi fuiſſet, forſan nec vterque fuiſſent, quos poſtea orbis eruditus reuera nactus eſt. Qua logicam et philoſophiam moralem merita eius omni exceptione maiora ſunt, multo minora metaphyſicam ſi ſpectes aeque, atque phyſicam, praeſtitit. Vtut vero maxima nominis celebritate floruerit per totum, qua patet, terrarum orbem: multo tamen plures ſectatores habuit in re politica, quam in reliquis diſciplinis philoſophicis, et niſi me fallit opinio, in horum numerum referendus eſt *πολυϊστοριας* fama inclytus GOTTL. STOLLE, praeceptor noſter



Caluiniſmum. Fieri autem potuit, vt, quo minus ex multis noſtratium Rami ſcita amplexi ſint, haec opinio obſtiterit. vid. b. LOESCHERI. *hiſt. motuum.* P. II. p. 151. ſq.

*o*) conf. *obſeruat. halenſ.* tom. III. obſ. 13. p. 241. ſqq. BRVCKERI *otium vindelic.* mel. I. p. 120.

*p*) vid. *theodicaea* edit. GOTESCHED. p. 70.

*q*) *theatr. viror. erud. clar.* p. 1543.

desideratissimus. Attingimus nunc periodum illam felicem, qua et Athenae nostrae Salanae reformatore disciplinarum philosophicarum prorsus egregio superbire coeperunt, cuius magnum nomen patriae suae, Pomeraniae laudi erit et gloriae numquam interiturae. Vel me tacente, cuilibet in mentem veniet haec legenti incomparabilis vir, IO. FRANC. BVDDEVS r), *cuius elementa philosophiae omnis* duobus domis comprehensa, quorum octaua editio Halae CIƆIƆCCXXV. ad manus est, communi plausu excepta sunt, vt iam sicco silentii pede tot alia scripta, cumprimis ad philosophiam moralem et speciatim ad ius naturae et gentium spectantia, praetereamus. Equidem non solum, quae IO. LOCKE, HVGO GROTIVS, IO. CLERICVS praestantioris momenti habent, ceu veri nominis eclecticus, in ordinem congessit; verum etiam multis propriis meditationibus, excellentissimo suo ingenio debitis, adauxit. Hinc non defuere, qui ipsi plauderent publicis scriptis viri doctissimi, MARTIN. MVSIGIVS, IO. IAC. LEHMANNVS, profess. ienens. S. R. D. IAC. GVILIELM. FEVERLINVS, IO. REICHIVS, ANDR. RVDIGERVS, IO. IAC. SCHATZIVS cet. Legi meretur S. V. IO. GE. WALCHII *schedisma historico-philosophicum de fatis elementorum philosophiae eclecticae* S. R. IO. FR. BVDDEI. Neque huc non facit b. IOAN. IACOB. SYRBIVS, ob *institutiones philosophiae rationalis eclecticae* Ienae CIƆIƆCCXVIII. CIƆIƆCCXXIII, et ipse innumeris meritis conspicuus D. IO. GEORG. WALCHIVS, praeceptor et promotor noster ad cineres vsque colendus, celebratissimus celebrium filiorum parens, cum ob eiusdem *Einleitung in die Philosophie*; tum ob *lexicon philosophicum* annos laturum, omnis philosophiae et priscae et recentioris thesaurum auro contra cariorem. Denique quemadmodum philosophia Leibnitiano-Wolfiana per multas Germaniae scholas inuenit, quibus placuit, viros perspicacissimos: ita quoque Ienae fata, quibus nullum aliud systema praeter Aristotelico-Scholasticum gloriari potest, habuit satis laeta ac prospera. Debet ista praesertim clarissimis philosophis IAC. CARPOVIO, HENR. KOEHLERO, et, quem primo loco nominare debuissem S. V. IOANN. PETRO REVSCHIO, s) praeceptori et promotori nostro honoratissimo. Tantum autem abest, vt sectaria philosophandi ratio ibidem praeualuerit, vt potius syste-

r) de cuiuis vita vide sis *das lezte Ehregedaechtniß, welches dem seel. Herrn Ioh. Franc. Buddeo der H. Schr. hochberuehmten Doctori und Professori primario zu Iena ist aufgerichtet worden.* Ienae CIƆIƆCCXXII. fol.

s) conf. celeb. CAROLI GVNTH. LVDOVICI *ausfuehrlicher Entwurff einer vollstaendigen Historie der Wolffischen Philosophie, praesertim, P. III. passim.*

systemata Reuschiana et logicum et metaphysicum philosophiae eclecticae eiusue verae et genuinae testes sint multo locupletissimi. Ex eo tempore scientias fere omnes modo nouis auctas incrementis, modo maiori luce radiantes, certe paullo rigorosius tractatas videris. *t*) Sed ne princeps, quod academiae patriae nouum conciliauit splendorem, momentum non attingamus, omnium rei litterariae incrementorum ignarus sit oportet, quem illustr. HAMBERGERI, ienensis, filii patre adhuc maioris; at, proh dolor! praematura morte orbi erudito erepti philosophi ac medici, systema physicum, *principio illi adhaesionis* longe foecundissimo superstructum, penitus fugerit, eo, quod omnibus aliis facile palmam praeripiat. *u*) Prius nos tempus et spatium, quam dicendi materia deficeret, vbi ad mathematicos, in quibus cluent WEIGELII, WIEDEBVRGII, HAMBERGERI; ad historicos, in quibus eminent STRVVII, BVDERI; ad philologos denique, WASMVTHIOS, DANZIOS, RVSIOS, STOCKIOS, TYMPIOS procederet oratio. Verum id nobis maxime superesse sentimus, vt de prae-

 rogati-

*t*) vt in philosophicis tantum disciplinis consistat oratio, ne de scriptis logicis et metaphysicis dicam, omnium in oculis sunt HENR. KOEHLERI *ius naturae et gentium*, celeb. IOACH. GEORG. DARIESII *ius naturae*, b. IOAN. GEORG. ZVR LINDEN *hermeneutica; inprimis sacra*, magnif. CAR. GOTTH. MVELLERI, cui fasces academicos ea, qua decet, obseruantia, congratulamur, cum *philosophia moralis*; tum *die Weisheit des Redners* etc. etc.

*u*) vid. REVSCHII *syst. logic.* §. 462. p. 500. vbi breuis et elegans inuentionis huius principii historia extat. „Celeb. inquit, HAMBERGERVS pro sua, qua „pollet, sagacitate occasione sermonis, de adscensu aquae in spongia aut simili cor„pore et de aëris pressione, habiti cum cel. IOAN. MATTH. GESNERO aliquo „modo factus dubius de pressione aëris, quatenus eidem tamquam caussae adaequatae „tot adscribuntur effectus. In quam quidem cogitationem adductus fuit per aliam „experientiam eodem tempore allatam, qua cultrum vel pennam in vitrum vino vel „aqua repletum immiserunt atque obseruarunt, vinum vel aquam ab vtroque cultri „vel pennae latere aliquatenus adscendere, seu subsultare atque se cultro vel pennae „applicare. Quod phaenomenon ex aëris pressione, vix videbatur conceptibile. Sic „quidem pressio aëris, tamquam caussa adaequata tot effectuum, labefactata in mente „cel. HAMBERGERI; sed vera tamen caussa adhuc in puteo Democriti iacuit, do„nec casu in aliam incideret experientiam, qua obseruauit, aquam ex epistomio aqua„li, profluentem non pro ea, quam vi impetus obtinere deberet, directione progre„di, sed se epistomio applicante sursumque parumque flexam moueri. Qua obser„uatione mens illius in excelso posita, fausto omine et, quod commodum accidit „toti hominum generi, in illud incidit principium: *fluidum specifice leuius adhaeret „specifice grauiori*, quod nobis in physica nodis gordiis non dissecandis; sed expedien„dis et soluendis sufficit et Anglorum principium attractionis multis post se parasan„gis relinquit.

rogatiuis, quas a theologis ſuis conſecuta eſt vniuerſitas ienenſis ſtrictim dicamus.

XIII

